



Handwritten label with the following fields:

Adria	A
Estad.	3
Tahls	
mem.	211

8-5-8

Michigan Tobacco
Cigarettes

Date	A
Brand	3
Tax	
Amount	2.11

8-25-8



1-18

De Coll. de la Comp. de N. y de Granada BBL.

CURSUS PHILOSOPHICUS

A. 24

AD MENTEM

BEATI ÆGIDIJ ROMANI

DOCTORIS FVNDATISSIMI AVGVSTINIENSIVM,
ARCHIEPISCOPI BITURICENSIS,
AQVITANIÆ PRIMATIS, ET S. R. E. CARDINALIS,
ILLVSTRATAM AVCTORITATIBVS
S. P. N. AVGVSTINI, ET PRÆCEPTORIS ANGELICI.

AUCTORE

R. A. P. M. Fr. PETRO MANSO, AVGVSTINIANO,
Provincia Castellæ in Salmanticensi Academia Sacræ Theo-
logiæ Doct. & Philosophiæ Professore: Conventus Salmant-
icensis S. P. N. Augustini olim Priore, semel,
iterumque Diffinitore Provincia, & pro Pro-
vincia in Comitijs Generalibus Ro-
mæ celebratis.

PER ILLUSTRUM D. D.

JOSEPH THOMÆ DE EZPELETA

ET GARI DIVI JACOBI STEMMATE

INSIGNITO, ECCLESIAE CARTHAGINENSIS CANONICO

TRIBUNALIS LLERENENSIS

INQUISITORI DIGNISSIMO

PER R. P. M. Fr. ANTONIUM DE AGUILAR

dicatus, in lucemque editus.

TOMUS QUARTUS.

Complectens à dimidio secundi usque ad octavum Physicorū libros.

Cum debitis licentijs. Cordubæ ex Offic. August.

Anno Dni M. DCC. XI.

CONTINUATIO LIBRI SECUNDI

PHYSICORVM.

DE CONCVRSV DEI IN OMNES ACTIONES CREATAS.



MATERIA hujus disputationis Philosophica simul, & Theologica est; quoniam actiones creatæ sunt motus, aliquando naturales, interdum præternaturales, non raro vitales, & liberi, sub quibus acceptionibus spectant ad Philosophiam: aliquando autem sunt actiones supernaturales, meritoria & libera libertate supernaturali, aut supernaturalizata; vel deficiunt à rectitudine debita morali, aut supernaturali, qualia sunt omnia peccata; & de actionibus, sic sumptis, sola tractat Theologia. Hinc orta necessitas vel attingendi unicè actiones creatas, ut naturales, & necessariae; vel transiliendi metas puræ Philosophiæ, ut disputatio comprehendat actiones etiam liberas meritorias, aut demeritorias. Eadem necessitate laborasse Theologos reperitis, dum reuoluentes disquirere constitutum prædeterminationis, & auxiliij Dei, quoniam (ut ajunt) non est quæstio Theologica, sed Philosophica; suas idè Theologicas sententias obscurissimas, & inextricabiles reddidere: quod sanè deterius malum est, quàm ad Philosophiam declinare. Alieno edocti periculo, sicut in Theologia, Deo favente, Philosophica non omitemus; sic in præsentia, ab eadè pro Philosophia nostra principia mutuabimus: eo præsertim, quoniam character Scholæ Augustinianæ est dependentia creaturæ à Deo in operando, & necessitas Divini adjutorij tū ad posse operari, tū ad actuale exercitium operandi; nec decet Philosophiam nostram, ex plenis Augustini promptuarijs desumptam, suo augustissimo caractere privare. Hoc unum in limine disputationis nostræ supponendum, ut notissimum, nam nempe sententiam in materia de Gratia, & libero arbitrio, plus placere Ecclesiæ Catholicæ, quæ principijs Augustinianis videatur magis consentanea. Id constat (ut innumera Augustini elogia, à Sancta Sede, Concilijs Patribus, & Doctoribus evulgata, prætereamus) ex eo tantum, quòd celebris illa de auxilijs controversia, Romæ agitata à Patribus Sancti Dominici, & Societatis Jesu ad unius Augustini mentem contracta est jussu Pontificis Clementis VIII. ut Ecclesia, quæ olim Augustino duce triumphavit de inimicis Gratia, eo nunc quasi arbitro, litem inter Catholicos dissidentes divideret;

meret; ac doctrina illa Parentis nostri, quam teste Cardinali Bellarmino, & alijs, suam fecit Ecclesia, Lydius lapis esset pro discernenda in hoc mysterio veritate.

Hinc prolixius disputare de mente S.P. Augustini opportunū, imò necessarium est; nobis autem voto, & affectu Augustinianis, pro Religione habendum, ob idque specialiter præcipitur in nostris cōstitutionibus, adhibitis etiā cōminationibus, & pœnis. Huic sanctissimo præcepto obtemperans pro tenui posse meo, quid in doctrina Sancti Patris percipiā, sincerè proponam, ut cūque paratus meam retractare sententiā, quoties vel in toto, vel in parte deprehendatur Augustinum adversari. Nec aliter nos invicem exhortari oportet ad arcana gratiæ mysteria in libris Augustini detegenda, & indaganda, quam verbis illis Parentis, simul ac Fratris nostri, Sancti Fulgentij Ruspensis Episcopi, qui de Schola & Monasterio Parentis Augustini ad Episcopales infulas assumptus, ita scribit libro 2. de Veritate Prædestinationis, & Gratiæ cap. 18. *Hunc legat (intellige Augustinum) omnis, qui salutem eternam adipisci desiderat, humiliter orans Misericordiæ Dominum, ut eundem spiritum intelligentiā legens accipiat, quem ille accepit, ut scriberet. Et eandem illuminationis gratiam adipiscatur, ut discat, quam ille adeptus est, ut doceret.*

Q V E S T I O XVI.

An Deus causa prima concurrat immediatè cum causis secundis ad omnes effectus?

§. I.

Referuntur sententiæ cum suis fundamentis.

NON est quæstio de concursu Dei mediato, quo dando virtutem causis creatis ad agendam, mediatè saltem concurrat ad effectus talis virtutis; sed supposito hoc concursu, quia nulla creatura agit nisi per virtutem à Deo receptam; quæritur, an Deus immediatè influat in effectus causæ creatæ, simultaneè concurrans cum causa creatæ; quod alijs terminis explicatur, nempe, an causa creatæ operetur

dependentèr à Deo nedum dante virtutem agendi, sed simul concurrente, & influente in effectum?

Negativa sententiæ tribuitur Durando in 2. sent. dist. 1. q. 5. & dist. 37. q. 1. ubi licet sit præcipuus hujus erroris defensor, non primus; nam ab alijs antiquis traditam testatur Albertus, Henricus, & alij antiquiores. Imò S.P. Augustinus eisdem meminit lib. 5. de Genes. ad lit. cap. 20. dicens: *Sunt qui arbitran-*

tur tantummodo mundum ipsum factum à Deo, cetera jam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit, & jussit. Deum autem ipsum nihil operari. Citantur ex Modernis Ludovicus Dola opusc. de concursu Dei; nec non Lalemander putans concursum Dei universalem, sufficienter salvari per rationes seminales. Et quantum ad actiones peccaminosas fuit sententiæ Præpositivi insignis Clerici, & adèd in Scholis solemnis, ut Magister sent. noluerit se in aliquam partem determinare; id relinquens prudentum judicio.

2. Probatur hæc sententiæ 1. ex Genes. 2. ubi post mundi creationem, sex diebus à Moyse explanatam, dicitur: *Et requievit Deus die septimo ab omni opere quod patrarat.* At si concurreret ad omnes, & singulos effectus à mundi initio usque ad finem ejusdem, in quo cessabunt generationes, influens, & operans immediatè; non esset verum, quod Deus requievit ab omni opere: ergo non concurrat immediatè, sed mediatè; quatenus conservat in agentibus creatis, virtutes, quas dedit ab initio; ut se propagarent, & effectus producerent.

Secundò probatur ratione. Quia superfluit concursus Dei ad effectus creatos; semel quod in creaturis sit virtus adæquata: sed in eis talis virtus est data à Deo: ergo non datur eō concursus immediatus Dei ad effectus creatos. Probat minor: Quia creaturæ non sunt mera instrumeta agendi effectus creatos, sed causæ principa-

les, vel univocæ, & sic æqualis virtutis cum effectu; vel æquivocæ, & sic nobilioris, & excedentis virtutis: ergo in creaturis est virtus adæquata pro suis effectibus.

Tertiò, potest Deus facere creaturam, ita perfectam, ut se sola operetur sine alterius concursu; sed si hoc potest, ita fecit: ergo causa creatæ sic facta est, ut non egeat concursu immediato Dei. Major patet, quia hoc posse non est contra Dei Omnipotentiam, imò ostendit potentiam Dei, quæ talem, ac tam perfectam potest creaturam producere. Minor probatur. Quia non constat ex Scriptura, aut alio testimonio non sic fecisse. Rursus, si fecisset talem creaturam, non aliter fecisset, quam dando illi virtutem æquantem, aut excedentem perfectionem effectus. Sed de facto dedit causis univocis virtutem æquantem, æquivocis autem dedit excedentem: ergo ita fecit creaturam, ut se sola sufficiat ad suos effectus.

3. Quartò, implicat duas causas immediatè concurrere ad eundem effectum, nisi partialiter concurrant: sed Deus nequit partialiter concurrere ad effectus creatos: ergo nec immediatè influere cum causa creatæ. Minor patet, quia partialitas dicit imperfectionem, quæ Deo repugnat præterquam quod si quæ ratio probat necessitatem concursus Dei, probat necessitatem concursus totalis, ut patet, cum vel totus effectus debeat à Deo dependere immediatè, vel nihil. Major probatur. Quia si duæ causæ concurrunt immediatè, & non

unt passiales; quilibet produceret totum, unde secunda ageret actum ab alia, & produceret, iam productum; & hoc est implicatorium.

Quintò, aliqui sunt effectus, ad quos Deus non potest immediatè concurrere: sed si excluditur concursus Dei ad aliquos, excluditur à simili pro reliquis; ergo excludendus est pro omnibus. Probatur major. Primò in quacumque actione, quæ ut actio est, est essentialiter ab agente creato. V.g. Calefactio est calor ut egrediens ab hoc agente. Potest quidem Deus producere immediatè calorem, sed non calorem, ut actio huius agentis; nam ut calor est à Deo, non est ab hoc agente, & sic ut à Deo non est actio. Ergo calefactio, & quacumque actio creata, ut talis, nequit esse à Deo immediatè. Secundò & clariùs in actione vitali, quæ essentialiter petit oriri à principio vitali, vivente per ipsam; sed Deus nequit vivere per actionem creatam: ergo nequit immediatè influere in actionem vitalem creatam. Tertio, in actionibus peccaminosis, quas Deo immediatè influenti tribuere indecorum, & sacrilegum est; alioquin Deus esset author, & causa prima peccati; nec aliter creatura peccat, nisi efficiendo actionem peccaminosam; ergo si eandem efficit Deus immediatè, peccat, & est causa prima peccati, sicut actionis peccaminosæ.

4 Confirmatur. 1. à simili causæ materialis, & formalis. Nam cum Deus non possit exercere causalitatem materiale, aut formalem, non

concurrit immediatè ad illas, nec ad earum effectus, sed solum mediatè, quatenus dedit materiæ, & formæ virtutes recipiendi, & informandi: & tamen verè salvatur Deus causa prima, & dependentia materiæ, & formæ à Deo in causando vi solius mediati concursus: ergo in causis efficientibus secundis salvabitur dependentia à Deo sufficienter sine concursu immediato, per solum mediatum.

Confirmatur 2. Si Deus immediatè concurreret cum causa creata ad suos effectus, concurreret eadem actione, vel diversa. Totum implicat: ergo & concursus Dei immediatus est implicatorius. Probatur minor. 1. de unica actione. Nam vel hæc est creata, & tunc per illam nequit Deus agere, quia sicut nequit agere per virtutem distinctam, & finitam, sed per infinitam secum identificatam, sic nequit agere nisi per actionem secum identificatam, & consequenter infinitam. Si autem illa actio ponitur increata, tunc per illam nequit agere causa creata, quæ nequit virtute finita influere in actione, & per actionem infinitam. Restat ergo impossibile, quòd Deus & creatura concurrant eadem actione. De quo vide infra §. 4.

Jam verò quòd nec diversa, probatur. Nam si Deus concurrat actione infinita secum identificata, & creatura per finitam, tunc actio Dei erit causa nedum effectus, sed etiam actionis creatæ. Hoc implicat duplici titulo. Primò, quia tunc actio Dei erit concursus prævius, & non simulta-

neus,

neus, quoniam ut causa actionis creatæ, illam præcedit, & sic præoperatur Deus, non cooperatur. Hic autem non disputamus de concursu prævio, sed de simultaneo. Secundò, nam semel, quòd actio Dei præcedat actionem creaturæ, præcedit operans: ergo pro signo sequenti, in qua subsequitur actio creata, jam supponit effectum factum ab actione Dei præcedente: Quid ergo agit actio creata? certè nihil, cum non possit actum agere.

§ II.

Præfertur sententia affirmans, & probatur authoritate, & ratione.

5 **C**ontraria sententia omnino tenenda est ut certissima, quam Sancti Patres, præsertim Augustinus, docent ut in Scripturis contentam. Videatur D. Thomas 1. p. q. 105. art. 5. & 1. 2. q. 109. & 3. contra Gentes cap. 70. ubi veluti dogma certissimum tradit hanc sententiam, & contrariam dicit errori proximam. Noster Agidius in 2. sent. dist. 37. q. 1. art. 1. eam dicit errorem; ab alijs autem reputatur ut hæreticæ, quare Albertus Magnus in 2. dist. 35. art. 7. ait: *Alia opinio fere cessit ab aula, & à multis modernorum reputatur hæreticæ.*

Probatur hæc sententia à S. P. Augustino varijs Scripturæ locis, quibus impugnat contrariam, ab ipso citatam verbis datis num. 1. quibus statim reponit sic: *Contra quos profer-*

tur illa sententia Domini: Pater meus usque modo operatur. Ut ergo dissolvatur textum Genesios à contrarijs allegatum pro suo errore, dicit sic lib. 4. de Genes. ad lit. cap. 12.

Potest intelligi Deum requirisse à condendis generibus creaturæ, quia ultra jam non condidit aliqua nova genera: deinceps autem usque nunc, & ultra operatur eorundem generum administrationem, quæ nunc instituta sunt non ut ipso die septimo potentia ejus à Cæli, & terræ omniumque rerum, quas condiderat, gubernatione cessaret: alioquin continuo dilaberentur. Creatoris namque potentia, & Omnipotentis, atque Omnitentis virtus, causa est subsistentiæ omni creaturæ: quæ virtus ab eis, quæ creata sunt, regendis, si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret. Species, & omnisque natura concideret. Neque enim sicut structuram ædium, cum fabricaverit quis, abscedit, atque illo cessante, atque abscedente, stat opus ejus; ita mundus vel ictu oculi stare non potest, si ei Deus regimen sui subtraxerit. Proinde, & quod Dominus ait: Pater meus usque nunc operatur, continuationem quamdam operis ejus, quæ universam creaturam continet, atque administrat ostendit.

Ibidem id ostendit ex illo sapientiarum 8. Disponit omnia suaviter. Et ex illo Actor. 17. In ipso enim vivimus, movemur, & sumus. Et multis alijs testimonijs adductis, concludit tum hic, tum lib. 5. de Genes. ad lit. cap. 20. dicens: Sic ergo credamus, vel si possimus, in istam intelligamus, usque nunc operari Deum, ut si conditis ab eo rebus, operatio

operatio eius subtrahatur, intereant. Et alibi vocans latentem operationem Dei, docet, quod si Deus illam subtraheret: *Nec vivemus, nec movebimur, nec erimus*, alludens ad verba Pauli allegata. Vide etiam S. Doct. lib. 9. de Genes. ad lit. cap. 15. & Epist. 46. ad Consentium.

Ne autem putares causalitatem Dei unice extendi ad solos actus naturales, non autem ad liberos, & etiam peccaminosos, omnes comprehendit. 5. de Genes. ad lit. cap. 20. cujus verba plenè dabimus quæst. seq. num. 1. ibi dicit: *Movet itaque Deus universam creaturam suam &c. Dum Angeli jussa perficiunt &c. Et dum iniqui justos exercere permittuntur*, At iniqui justos exercent operibus pravis: ergo ad illa etiam opera, ut opera sunt, non ut mala sunt, movet Deus, & concurrat immediatè occulta potentia sua, & sua latente operatione.

6. A ratione probatur hæc sententia multipliciter, ceterum urgentiores probationes desumuntur ex verbis datis S. P. Augustini, qui nedum autoritate fultus Scripturæ, qua credimus assertum, sed rationibus etiam, ut si possumus intelligamus, veritatem confirmavit. Prima ratio sumitur ex illis verbis: *Creatoris namque potentia est causa subsistendi omni creaturæ*. Quæ præ oculis habita sunt à D. Thoma quæst. 3. de Potentia art. 4. & alibi, nec non à B. Egidio De esse & essentia q. 3. §. *Ad ejus evidentiam*. & tota quæst. 5.

Ratio formatur sic. Nullus effectus, nullaque actio creata potest sub-

ratione entis fieri, nisi à solo Deo, qui est causa subsistendi omni creaturæ: ergo nullus effectus, nullaque actio fieri potest à creatura sine concursu simultaneo Dei: immediatè producentis effectum sub ratione entis. Patet consequentia. Quia nullus effectus fit à creatura nisi ponatur sub existentia, hoc enim est fieri, nempe poni sub existentia; existentia autem est actus ultimus entis, ut ens est; quare solum res habet existentiam, quatenus fit sub ratione entis; alioquin si non fieret ratione entis, non reciperet actualitatem entis ut entis, nempe existentiam.

Antecedens probatur. Nulla creatura potest producere effectum, aut actionem suam sub ratione entis: ergo ita fit à solo Deo. Patet consequentia & antecedens probatur 1. Quia ratio universalissima solum correspondet causæ universalissimæ; Deus autem est causa universalissima subsistendi omni creaturæ; nulla autem creatura est causa ita universalis, cum nulla sit, quæ ratione sui esse non sit in determinata specie entis. Secundo. Quia nulla est creatura, quæ possit producere omne ens producibile: alioquin posset seipsam producere: at sola causa potens producere omne ens, potest producere sub ratione entis, sub qua cadit omne ens producibile: ergo &c. Hinc creatura est merum instrumentum Dei ad actiones, & effectus sub ratione entis producendos, de quo vide quæst. sequentem à num. 33.

7. Secunda ratio pro eadem sententia

tentia sumitur ex conservatione, quæ est continuata rerum productio. Hæc ratio urgentissimè proponitur à P. Suariorum in Metaph. disp. 1. sect. 1. & sumitur ex S. P. Augustino ubi supra illis verbis: *Quæ virtus (nempe Creatoris) si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret*.

Ratio formatur sic. Nulla est creatura quæ non pendeat immediatè à Deo conservante: ergo nulla est, quæ in sui operatione non pendeat immediatè à Deo cooperante. Antecedens patet, tum ex S. P. Augustino allegato, tum ex D. Thoma quæst. 5. de Potentia art. 1. ad 7. de quo multa in Suariorum disp. 21. Metaphys. sect. 3. Consequentia probatur, quia res non minus pedit à Deo in suo operari, ac in suo esse: sed omnis causa creata operans pendet à Deo immediatè conservante eam in suo esse; ergo pendet ab eodem immediatè cooperante ad suum operari. Secundo, quia effectus productus à causa creata, immediatè conservatur à Deo: ergo ab eo immediatè fit. Ratio est clara: quia res sic se habet ad fieri, sicut ad esse: ergo si quoad esse pendet immediatè à Deo conservante, pendet quo ad fieri immediatè etiam à Deo cooperante.

8. Hinc ortæ aliæ rationes probativæ. Nam nulla est creatura, quam Deus non possit immediatè annihilare: ergo nulla est, quam non efficiat immediatè. Antecedens est certum, quia Deus habet supra omnem creaturam directum, & immediatam do-

minium; hoc est tale, ut possit, si velit, ipsam annihilare. Consequentia probatur. Quia annihilatio est mera subtractio actionis conservative: ergo si potest immediatè annihilare, potest tollere actionem immediatè factivam, & conservativam.

3. Rursus. Potest Deus per solam subtractionem sui concursus privare causam creatam sua naturali actione; sicut causam creatam privare potest existentia per solam subtractionem concursus conservativi: sed ex hoc sequitur quod causa pendet immediatè à Deo conservante: ergo ex primo sequitur quod pendet immediatè à Deo cooperante. Major patet in igne Babylónico, cui Deus sustulit suam actionem, nullo extrinseco objecto impedimento: ergo per meram subtractionem sui concursus.

Rursus. Nulla est creatura, cui non sit immediatè præsens: at est præsens omnibus per potentiam, & actionem operativam, ac conservativam; ergo nulla est creatura, quæ immediatè non sit à Deo cooperante. Hæc ratio tradita est à Platone, vocante causas secundas instrumenta primæ causæ, ut patet ex Damasc. in Philosophia cap. 9. Refertur etiam simplicius, & Trismegister in Dialogo ad Crater. dicens: *Deum ubique presentem semper agere omnia*. Et Philo. Alexand. in libro quod mundus sit incorruptibilis ait: *Deum omnibus partibus mundi assistere cooperando*.

(***)

ti in aurem interiorem, quod omnes naturas, atque substantias, quæ non sunt quod tu, & tamen sunt, tu fecisti, & hoc solum à te non est, quod non est, motusque voluntatis à te, qui es, ad id quod mi us est, quia talis motus delictum, atque peccatum est. En negat esse à Deo nedum formale peccati, quod est nihil, & non est; sed etiam motum voluntatis à Deo recedentis, ut convertatur ad creaturam. Hic motus est peccatum pro materiali, vel est entitas substrati peccaminosi.

12. Noster Ariminensis in 2. dist. 34. & 35. q. 1. art. 3. his auctoritatibus probat oppositum. Et ommissa explicatione nostri Villanovani, cui non assentior, quia videtur ponere creaturam authorem malæ voluntatis quoad materiale, quod reputo falsum, cum nullius entitatis possit creatura esse prima causa, quod importatur in ratione formali authoris. Dicimus verum sensum Parentis nostri tradi à Concilio Tridentino sess. 6. can. 6. ubi ait: *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita ut bona Deum operari, non permisisse tantum, sed propriè, & per se, adeò ut sit proprium ejus opus non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.*

En Concilium loquens de malis operibus, in quibus est substratum malitiæ, nempe entitas actionis, & formalis malitiæ, non negat Deum esse causam universalem entitatis, sed eo supposito damnat asserentes esse causam per se, & propriè talium operum, eo modo quo est operum bo-

norum. Est autem Deus per se causa, & propriè bonorum, quia illa causat, & illa per se intendit; mala autem non intendit per se, sed permittit. In hoc sensu negat P.N. Augustinus malas voluntates esse à Deo, nempe propriè, & per se, quia tunc esset author peccati, sicut author est meriti, quoniam est causa propriè, & per se operum bonorum.

In hoc sensu intellige secundum testimonium eo præcipuè, quia S. P. lib. 2. de Moribus Manich. cap. 2. ait: *Natura nihil est aliud, quam quod intelligitur in suo genere aliquid esse.* At entitas voluntatis pravæ est in genere physico aliquid, nempe actio, vel qualitas: ergo est natura. Sed in secundo testimonio dicit P.N. August. quod Deus Creator est omnium naturarum: ergo est causa prima etiam entitatis malæ voluntatis. Negat Deum esse datorem malæ voluntatis, & quod hæc à Deo sit, nempe propriè, & per se, ut negatur à Tridentino. Quare absolutè, & sine limitatione non est verum *Mala voluntas est à Deo.* Quia sonat perfectitatem sic absolutè prolatum. Sed cum addito verum est: *Mala voluntas, Vt natura est, vel ut aliquid in suo genere est, à Deo est Creator omnium naturarum.* Vide D. Thomam in 2. dist. 37. q. 1. art. 2. tradentem hanc regulam limitandi locutiones.

Tertium testimonium exponitur clarè de motu voluntatis reduplicativè ut fundat malitiam peccati; sic enim non est à Deo, sed à creatura; à Deo autem motus ille tantum specific-

ficativè sumptus, ut actio est, & entitas, sit. Patet expositio. Nam idè negat motum illum esse à Deo, quia est peccatum. At solum reduplicata malitia est peccatum, non specificativè, quia sic solum est substratum peccati: ergo loquitur de motu illo reduplicativè.

13. Sed licet Vazquio factum sit satis, non tamen fundamento præpositivi, & Durandi, quod urgetur sic. Implicat ex identificatis unum produci à Deo, & non aliud; unius esse primam causam, non alterius: sed entitas peccati identificatur cum malitia: ergo cum Deus non possit esse causa malitiæ, nec etiam pravæ voluntatis quoad materiale.

Quod si neges identitatem entitatis cum malitia, non evadis argumentum. Primum, quia saltem sic connectantur, ut illa entitas non stet sine malitia, ut patet in odio Dei, & in quocumque actu prohibito, quia malo: nam à talibus est impræscindibilis malitia: ergo qui causat entitatem, etiam malitiam. Secundò, quia saltem entitas illa reduplicativè, ut fundat malitiam, est mala, & prohibita. Vel ergo Deus illam sic producit, vel non. Si primum? Ergo & malitiam. Quia æquè mala est entitas illa reduplicans malitiam, ac malitia reduplicata. Si secundum? Ergo jam datur aliqua entitas, quæ est ens, nec terminat immediatum influxum Dei.

14. Pater Herrera disp. 8. de Prædest. per totam. Arriaga, Hurtado, Amicus, Oviedo, Quiros, &

frequenter Recentiores Societatis, docent Deum concursu universali in fluere nedum in entitatem peccati, sed etiam in formalem malitiam. Negant tamen Deum esse Authorem peccati, quia non concurrat volens ad malitiam, sed veluti coactus, & invitus contra propriam inclinationem suam, ne deficiat muneri Provisoris servando jura libertatis creatæ, quæ Deum determinat ad peccatum, cum tamen Deus vellet concurrere tantum ad opus bonum.

Sic discurrunt propter argumentum factum in favorem Durandi. Rursus, ut consequenter procedat ad sua principia, quibus contra Thomistas probant quod Deus non potest prædeterminare ad materiale peccati, quin prædeterminet ad formalem malitiam, & sit author peccati. Quare dum Thomistæ contrarium probant in concursu simultaneo, quo Deus influit in entitatem peccati, non autem in malitiam, & sic poterit ad unum prædeterminare, non ad aliud. Negant antecedens de concursu simultaneo, ne ratio eorum contra prædeterminationem infirmetur.

Accedit pro tali doctrina illud Isaia 43. ubi Deus conqueritur dicens: *Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis, præbisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Quæ verba exponuntur à Cornelio à Lapide in Persona Dei, se de hominibus conquerentis, quod ita abutantur concursu indifferenti omnipotentis, eis oblato; ut usque ad influxum in nostras iniquitates, protrahant.

15. Hanc viam non tenuerunt primores Societatis, ut Suarius tomo opusc. relectione de Libertate voluntatis Divinæ disp. 1. sect. 2. n. 22. ubi distinguens in peccato entitatem à malitia, docet Deum influere in entitatem, non autem in malitiam. Idē tenuit Vazquius tom. 1. in 1. partē disp. 65. cap. 3. num. 16. Bellarminus, Valentia, & alij antiqui. Nec mirum, quia omnes DD. antiqui hanc distinctionem entitatis à malitia agnoverunt, ut expressè traditam à P. N. August. lib. 83. qq. quæst. 21. dicente: *Deus omnium quæ sunt, Author est, quæ in quantum sunt, bona sunt*, Et subtiliùs more Scholæ à S. Anselmo lib. de Concordia præscientiæ, & prædestinationis, dicente: *Facit igitur Deus omnia, quæ justa, vel injusta voluntate sunt: in bonis quidem facit quod sunt, & quod bona sunt; in malis verò facit quod sunt, sed non quod mala sunt.*

Et quidem si nulla agnoscitur distinctio inter entitatem, & malitiam peccati; tunc vel cum Durando negandum est Deum influere in entitatem peccati; vel eo influxu admissio, concedendus est influxus Dei in formalem malitiam. Primum reputatur erroneum, ut vidimus num. 5. Secundum videtur absurdius; nam inconvenientiùs ponitur influxus Dei in malum, quàm entitas terminans tantum mediatum influxum Dei.

Et quidem Sapientiæ 11. dicitur: *Nihil odisti eorum quæ fecisti*; at Deus semper odit malitiam peccati: ergo eam nunquam fecit. Quod si

textum exponas de his, quæ Deus fecit volens, & amans. Contra: nam limitas sine fundamento, & trahis Scripturam ad sensum nugatorium, nempe *Nihil odisti eorum, quæ volens, & amans fecisti*. Præter quam quòd *Deus omnia operatur secundum cõsiliium voluntatis suæ*, ut docet Apostolus: ergo omnia volens operatur: sed volens nequit operari malitiam, alioquin esset Author, & causa per se peccati: ergo Dei influxus nequit se extendere in malitiam.

Rursus, Proverb. 16. dicitur: *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus*. Nec Deus potest esse prima causa efficiens ejus, cujus non est prima finalis. Sed malitia peccati non est ordinabilis in Deum finem ultimum, quia potiùs avertit à Deo sine ultimo: ergo nec Deus ut causa prima potest efficere malitiam.

Præterea: Deus nequit causare, aut facere quod non continet: sed summa Dei bonitas non continet ullam malitiam: ergo nec coactus potest influere in malitiam. Adde ex P. N. Augustino, quòd mala voluntas (intellige pro formali) *Non habet causam efficientem, sed deficientem*; cõsonat Anselmus, *Talia non sunt potentia, sed impotentia*: at Deus nec coactus potest esse causa deficiens, aut impotens: ergo nec coactus potest influere in malitiam.

16. Crediderim acutissimos Societatis RR. in hunc scopulum offendiße æstu disputationis contra prædeterminationem ad materiale peccati, cum pro ea validè impugnanda nece-

cessarium nõ sit ponere concursum Dei in formalem malitiam, ut patet in RR. alijs ut Zamel, qui negat talem prædeterminationem, nec ponit concursum Dei, nisi in solam entitatem. Nec instantia de concursu simultaneo ad prædeterminationem, est ita insolubilis, maximè in principijs sciëntiæ mediæ, quibus creatura determinat concursum Dei. Imò inde suadetur fortiùs Deum nõ prædeterminare ad materiale. Nam quia Deus in concursu simultaneo nõ determinat, sed determinatur à creatura; ideò attingit entitatem peccati, non malitiam; sed creatura determinans attingit utrumque, quia est agens, & simul determinans. At si Deus prædeterminat ad materiale, est simul agens, & determinans: ergo ei tribuenda est non sola entitas, sed malitia adjuncta.

Textus Isaia, ut exponitur à Cornelio, non urget, tum quia illa expositio est tantum in sensu morali, unde nullum efficacium argumētum desumitur. Tum quia pro illa nullum addat testimonium Scripturæ, aut Patrum, quare PP. Dominicani reponunt, eam ortam ex unico fonte sententiæ, quam impugnamus. Tum quia à PP. & Commentatoribus in triplici alio sensu longè diverso exponitur; quibus prætermisissis, en unica, quæ ab eodem Cornelio approbatur, & tradita est à S. Cirillo, Theodoro, Lactantio, Eusebio, Oleario, & alijs, sequentis præcipuos Ecclesiæ Doctores. Ea traditur à Lirano in Glossa loco citato, ubi dicitur sic,

Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis. Id est pro peccatis tuis expiandis. Hoc perfectissimè fuit impletum in Deo & homine Christo, qui formam servi accepit, ut pro peccatis nostris satisficeret. Prosequitur. Præbuiisti mihi laborem, id est fuisisti mihi occasio, ut laborem passionis sustinerem. Unde prosequitur Isaia Dei nomine, confirmans hunc sensum, dicens: *Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me*. En Deus servivit, ut deleteret iniquitates nostras, non ut faceret, aut in eas influeret. Quidquid sit de doctrina ista, nostra solutio ad mentem antiquorum tradenda est, cum quibus.

17. Ad replicam positam num. 13. nego min. nempe quòd entitas peccati identificetur cum malitia. Contrarium docent Patres, & Theologi cum Magistro in 2. dist. citata. Et quidè entitas peccati est aliquid, & natura, ut vidimus ex P. N. August. num. 12. Sed malitia, & peccatum pro formali non est aliquid, sed nihil juxta P. N. Augustinum; quia *Sine ipso factum est nihil, id est peccatum*, ut ibi reponit M. P. Augustinus: ergo nisi velis quòd aliquid & nihil identificentur, non poteris identificare in peccato entitatem, & malitiam. Imò inde probat S. P. Augustinus peccatum esse nihil, quia non est factum à Verbo Divino, per quod facta sunt omnia: ergo cum entitas sit aliquid, & natura facta per Verbum, secus formalis malitia, inde sequitur & distinctio entitatis à malitia; & quòd concursus Dei efficiens entita-

entitatem, non efficit malitiam.

Scio aliquos Theologos post Cajetanum, docere malitiam peccati commissionis consistere in positivo. In qua sententia illud positivum & est ens, & est malum formaliter. At non teneor defendere sententiam, quam ex professo impugnat S. P. Augustinus, ut devincat Manichæos. Eius probabilitas penes authores suos sit, apud quos entitas illius positivi identificatur cum formali malitia, agrè solvendo quomodo Deus infuit in illud positivum, & non in formalem malitiam. Augustiniana via, quæ & aliorum SS. PP. est, his pressuris non coarctatur, quia malitia non est ens, sed nihil; quare sicut implicat quoddam nihil & ens identificentur, & quoddam nihil fiat, ita implicat quoddam entitas peccati identificetur cum malitia, & quoddam fiat à Deo, à quo fit entitas peccati.

Præterea: Entitas peccati sumitur in actione physica per ordinem ad existentiam. Malitia autem sumitur per ordinem ad Divinam legem, aut bonitatem Dei, à qua discordat actio peccaminosa. Hæc sunt duo genera primò diversa, & entitas pertinet ad genus physicum, malitia ad genus morale. Sed quæ sunt primò diversa, & sumuntur à principiis longè diversis, non possunt identificari: ergo in peccato entitas, & malitia non identificantur.

Rursus. Nulla est actio peccaminosa, nisi sit libera, & voluntaria, nam in naturalibus nec meretur, nec demeretur. Ergo odium Dei, & quod-

cumque peccatum etiam ex eis quæ dicuntur prohibita, quia mala, non sunt mala moraliter, nisi sint libera, & voluntaria. Sed juxta Doctores Societatis communiter libertas est extrinseca actibus voluntatis, & provenit à iudicio indifferenti, vel ab alijs causis, quæ possunt deficere, etiam actu manente, & intrinsecè immutato: ergo malitia odij, quæ non stat sine libertate illius, est etià odio extrinseca. Ergo stare potest odium non liberum, nec malum formaliter. Sed quæ separantur realiter, non identificantur: ergo nec in odio Dei entitas identificatur cum malitia. Hinc replica posita num. 13 habet minorem falsam.

18. Nec verior, aut urgentior est replica secunda; nam falsum est quoddam entitas peccati connectatur cū malitia adhuc in odio Dei. Etenim fieri potest odium ab amete, à fatuo, aut à non habente indifferentiam iudicij; in quo eventu odium non esset liberum; & sic non esset peccatum, nec haberet formalem malitiã: ergo non sic connectitur entitas odij cum malitia, ut sit ab ea imprescindibilis. Potest ergo creatura efficere entitatem illam, & non malitiã: cur non potius influxus Dei poterit unum sine alio attingere? Equidem verum est, quoddam creatura hic, & nunc existens cum requisitis ad liberè operandum, nequit odium sine malitia ponere. At Deus creaturæ cooperans entitatem tangit, non malitiam.

Hujus ratio datur à Theologis multipliciter. Pro nostris Philosophis

Questio XVI.

ea sufficiat, quæ traditur à P. N. Augustino ubi supra num. 11. Deus sua actione, & influxu solum tangit id, quod cadit intra Divinam causalitatem. Sicut visus in pomo attingit colorem non saporem, quia sapor non cadit intra causalitatem potentie visivæ. At intra causalitatem Dei cadit entitas peccati, non malitia. Nam entitas est; malitia non est, quia est nihil: unde à Deo qui summè est, nequit esse malitia, quæ est nihil. Hic reponere omnia dicta num. 15. quæ probant etiam quoddam formale peccati non cadit intra causalitatem omnipotentie.

Ad ultimam replicam dic, quoddam entitas peccati reduplicativè ut fundat malitiã, non est à Deo; nam entitas illa, ut à Deo, non fundat malitiã, sed ut à creatura ponitur. Inde non sequitur quoddam aliqua entitas à Deo non sit; sed quoddam entitas, quæ specificativè sumpta, à Deo est, non sit à Deo sub reduplicatione Deo repugnante. Et hoc verum est; ceterum inde nil contra nos. Sic motus tibie curvæ claudicantis ab anima est, à qua est principium omnis motus vitalis. At non est ab anima motus ille reduplicativè ut claudicationis est, sed specificativè ita, ut totus motus sit ab anima, & defectus à tibia curva.

19. Ad 1. confirm. positam 11. 4. patet ex dictis num. 10. Falsum enim est, quoddam materia & forma in suis causalitatibus unicè pendeant à concursu medio Dei, dante virtutes recipiendi, & informandi, Ultra e-

§. III.

nim requiritur quoddam Deus concurrat ad actualem receptionem, & informationem; non concursu informativo, & receptivo, ut aliqui putaverent, nam talis Deo repugnat; sed concursu effectivo, quo Deus verè efficit quoddam materia recipiat, & forma in forma formet. Immo verè etiam Deus efficienter immediatè causat illud esse, quoddam forma dat materiæ, & esse quoddam materia dat formæ à nobis explicatū in hoc libro quæst. 7. Unde nec ista causa, quæ in suo genere dicuntur primæ, causare possunt sine concursu immediato Dei.

Dicuntur autem causæ primæ cum addito, nempe in genere materiali, & formali; eò quoddam licet à Deo immediatè pendeant, ut dictum est, non pendent à Deo. causante in eis generibus, sed in alio, nempe in genere efficientis. Quo fit, ut licet absolute non possint dici primæ causæ, bene tamen cum addito: Pro solutione ne secundæ confirmationis sit.

§. IV.

Disquiritur, an Deus ad extrã, concurrat actione secum identificata.

20. **N**EGANT communiter DD. Societatis Deum ad extrã operari per actionem immanentem, secum identificatam. Sic Suarez ubique, sed expressius in tractatu de auxilijs, ubi sæpè docet actionem immanentem Dei se habere per modum principij actionum nostrarum, & effectuum ad extrã, nota

ramen per modum actionis. Expres-
sus docetur à P. Hurtado in Philo-
sophia disp. 10. sect. 3.

Potest hæc sententia multis pro-
bati, quæ infra forsitan expendemus
lib. 3. quæst. 4. Interim probatur 1.
Quia si Deus ad extrâ concurrît a-
ctione secum identificata, illa erit
causa actionis creativæ: ergo non e-
rit concursus simultaneus, sed præ-
vius. Patet conseq. Quia causa præ-
cedit suum effectum: ergo si actio
Dei causat actionem creaturæ, erit
concursus præcedens, non simultaneè
concurrrens.

2. Nam si actio Dei causat a-
ctionem creaturæ, jam ad unam a-
ctionem ponitur alia; sed ad actio-
nem non datur actio, ut docet Arist.
15. Physic. nec videtur necessaria, sed
superflua; cum actio sit dependentia
effectus à causa; superflua est nova
actio, & dependentia, ut actio crea-
ta dependeat à Deo: ergo.

3. Actio cum Deo identificata,
est immanens, & æterna: sed ad ef-
fectum temporalem, & extra Deum,
non deservit actio immanens, & æ-
terna: ergo Deus ad extrâ non con-
currit actione secum identificata.
Minor probatur. Quia sola actio trã-
siens producit effectum ad extrâ. Itè
effectus nequit esse temporalis, nisi
ejus productio sit in tempore; actio
autem æterna non est productio tẽ-
poralis, & in tempore, sed æterna, ut
sunt productiones vel processiones
Divinarum Personarum.

4. Ad unicum effectum sufficit
unica actio, sicut & unica productio:

sed si Deus ad extrâ operatur per a-
ctionem identificatam, tunc ponitur
pro unico effectu duplex actio, una
Dei, altera agentis creati: ergo su-
perfluè.

21. Et confirmatur. Nam quan-
do agentia sunt inter se subordinata,
potest ab eis oriri eadem actio, sicut
ob eandem rationem ab eis oritur
idem effectus: sed si eadem actio po-
test oriri à duplici agente subordina-
to, potest utrumque agere per illam,
& sic superfluit duplex: ergo cum
Deus & creatura simul concurrentes,
sunt duæ causæ subordinatæ, Deus nõ
concurrit actione identificata, sed
creata & à Deo distincta.

Hæc ratio sumitur ex D. Tho-
ma 1. p. q. 105. art. 5. ad 2. ubi ait:
*Vna actio non procedit à duobus agen-
tibus (supple totalibus) unius ordi-
nis: sed nihil prohibet, quòd una, & ea-
dem actio procedat à primo, & secundo
agente.* Concinit B. Ægidius in 2.
dist. 28. quæst. 1. art. 1. §. Cum ergo
dicens: *Erit enim una, & eadem ope-
ratio à Deo, & à natura: sed à Deo
principaliter, & à natura instrumenta-
liter. Sicut unum & idem est opus ar-
tis ab artifice, & à dolabra.* Quod in-
tellige de causis necessarijs. De libe-
ris idem docet in 2. dist. 37. q. 1.
art. 3.

Confirmatur 2. ratione effica-
ci, qua utitur P. Suarius in Metaph.
disp. 22. sect. 3. num. 4. Si Deus &
creatura diversis actionibus concur-
runt ad eundem effectum, quæritur
an actio creaturæ sit à sola creatura,
an verò etiam à Deo per se, & im-
me-

mediatè? Si primum? Incidis in sen-
tentiam Durandi negantis actiones
nostras esse à Deo immediatè. Præter
quam quòd rationes suprâ positæ ad
suadendum quòd omnis effectus pen-
det immediatè à Deo, potiùs probât
de actione creata, quæ vel non di-
stinguitur ab effectu, vel habet esse
modale diminutum, & idè magis
dependens à primo ente. Si secundû?
Ergo actio creaturæ non est ejus tan-
tùm, sed Dei, à quo sicut à creatu-
ra oritur immediatè, & est activa
productio effectus à Deo, & creatu-
ra. Vt quid ergo ponenda est alia a-
ctio pro concursu Dei?

Si dicas, actionem creaturæ ef-
se à Deo, ceterùm per aliam actio-
nem. Contra est, nam vel illa secun-
da actio est immanens, vel transiens.
Si primum? Non tam est actio, quàm
principium, & est volitio Dei æter-
na, qua voluit omnipotentiam præ-
parare ad concurrendum. Hoc non est
actio, sed potiùs potètia, aut comple-
mentũ potètiæ ad concurrendũ. Si
secundû? Ergo datur processus in infi-
nitũ. Nam sicut actio creaturæ non o-
ratur immediatè à Deo, sed per aliam
actionem transeuntem: ergo hæc secun-
da actio transiens non erit immedia-
tè à Deo, sed per aliam transeuntem:
quare procedemus in infinitum. Stã-
dum ergo est in primis, nempe quòd
actio creaturæ est immediatè à Deo
sine alia actione mediante inter om-
nipotentiam, & actionem creatam.

22. Contraria sententia est om-
nium ferè Thomistarum, quã novis-
simè defendit pro viribus Palanco
tom. de Providentia, tum in

Philosophia, inde putans efficaciter
probari physicas prædeterminatio-
nes, maximè eas, quæ non in quali-
tate prævia, sed in actione Dei im-
manente consistunt, ut causante no-
stros actus. Quod prævidit P. Hur-
tadus ubi suprâ, docens quòd negan-
tes Prædeterminationem, tenentur ne-
gare actiones nostras esse effectus a-
ctionis distinctæ propriæ solius Dei;
et si non loquatur ibi de actione im-
manente, sed de transeunte. Sic etiam
procedit Ildephonsus Michael Do-
minicanus 1. p. q. 25. dub. unico.
Quæ sententia nedum est D. Thom.
ut docent Thomistæ citati à Parra
hic disp. 6. Sed etiã B. Ægidij Quod-
lib. 6. q. 4. ut benè notat N. Villa-
nova ubi suprâ.

Hæc sententia non ponit voli-
tionem Dei nomine actionis imma-
nentis, ut putant cū Suario DD. Socie-
tatis, nec decretum applicativum om-
nipotentia, ut dicunt alij; sed sup-
posita aliquali distinctione omni-
potentia ab intellectu, & voluntate, di-
cit, quòd Deus ad extrâ operatur per
actionem omnipotentia, distinctam
aliquomodo à volitione, & intelle-
ctione Dei. Quæ actio est exercitium
omnipotentia actu producentis ad
extrâ: unde non est actio præparati-
va concursus omnipotentia, sic enim
esset principium, aut complementũ
omnipotentia in actu primo, ut do-
cet Suarius; sed est actuale exercitiũ
omnipotentia actu producentis, quo
producit actu effectum creaturæ,
& etiam actionem creatam.

Adverte pro intelligentia do-
ctrine D. Thomæ, & B. Ægidij, quòd
C actio

actio ista potest sumi *activè*, & *passivè*. Activè sumitur pro actu immanente identificato cum omnipotentia, & de eo est nostra conclusio. Passivè sumitur pro ejus effectu, aut termino. Cùmque effectus actionis Dei sit etiam actio creata; idèò actio creata dicitur etiam actio Dei, sed tunc sumitur *passivè*. In hoc sensu sæpè dicitur à BB. DD. eadem actio Dei, & creaturæ; itèò quòd creatio non distinguitur ab esse creaturæ, quod verum est de creatione *passivè* sumpta, non *activè*.

23. Probatur hæc sententia ex S. P. Augustino locis datis num. 5. ubi loquens de concursu Dei ad extrà, illum nominat in singulari, & dicit esse latentem operationem. Sed si Deus ad extrà operaretur per actionem creatam, & formaliter transentem, illa non esset unica, sed multiplex juxta multiplicatam effectuum; rursus, non esset latens, sed patens ad sensum, sicut ad sensum patet calefactio, infrigidatio, motus localis &c. Ergo tenet Deum ad extrà operari per actionem secum identificatam, quæ sola, & unica potest ad omnia, sicut unica omnipotentia, cujus est actio; & latet, quia non apparet sensibus, nisi ejus effectus.

Et confirmatur ex dictis num. 6. de mente S. Parentis, D. Thomæ, & B. Ægidij. Nam Deus ad extrà immediatè concurret ad omnes effectus sub ratione universalissima entis, sub qua nulla creatura potest producere: ergo concurret per actionem quæ tangit effectum sub ea ra-

tione, sub qua nulla actio creata potest efficere. Patet conseq. Quia virtus, & actio proportionantur in attinentia effectus; nec aliud est actio, quàm virtus operans in actu secundo aut expressio virtutis. Ergo si nulla virtus creata potest agere sub ratione entis, nisi sola omnipotentia, quæ est omnis virtus, ita nulla actio creata potest sic agere, nisi sola actio identificata cum omnipotentia, quæ est omnis actio.

24. Probatur 2. Quia in sexta synodo Generali damnata est hæc propositio contra Monothelitas *In Christo Domino datur unica tantum operatio*. Rationem dedit D. Thomas q. unica de Unione Verbi in disp. art. 5. dicens inde damnatam, *Quia ex hoc quòd aliquis ponit unicam actionem in Christo, sequitur ponere unam naturam*. En ratio. Pluralitas naturarum infert pluralitatem operationum; est enim natura principium radicale operandi; unde diversa principia, inferunt diversas operationes radicales. Sed Deus, & creatura ad eundem effectum concurrentes, sunt diversæ naturæ; immò minus adunantur, quàm in Christo, ubi uniuntur in unitatè Personæ, & suppositi: ergo Deus, & creatura concurrunt diversis actionibus ad eundem effectum; & Deus per solam actionem identificatam, quia hanc solam potest radicare natura Divina.

Hinc D. Thomas in 3. Sentent. dist. 23. q. 3. art. 1. docet actiones secundorum agentium fundari supra actiones primi agentis, Et 3. p. q. 19. art.

art. 1. in corp. dicit: *Vbicumque sunt plura agentia subordinata, inferius movetur à superiori, sicut in homine corpus movetur ab anima, & inferiores vires à ratione. Sic igitur actiones inferioris principij sunt magis operata quedam, quàm operationes; id autem quod pertinet ad supremum principium, est propriè operatio*. En plura. Primò operatio creaturæ est distincta ab operatione Dei, quia hæc est propria operatio, non illa. Secundò, & est ratio prioris. Operatio creaturæ est effectus actionis Dei, unde est quoddam operatum; secus actio Dei, quæ non est operatum, nec effectus, sed causalitas activa tum actionis creatæ, tum effectus ejus. Tertiò, nam sic Deus concurret ad effectus nostros, sicut anima ad motum corporis: at anima non concurret immediatè per actionem, & motum corporeum, sed per actionem spirituales, nempe imperij voluntatis: ergo nec Deus concurret per actionem creatam, sed per increatam, quæ est propria omnipotentie.

25. Probatur 3. Quidquid Deus ad extrà operatur, efficit per virtutè infinitam, quia agit per omnipotentiam, quæ est virtus infinita: ergo id agit per actionem omnipotentia cum ipsa identificatam. Probatur consequentia. 1. Quia nulla potentia infinita potest agere per actionem à se realiter distinctam; sicut à contrario, nulla potentia finita potest agere per actionem secum identificatam. Secundò. Nulla potentia infinita potest perfici per actionem distinctam; alioquin perficeretur perfectione finita. At po-

tentia agens perficitur per suam actionem: ergo si virtus Dei est infinita, nequit agere per actionem, nisi cum potentia identificatam. Tertiò. Agens impotens agere per virtutem distinctam, est infinitum in linea agendi: sed agens sic infinitum nequit agere per actionem distinctam: ergo si Deus &c. Probatur min. Infinitum in ea linea qua infinitum est, identificat suam ultimam actualitatem: sed ultima actualitas in linea agendi est operatio: ergo agens infinitum nequit agere per actionem distinctam.

Confirmatur. Agens infinitè vivens, quod operatur per virtutem vitalem, operatur vitaliter, & vivit infinitè dum sic operatur: sed Deus solùm potest vivere vita & actione secum identificata, ut patet; actio enim creata, vel non est vitalis, vel est vita finita, per quam Deus nequit vivere: ergo Deus sic vivens, & operas vitaliter, nequit agere nisi per actionem secum identificatam. At Deus sic vivit, & agit per omnipotentiam, quæ sive distinguatur, sive non ab intellectu & voluntate, semper est potentia vitalis, & vitaliter operans, non modo mortuo & inanimato: ergo agit vitaliter, & ut infinitè vivens.

Confirmatur 2. In actione creativa, quæ est actio Dei ad extrà, propria omnipotentia, nec potest esse distincta ab omnipotentia. Nam si esset transiens formaliter, & creata, haberet subjectum inhesionis, in quo reciperetur. Sed hoc non habet: ergo quia creata non est. Probatur minor.

Tale subjectum non est Deus, qui nil potest recipere distinctum, nec in tempore ob suam immutabilitatem. Non etiam creatura terminans actionem, & ab ea producta; quia actio præcedit terminum, & si terminus esset subjectum inhesionis, & causa materialis receptiva actionis, deberet præcedere actionem. Præterea: Creatio sic dicitur, quia nullum subjectum præsupponit: ergo quia nullum subjectum habet inhesionis, & receptionis. Non ergo est creata, & distincta ab omnipotentia, sed cum ea identificata.

26. Respondent AA. contrarij cum P. Suario creationem non habere subjectum inhesionis ob rationem datam; habere tamen subjectum adhesionis, quia adhæret ipsi termino producto, quod sufficit pro actione creata, nec requiritur subjectum præsuppositum. Hæc solutio multis impugnatur à M. Palanco in Philosophia, & ab eis superfedemus; videantur ibi. Nobis sufficiat, quod creatio *passio* non distinguitur ab esse creaturæ, ut dicemus lib. 3. quare sicut esse essentia creata non recipitur, sed recipit existentiam; esse autem existentia recipitur in essentia creata; ita creatio *passio*, ut dicit esse essentia, in nullo recipitur; ut autem dicit esse existentia, recipitur in essentia.

Creatio autem *actio*, de qua procedebat argumentum, necessario est actio infinita, & sic cum Deo identificata. Nam ideo juxta D. Thomam, & B. Aegidium, virtus creativa est

infinita, nec potest creaturæ communicari, quia producit rem ex nihilo, & vincit infinitam distantiam inter nihilum, & esse; nequit autem creaturæ communicari virtus infinita; nec agere sine dependentia à subjecto præsupposito: at hæc ratio probat ideo actione creativa *active* sumpta: ergo creatio *actio* necessario est infinita, & sic cum Deo identificata.

27. Ad fundamenta contraria respondemus, & ad primum positum, 20. dicimus quod actio immanens Dei est causa non solum effectus creati, sed etiam actionis creaturæ, ut vidimus ex D. Thoma, & ob id actio creata non tam est operatio, quam quoddam operatum, ut dictum est. Et dum inferis, quod actio illa non tam erit concursus simultaneus, quam prævious, disting. consequens, relatè ad actionem creaturæ, concedo, relatè ad effectum ejus, nego consequentiam. Actio Dei est concursus prævious, vel est præoperatio relatè ad actionem creaturæ, quia illam causat, & præcedit, ut vera causa illius. Ceterum relatè ad effectum est concursus simultaneus, quia sic solum petit præcedere effectum pro signo anteriori ad signum effectus. At in signo anteriori ad effectum jam intelligitur etiam actio creaturæ: ergo in eo signo sunt simul, & ab hac simultate dicitur simultaneus concursus Dei.

Dices: Saltem non est simultaneus respectu actionis: ergo negamus cum Durando concursum simultaneum ad actiones creatas, unice ponentes prævious, ut docuerunt aliqui.

qui. Respondeo, Durandum negasse influxum Dei immediatum in actiones nostras; & ob id malè audit apud Theologos. Nostra sententia defendit influxum immediatum Dei in nostros actus; concedit tamen respectu eorum non esse vocandum simultaneum: sed lis est de nomine. Alij verò Theologi recurrentes ad concursum prævious, ut sint pro Durando, loquuntur de concursu prævio purè applicativo virtutis creatæ ad agendum, non de factivo actionis creatæ. Nostra sententia ponit concursum prævious factivum immediatè actionis creatæ; quare non sumus cum DD. Durandum defendentibus.

Ad 2. respondemus quod ad unam actionem non datur alia ejusdem rationis, v.g. ad unam immanentem alia immanens, vel transiens ad transeuntem: benè tamen ad actionem transeuntem datur immanens, ut patet de actione immanente animæ, qua movet potentias transeuntes operantes; immò ad immanentes, creatas stat immanens Divina, tum quia sunt in diversis, & pro diversis agentibus, & Aristot. 5. Physic. loquitur de unico agente: tum quia aliquando actio non est pura actio, sed effectus, & quoddam operatum, & tunc ad illam datur alia, ut ex D. Thoma dictum est. Nec urget quod actio est dependentia ab agente; & actio creata per se ipsam dependet à Deo. Concedo totum: sed non ideo ponitur actio immanens Dei, ut ea sit dependentia termini à causa; sed ut sit exercitium activum, & vitale

Dei operantis semper vitaliter, sicut semper agit per omnipotentiam, quæ est virtus essentialiter vitalis.

Ad 3. dic, quod actio Dei formaliter immanens, est tamen virtualiter, & eminenter transiens, quod sufficit, ut producat terminum ad extram. Est etiam actio æterna, sed solum in tempore ponit effectum; quia in agentibus per intellectum, & voluntatem stat effectus quando volunt: vult autem Deus solum in tempore producere. Nec actio Dei est sicut nostra, quæ pendeat à termino, aut non possit stare sine illo. Stat enim ab æterno cum Deo identificata, sed solum in tempore producit. Hinc fit, ut actio Dei formaliter sit æterna; sed causaliter temporanea, quia solum in tempore, ut vult, ponit effectum extram se.

Ad 4. dic, quod pro unico effectu sufficit unica actio *passive* sumpta, quia actio sic est ipsum esse effectus cum relatione dependentia à sua causa. Si effectus est unus, tunc esse est unum; relatio dependentia etiam una est, tum numericè, quia induatur à fundamento, & subjecto; & hoc est unum, nempe esse effectus: tum specificè, quia terminus est verus formaliter, nempe agens. Et licet Deus, & agens creatum, sint diversa principia, se habent, vi subordinationis ut unum adæquatum principium, & sic ut unus terminus formaliter dependentia effectus. At non sufficit pro unico effectu unica actio *active* sumpta, si principia sint diversa, quia nequeunt actuari per eandem actua-

litate actionis, ut ostensum est.

28. Ad 1. confirm. positam n. 21. dic, quod ab agentibus subordinatis potest oriri idem effectus, & etiam eadem actio, sed non æquè immediatè immediatione actionis, benè tamen immediatione virtutis. Est dicere, quod sicut effectus, & etiam actio creata immediatè oriuntur à virtute creata, quia inter virtutem creatam, & ejus effectum, aut actionem, non mediat alia virtus; sic à Deo oritur utrumque immediatè, quia inter virtutem Dei, & effectum, aut actionem creatam, non mediat virtus creata, ut putavit Durandus, sed virtus Dei immediatè respicit effectum creatum, & creatam actionem.

At non æquè immediatè immediatione actionis. Nam inter virtutem creatam, & ejus actionem non mediat alia actio; ceterum inter virtutem Dei, & actionem creatam mediat actio Divina. Hujus ratio est multiplex. Sume duplicem. Prima, quod actio creata respectu creaturæ est actio, non effectus; sed respectu Dei est effectus, non actio. Quare sicut creatura media actione producit effectum, sic Deus media actione immanenti producit actionem nostram. Secunda. Actio creata immediatè oritur à virtute creata, quia illam potest actuare, & perficere. At non potest actio creata perficere omnipotentiam; unde oportet ponere actionem Divinam pro omnipotentia, quæ eam perficiat dum agit nedum effectus nostros, sed nostras actiones.

Sic intellige authoritatem D.

Thomæ nobis objectam nempe quod eadem actio est à primo, & secundo agente immediatè immediatione virtutis, sed non immediatione actionis; quia actio secundi agentis non est actio primi, sed effectus, & quoddam operatum per aliam actionem, ut ex D. Thoma dictum est. Clariùs id patet in authoritate B. Ægidij nobis objecta. Nam artifex utens dolabra, aut instrumento, sua actione causat actionem instrumenti; & ibi intervenit duplex actio, una artificis, alia instrumenti artificialis, & illa est causa hujus suo modo. Sic veriùs in supremo artifice, cujus actio increata est causa nostrarum operationum.

29 Ad 2. confirmatione ex P. Suarezio, dicimus quod actio creaturæ non est à sola creatura, sed à Deo etiam immediatè, & per se; non quidem immediatione actionis, sed immediatione virtutis, ut explicatum est. Nec idè incidimus in sententiam Durandi; nam hic ponit Deum concurrere solum mediatione virtutis, quatenus dando virtutem creaturæ, est causa actionis ejus, & sic mediata, è quod inter virtutem Dei, & actionem creatam mediat virtus creata. Non sic dicimus, quia tenemus actionem creatam immediatè, & per se oriri à virtute Dei, sine mediatione virtutis creatæ.

Nego tamen primam consequentiam, nempe quod actio creaturæ non sit tantum creaturæ, sed Dei. Est ergo Dei ratione dominij, influxus, & conservationis; sed non est Dei in sensu arguetis, nempe sicut est actio creaturæ.

11. Nam ita est actio creaturæ, ut sit unica causalitas ejus, qua agens perficitur, & effectus ponitur in re, ut à creatura. Hoc modo non est actio Dei illa actio creata; tum quia Deus non perficitur per illam, nec potest, ut probatum est. Tum quia vi illius non ponitur in re effectus prout à Deo est, nempe sub ratione entis, quia nulli actioni creatæ potest id convenire, sicut nulli virtuti creatæ convenit vis, & potentia sic agendi.

Ad replicam in contrarium dicimus, quod illa actio per quam fit à Deo actio creata, non est transiens, sed immanens. At non est volitio Dei, aut decretum, quo decrevit omnipotentiam præparare in auxiliu creaturæ, ut putant DD. contrarij; sed est actio immanens posterior tum ad decretum præparativum omnipotentia, tum ad omnipotentiam in actu primo preparatam. Vno verbo, illa actio non est exercitium voluntatis decernentis, aut imperantis concursum omnipotentia, sed est exercitium ejusdem omnipotentia actu exequentis, quod decrevit, & imperavit voluntas Divina. Hic actus, ut patet, non est principium actionis nostræ, nec complementum omnipotentia in actu primo, sed est verus actus secundus, & actio omnipotentia causantis nostras actiones. Cur autè renuant DD. Societatis concedere ante nostras actiones actionem Dei, quæ sit actio, concedentes se habere per modum principij, explicabimus quæst. seq. & satis indicatur à P. Hurtado ubi supra.

Ad 1. confirmat. positam num. 4. cujus occasione data est præcedens doctrina, respondemus facillè, quod Deus, & creatura non concurrunt ad effectum per eandem actionem, sed per diversam, ita ut actio Dei semper sit infinita, & cum Deo identificata. Nec contra urgent duo objecta ab arguente. Nam primum jam solutum est num. 27. Secundum solvitur facillè, notando tria signa, primum in quo est actio Dei causans actionem creatam: secundum, in quo jam existit actio creata causans effectum: tertium, in quo existit effectus causatus. Actio ergo Dei præcedit actionem creaturæ, unde est in primo signo, & ibi est causans; sed non causans effectum actionis creatæ, sed solam actionem creatam. In secundo signo actio Dei causat effectum creatum, ceterum in eo jam est etiam actio creata causans & concausans. Quare non sequitur, quod effectus prius causetur ab actione Divina, postea ab actione creatæ; non certè sic, quia signum præcedens effectum, est signum utriusque actionis concausantis. Et licet actio Dei præcedat ut causans ante actionem creatam, est causans pro illo signo tantum actionem, non effectum actionis.

30. Ex dictis colliges quid dicendum sit ad duo dubia. Primum est, an causæ diversi ordinis subordinate, v.g. Deus, Sol, & agens sublunare, concurrant eadem actione, an diversis? Respondemus, quod *passivè* sumpta actione, concurrunt per eandem; sed *activè* sumpta, per diversam. Ratio

tio primi est, quia actio passivè sumpta, est ipsum esse termini, ut ab agente; quare solum addit supraditatem termini relationem dependentiæ à suis principiis: sed terminus tunc est unus, & idem ab illo triplici principio; ratio etiam est eadem numericè, & specificè, ut supra dictum est: ergo actio passivè sumpta, est eadem in causis subordinatis. Ratio secundi, quia actio activè sumpta, est perfectio agentis, radicata in natura ejusdem: sed causæ, licet subordinatæ, habent diversas naturas, & radicanter diversas actiones, quibus perficiuntur in linea agendi: ergo sumpta actione activè, non concurrunt per eandem actionem, sed per diversam.

Sic loquimur hic, quia loquimur consequenter ad principia Thomistica, & Ægidiana circa actionem creativam, quam sic dividunt activè, & passivè. At lib. 3. q. 4. ex principiis B. Ægidij dicimus, quod omne agens pro effectu transeunter producto, utitur duplici actione transeunte, & immanente. In qua sententiâ dicendum est, quod causæ subordinatæ concurrunt diversis actionibus immanentibus, sed per eandem transeuntem. Et in hoc sensu intellige B. Ægidium, & D. Thomam, dum insinuant quod Deus, & creatura agunt per eandem actionem. Quod si instes ex his dictis; quomodo Deus per actionem transeuntem creatam producit effectum sub ratione entis, sub qua nulla virtus creata potest producere? Respondeo, quod actio illa elevatur

ab actione immanente Dei, sic productiva. Immo cum creatura producat etiam esse sui effectus, ut instrumentum Dei elevatur actio creature, ut dicemus quæst. seq. §. 6.

31. Hoc amplius explico, ut facile dissolvas plura, quæ solent obijci contra Doctrinam datam de productione effectus sub ratione entis à solo Deo. Fatemur quod creatura agens producat totum effectum, & totaliter ex parte rationis quæ; unde nulla est formalitas in effectu, quam non producat causa creata. Quo fit, ut producat rationem entis qua convenit cum alijs entibus, & vi cujus ei convenit existentia, quæ est complementum entis, ut ens est; & producat rationes specificas, & individuales talis entis. Totum hoc producit causa creata, & dat suo effectui ea complementa, quæ correspondent, nempe existentiam enti, subsistentiam substantiæ, individualitatem individuo enti, suppositalitatem supposito &c. At pro his omnibus (si rationem entis excipias) est causa principalis, agens virtute adæquata, & propria: ceterum pro ratione entis, & existentia ei correspondente, non est causa principalis, sed merè instrumentalis; quia ille effectus est proprius solius Dei, qui est causa universalissima totius entis.

Hinc fit, ut creatura non possit totum effectum producere, nisi elevetur à Deo causa unica principali entis, ut ens est. Quare sicut inde n. 6. probatus est immediatus concursus Dei in omnem effectum creaturæ; inde pro-

probatur etiam, quod creatura nequit agere in effectum, nisi elevetur ad producendum in consortio Dei, quod à solo Deo est causabile. Hæc elevatio non est in actu primo per additionem alicujus virtutis, quia instrumenta non elevantur sic, ut dictum est hoc libro q. 11. §. 2. sed est elevatio in actu secundo, quatenus actio creature assumitur à Deo simul concurrente, ut producat etiam existentiam, & rationem entis, quæ est in effectu. Inde evenit quod licet virtus factiva entis, ut ens est, sit infinita, & incommunicabilis creature; nihilominus creatura est elevabilis ut instrumentum Dei ad entis productionem: quia non elevatur in actu primo per receptionem virtutis, qua sit potens producere; sed elevatur in actu secundo ut actu producat, ex vi solum quod actio creature assumatur à Deo causa principa-

li talis effectus. Hæc dicimus consequenter ad dicta quæst. citata de elevatione instrumentalis causæ, & præcisivè à dicendis de concursu prævio, quo creatura movetur ut instrumentum Dei, de quo q. seq. §. 6.

Secundum dubium est, in quo recipiatur concursus Dei simultaneus? Respondetur facile, quod cum concurrat ille sit actio Dei immanens cum Deo identificata, non recipitur in creatura, sed in Deo est per identitatem. Passivè autem sumpta, sic est effectus per illam productus: quare vel formaliter nullum petit subjectum inhesionis, aut adhesionis, ut dicemus de actione lib. 3. q. 3. vel identicè sumpta, recipitur in eo subjecto, in quo recipitur terminus productus. Et hæc de concursu simultaneo Dei, & de omni actione Dei ad extrinsecam productivam.

QVÆSTIO XVII.

An Deus concursu prævio moveat omnes causas secundas ad operandum?

§. I.

Quibusdā notatis explicatur nomen, natura, & genium Physicæ Prædeterminationis.

1. S. P. Aug. lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 20. post plura Scripturæ testimonia, quibus convincit verissimam Christi Dñi sententiam de eo, quod æternus Pater usque modò operatur, explicat motionem Dei providã, qua cunctas regit, & movet creaturas, dicens sic: *Movet itaque Deus occulta potentia universam creaturam suã, eoque motu illa versata, dum Angeli jusq; perficiunt, dum circumvoluti sidera, dum alternant venti, dum abyssus aquarum lapsibus & diversis. etiam pro ætrem cõ-*

globationibus agitatur, dum virgata pululant, suaque semina evolvunt, dum animalia gignuntur, varioque appetitu vitas proprias agunt, dum iniqui justos exerceere permittuntur, explicat sæcula, quæ illi cum primam condita sunt, tanquam implicata indiderat: quæ tamen in suis cursus non explicarentur, si ea ille, qui condidit, provido motu administrare cessaret.

En Deus occulta potentia sua movet omnes creaturas, quas, ne liberum nobis esset aliquam excipere à motione Dei, numerat S. P. August. incipiens

ab Angelis nobilioribus, usque ad infimas sublunariū naturas: nec excludit à motione Dei malas adhuc operationes iniquorum, justos exercentium; ita ut nihil in mundo sit, quod si semel sit, à motione Dei provida independēs sit. Eam etiam motionē ita astruit P. N. indispensabiliter necessariā, ut si Deus illam administrare cessaret, nulla actio creata, nullusq; effectus ex innumeris, quibus secula explicātur, subsisteret.

2. Verissimum hoc dogma, ex Scripturæ sacrae fontibus ab August. haustum, & nobis propinatum, videtur etiā ab Aristot. propugnatum ex naturalis tantum Philosophiæ principijs, quibus deveniendum est ad primum motorem immotum, omnia secunda moventem. Sic de illo discurret 8. Physic. text. 33. *Vtrumque igitur movere dicimus, & primum, & ultimum moventium, sed magis primum: illud enim movet ultimum, sed non hoc primum, & sine primo quidem ultimum non movebit, illud autem sine hoc. Ut baculus non movet, non movente homine.* Idem docuit lib. de Bona fortuna dicēs, Deum movere totam naturam, & in ea quosdā impetus, & motus facere, secundum quos fiunt naturales operationes ita, ut sine eis non posset ulla operatio subsistere. Quod exponitur à D. Thoma 1. 2. q. 109. art. 2. ad 1. & à B. Aegid. in 2. Sent. dist. 26. q. 2. art. 3.

Eandem Philosophi sententiā tenuit D. Thomas, & Augustinianū assertum, de motione totius naturæ à Deo, explicuit quæst. 3. de Potentia art. 7. docēs quot modis potest Deus esse causa actionis creatæ: primo, quia dedit

virtutem agendi; secundo, quia eā conservat; Tertio modo (ait) dicitur una res causa actionis alterius, in quantum movet eam ad agendum: in quo non intelligitur collatio, aut conservatio virtutis activæ, sed applicatio virtutis ad actionem, sicut homo est causa incisionis cultelli, ex hoc ipso quod applicat acumen cultelli ad incidendū movendo ipsum. Quo exemplo adhibito, prosequitur immediatē sic: *Et quia natura inferior non agit nisi mota (en dogma Aristotelicum) sequitur de necessitate, quod Deus sit causa actionis cujuslibet rei naturalis, ut movens & applicans virtutē ad agendum.* Eodē principio ad idem suadendū utitur S. D. 1. p. q. 105. art. 5. in corp. dicens: *Si sint multa agentia subordinata, primum agens movet secundum ad agendū, & secundum hoc Deus est causa omnium actionum agentium.* Quod si quæras quomodo? Respondet ibi S. D. quod *Deus movet res naturales ad operandum, sicut artifex securim ad scindendū.* Vbi vides D. Thomam, & Philosophum plenē cōcordes in astruēda subordinatione omnium agentium Deo primo motori, & agenti, à quo moventur ad operandum, sicut baculus, sicut cultellus, aut securis ad scindendum.

Stetit pro eadē doctrina B. Aegid. pluribus locis, de quibus infra, sed præcipuē in 2. Sent. dist. 26. q. 2. art. 3. ubi explicat eos impetus, quos Deus imprimat rebus à se conditis, ut in suas moveantur operationes. Ibi adducit laudatum S. P. August. testimonium, cujus doctrina traditur etiā à S. Parente lib. 4. de Genes. ad lit. cap. 12. & 3. de Trinit. cap. 4. & Epist. 146.

His

His, & alijs moventur Thomistæ pro sua Prædeterminatione physica, reclamantibus sine intermissione DD. Societatis, qui motionem istā explicāt de solo concursu simultaneo. Pacē discoribus dedisse putant qui solas prædeterminationes morales propugnāt ex parte finis. Quid autē in re lubrica, & ex omni parte insuperabilibus difficultatibus implexa, teneamus, sincerē proponemus: sed prius quid alij sentiāt quibusve fundamentis, qua possimus claritate, & brevitate declarabimus.

3. Prima ordine, & dignitate sententia est physice prædeterminantium, pro qua stant cōmunissimē Thomistæ, docentes motionem Dei providam ab Augustino assertam, ab Aristot. & D. Thoma cōprobatam, nihil esse præter physicam prædeterminationem. Quid quid sit de re significata, quam dicunt aliqui à tempore Magistri Bañez exortā, quos redarguit Magister Ioannes de Prado, citans pro eadē Doctores Dominicanos Bañezio antiquiores; nomē tamen in Scholis recentissimum est, ut evincit R. P. Daniel in pulchris Epistolis datis ad R. P. Natalē Alexandrū, Dominicanorū eruditissimū Epist. 8. ubi demonstrat nomenclaturā Prædeterminationis physicae non majorem in Scholis probare antiquitatem, quàm nomē scientiæ mediæ.

Domesticum testem producimus Illustr. Araujo Dominicanum, & Primariū Salmanticēsem tom. 2. in 1. 2. q. 111. art. 5. dub. 6. ubi quærens an gratia movens dicenda sit physica, vel moralis? Dicit: *Adverto quod hæc vox physica applicata motioni, & præde-*

terminationi Divinae gratiæ vocantur, incognita fuit Theologis antiquioribus, & inventa ab his, qui ejusmodi gratiæ efficaciam adversantur, hocque titulo objecta novioribus Thomistis, ut ab ipsis volētibus, nolentibus ut legitima proles scelerata admitteretur, aut odiosa, & invisa, contra arbitrij libertatē, repudiaretur. Non secus atque infans foribus Ecclesiæ exponitur, ut ab ipsa volente, lente, in curam & tutelam recipiatur.

Hic vides nomen physicae Prædeterminationis recentissimum, quoniā antiquioribus Theologis incognitū: agnoverunt quidē Prædeterminationes, sed non Physicas, aut saltem hoc nomine explicatas; quod nomen nō gloriofum aliquod natalitij solum habuit ab exordio, sed ingloricum, & obscurum, usque; dū foribus Prædeterminantiū expositū ab innominatis avertatoribus efficacitæ gratiæ, primā lucē vidit. Sed de nomine satis.

Quantum ad rem significatā, de qua solum disputare opportunam est, & utilissimum, physica Prædeterminatio est quid supponens in causa creata virtutem adæquatam agendi, & eam applicat ad actionem. Hinc fit, ut sit quid medium inter actum primum, & secundum de linea operandi; & pura applicatio virtutis creatæ ad actum secundum agendi. Exemplum adest in applicante ignem ad comburendum. Ille non dat igni virtutem comburendi, sed eam supponit igni congenitam. Sed quia non sufficit igni virtus, nisi sit applicata passo, idē semel applicata

cata comburitur, nec applicatio est actio ignis, nec virtus ejus, sed medium inter virtutem, & actionem ignis, sine quo ignis poterit comburere, ceterum actu non comburet.

Sic quoniam omnis causa, præsertim contingens, & libera, etsi completam habeat virtutem, illam habet indifferentem ad agendum, vel non agendum, vel ad agendum hoc vel illud; ideo oportet hujusmodi indifferentiam prius tolli ab aliquo determinante, & applicante ad agendum. Tollitur autem à Deo prima causa, & primo determinante, per motionem suam providam ab Augustino supra assertam, quæ his temporibus dicitur *Physica Prædeterminationis*.

Nec Doctores eam propugnantes, nomen despiciunt, sed putant congruentissimè impositum. Vocatur in primis *Prædeterminatio*, quoniam est determinatio creaturæ à Deo; & non utcumque, sed quæ præcedit determinationem, qua creatura se determinat. Pro quo advertit, quod agentia libera, quæ agunt cum dominio suorum actuum, ipsa se determinant ad agendum; unde agunt ex propria determinatione, ad differentiam inanimatorum, & omnium eorum, quæ agunt necessariò, nec tam agunt, quam aguntur à generante, à quo movètur. Se ergo determinant agentia libera ad operandum. At quia prius à Deo determinantur, ideo determinatio Dei præcedit determinationem propriam agentis liberi, qua causa creata libera se determinat; ideo dicitur *Prædeterminatio*, hoc est determinatio præcedens

determinationem, & actionem creaturæ.

Ceterum, cum hæc prævia Dei determinatio possit esse vel *moralis* ex parte finis, vel *physica* ex parte subiecti, & efficientis; Deus enim movens, sicut est prima causa efficiens, sic est omnium finis ultimus, & prima causa finalis, movetque utroque modo creaturas, nempe efficienter, & finaliter: ideo Thomistæ vocant suam prædeterminationem *physicam*, ut ostendant se non loqui de prædeterminatione morali, aut finali, sed de physica, & ex parte efficientis: unde motio Dei juxta hos DD. congruentissimè dicitur *Physica prædeterminatio*.

4. Explicato nomine, restat exponere naturam, & indolem rei significatæ, aut quid sit *Physica prædeterminatio*. Non omnes uno loquuntur ore. Sed ne multitudine sententiarum in hoc puncto laboremus, quas in Araujo videre poteris, si multitudine delecteris; omnes ad solas duas, quasi capitales reducemus. Vna dicit esse quid medium inter actum primum, & secundum de linea operandi creaturæ; altera tollit omne medium intrinsecum, & docet prædeterminationem esse extrinsecam actionem Dei, quæ causat actionem creaturæ.

Prima sententia, ipsaque celebrior, aut ferè communis inter Thomistas, dicit, prædeterminationem esse quamdam motionem virtuosam, à Deo descendentem, qua virtus causæ creatæ jam completa in actu primo ad agendum, completur in actu secundo, quia per illam motionem ap-

plicatur ad agendum. Hæc motio virtuosam non est virtus, aut potentia agendi, quia jam supponit in creatura plenam virtutem, & potentiam agendi; nec est actio creaturæ, quia præcedit actionem, & datur ad agendum. Unde est medium inter actum primum & secundum de linea operandi.

Quod si quæras ab his DD. quid sit hoc medium de linea operandi, quod nec virtus, nec actio est? Respondet esse qualitatem fluidam, quæ producitur à Deo in creaturis, vi cuius creatura quasi impellitur ad agendum. Sicut dum lapis projicitur, imprimatur lapidi impulsus, quo sursum tendit, & tantum ascendit, quantum durat impulsus. Habet hoc fundamentum in Aristot. lib. de Bona fortuna, ubi docet, Deum facere in natura quosdam impetus, & secundum eos fieri in nobis naturales operationes. De quo videt S. Thomam 1. 2. quæst. 109. art. 2. ad 1. & B. Egidium in 2. dist. 26. q. 2. art. 3.

D. Thomas q. 3. de Potentia art. 7. ubi expressius agit de motione ista, illam explicat in solutione ad 7. argumentum sic: *Id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola, habens esse quoddam incompletum per modum quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento artificis.* Hæc verba denotant, motionem Dei, si qualitas est, non esse permanentem, sed fluidam, ut docent Thomistæ: at exemplum colorum in aere, suadet motionem istam non esse *physicam*, sed *intentionalem*.

quia colores in aere non sunt physice, sed intentionaliter, ut docetur à BB. Thoma, & Egidio, Ratione etiam probatur, quia duo colores contrarij non possunt simul esse in eodem subiecto; quia ideo dicuntur contrarij, quoniam ab eodem subiecto mutuo se expellunt. Et tamen in eadem parte aeris sunt species albi, & nigri, quando ex adverso ponuntur album, & nigrum: ergo quia mutuo se expellentes à subiecto; in quo existunt physice, coadunantur in aere, ubi solum existunt intentionaliter. Quod si ita motio Dei est in re naturali juxta D. Thomam, non erit physica, sed *intentionalis*.

5. Genium, & indolem hujus qualitatis prædeterminantis est, connecti infallibiliter cum operatione, & effecta, ad quem datur. Ratio est, quia illam Deus exhibet in vi decreti efficacis de tali operatione, aut effecta; & est medium, quo in tempore decretum illud aeternum impletur, & sortitur effectum: sed decretum Dei est infrustrabile; cum nulla creatura possit resistere Deo volenti, & decernenti: ergo talis qualitas habet infallibilem connexionem cum effecta, ita ut implicet Deum dare mihi talem qualitatem ad currendum, & me non currere.

Dicitur etiam istam qualitatem sic esse necessariam, ut stante virtute in igne ad comburendum, & in me ad currendum, si tamen Deus, ut potest, hanc nobis denegaverit qualitatem, nec ignis combureret stupam

contiguam, nec ego curram, licet velim, & possim. Quod ex auctoritate supra laudata M. P. Augustini videtur comprobari; cum doceat S. P. omnes motus cessaturos, si Deus suam providam subtraheret motionem.

Hæc motio astringitur indispensabiliter requisita ad omnes causas, sive liberas sive necessarias, naturales, aut contingentes. Ratio est, quia ejus necessitas probatur ex subordinatione causæ secundæ ad primam; ex dependentia creaturæ à Deo in actu secundo operandi, & alijs titulis, de quibus infra: at omnis causa naturalis, vel libera, contingens, aut necessaria, dependet à Deo causa prima, eique subordinatur: ergo ad omnes causas est necessaria hæc physica prædeterminatio.

Immo, & necessaria est etiam ad causas liberas malè operantes, & peccantes: nam cum actio peccati sit entitas realis, pendens à Deo prima causa; nec possit produci à creatura non subordinata Deo; necessaria est prædeterminatio etiam ad actus prævios, quorum Deus est author quoad entitatem, & pro materiali, licet non pro formali quoad malitiam, qua entitas illa infecta oritur à creatura deficiente.

Datur hæc qualitas unicè pro arbitrio Dei juxta mentem Thomistarum, quare non est in potestate creaturæ illam acquirere, aut depellere. Non depellere, quia ad illam se habet merè passivè recipiendo: nec ei semel receptæ potest re-

sistere, sicut nec Divinæ voluntati, cujus vicem gerit ministra temporalis executionis decreti infallibilis: Non acquirere, quia in danda, vel neganda illa, Deus suum exercet dominium plenè absolutum movendi creaturam ad quodcumque Deus voluerit, quando, & quomodo voluerit. Hæc de prædeterminatione juxta primam sententiam.

6. Secunda Thomistarum sententia, quam pauci tenent, docet physicam prædeterminationem non esse qualitatem præviā ad actum, nec quid intrinsicè receptum in creatura, medians inter actum primum & secundum de linea operandi; sed esse ipsam actionem creaturæ, ut causatam à Deo per actionem immanentem, cum Deo identificatam. Unde prædeterminationem dicit sumi *activè*, & *passivè*. Prædeterminatio activè sumpta, est actio immanens Dei, & hæc præcedit actionem nostram; sed non est prædeterminatio intrinsicè, sed extrinsecè, quia supra potentiam nostram operativam nihil ponit intrinsicè, distinctum ab operatione nostra. Prædeterminatio passiva est ipsa actio nostra prædeterminata; quæ est à Deo, & à nobis, sed prius à Deo; unde intransitivè determinat ad se ipsam prout à creatura.

Noster Gavardi in Theologia huic adhæret sententiæ, nec à Palanco differt, nisi quia Gavardi distinguit in actione nostra duas formalitates, nempe qualitatis, & actionis; & dicit, quod actio ut qualitas

itas est, à Deo est: ut autem actio, est à nobis: & actio ut qualitas, determinat nos ad actionem, ut actio est. Ceterum Palanco cum Ildephonso Michaelè, dicit actionem sub omni formalitate esse à Deo, sub omni à creatura. Ceterum actio prout à Deo est prior connotativè, quia connotat Deum præoperantem per actionem immanentem: & actio illa ut sic connotativè prior, est prædeterminatio creaturæ ad ipsam actionem, prout à creatura effectibilem.

Quidquid dicas, est physica hæc prædeterminatio, quia movet physicè, & efficienter, non moraliter, aut finaliter; movet enim efficiendo nostram determinationem formalem, nempe actionem nostram, qua formaliter determinatur potest

tia activa nostra. Habetque fundamentum in Apostolo Paulo, & M. P. Augustino sæpè dicente: *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere*. Vbi non dicitur, quod Deus in nobis operetur quid prævium ad velle, sed ipsum velle, ipsum perficere. In reliquis convenit hæc sententia cum prima; quia utraque ponit infallibilem connexionem prædeterminationis cum actu prædeterminato; docet utraque eam indispensablem requisitam, etiam ad actus prævios; irresistibilem, & inacquiescibilem à nobis, quoniam pro libito Dei unicè administra-

tur cui voluerit, & quo-

modo voluerit

Deus in-

clina-

sc-

*Explicatur Prædeterminatio Moralís,
& Phisico moralis.*

7^a **N**on omnes, qui defendunt, prædeterminationem, sunt pro physica prædeterminatione; nam aliqui tenent solam moralem, alii temperatam, aut mixtam ex morali, & physico concursu, quam voce composita dicunt *Physico-moralem*. Qui enim Physicam prædeterminationem nimis rigidam putant agentibus liberis, declinant in moralem, quæ nil aliud est, quam motio ex parte finis, qua objectum cognitum, voluntati propositum, eam movet, allicit, & trahit ad amorem sui.

Eam disertis verbis elegantissimè explanavit P. Augustinus tractatu 26. in Ioann. ad illa verba Christi Dom. dicentis: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Supra quæ replicat Augustinus de mente eorum, qui putant tractione ista tolli libertatem nostram, & dicit: *Quomodo voluntate credo, si trahor? id est, quomodo liberè venio, si tractus à Deo venio? Respondet: Ego dico: Parum est voluntate, etiam voluptate traheris.* Et posita experimentalis sententia Poetæ dicentis: *Trahit sua quemque voluptas*; & observato nõ dixisse, *Necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio*; explicat exemplis tractionem istam voluptuosam sic.

Nuces puero demonstrantur, & trahitur: ramum viridem ostendis ovi,

Et trahis illam. En exempla tractionis, quibus subjungit post pueri exemplum currentis ad nuces demonstratas: *Et quod currit, trahitur, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur.* Ecce non trahitur qualitate illa emortua, quam docet prior sententia recipi in voluntate; sed ostensa bonitate objecti, resultat in voluntate amor, quo veluti pondere inclinatur voluntas in objectum, & operationem circa objectum, ut idem S. P. docet lib. 13. Confess. cap. 9. dicens: *Amor meus pondus meum, eo feror quocumque feror.* Amore fertur voluntas, non qualitate illa nimis ponderosa, secum rapiente, velut turbo, voluntatem. Vide P. August. etiam lib. 10. de Civitate Dei cap. 28. & B. Ægidium in 2. dist. 4. I. q. 1. art. 2.

8 Eandem sententiã docuit Arist. lib. 12. Metaphysicæ textu 35. ubi concludit esse unum movens immobile. Et text. 36. explicans quomodo hoc movens moveat cetera, ait: *Movet autem sicut appetibile, & intelligibile: hæc enim sola movent non mota.* Supra quæ D. Th. & B. Ægidius ibi *Movet sicut desideratum, & amatum.* Vide Ægidium in 1. dist. 45. q. 2. art. 1. ad 1. de cuius mente loco citato: ecce quomodo Deus finis omnium movet universas creaturas ad suas operationes.

Movet (ait) Deus quamlibet rem naturalem ut desideratum, & amatum. Nam eo ipso quod omnibus rebus indidit proprium appetitum, propter quem omnia suum esse appetunt, quod est quædam

dam participatio summi boni: primum bonum ab omnibus desideratur, & amatur, & quid instituendo rebus proprium appetitum, per quem aliquomodo esse Divinum, & quod est optimum, appetunt: inclinantur res, & moventur secundum Divinam voluntatis arbitrium.

Adest & ratio sumpta ex doctrina Arist. D. Thomæ, & B. Ægidij ibidem. Nam quæ moventur à primo motore, moventur sub ea ratione, qua simpliciter est primum movens non motum: at Deus primum movens, solum ut finis, est movens non motum; secus ut prima causa efficiens: ergo movet finaliter, non autè efficienter. Major constat ex dictis. Minor probatur. Nam causa efficiens, etiam Divina, agit propter finem, & sic mota à fine, ut dictum est q. 14. quare Deus ut causa efficiens, agens ad extrã, non est simpliciter movens immotum: causa autem finalis movet immota, & est omnium prima. Audi S. Thomam loco laudato 12. Metaphysicæ: *Dicit ergo (Philosophus) quod cum ostensum sit, quod sit primum movens non motum; necessè est quod sic moveat, sicut desiderabile, & intelligibile: hæc enim intelliguntur movere non mota.* Idem est desiderabile, & amabile, ac bonum, & finis cognitus, aut objectum finaliter movens, ut patet.

9 Motio ista non est absoluta, sed respectiva, nam nõ equaliter movet omnes, sed quosdam plus, alios minus, alios minimè. Quod eleganter explicavit P. Augustinus in 1. lib. 99. ad Simplicianum q. 2. ubi multis Sactæ Scripturæ illustratis exem-

plis, dicit: *Cum ergo alius sic, alius sic moveatur ad fidem, eademque res si pè alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat: quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Iacob iustificatus est?*

En S. Patens pro convertenda voluntate Esau, & applicando intellectu ejus ad actum credendi, non recurrit ad qualitatem, vel motionem effectivam, sed ad finalem, quam appellat vocationem: docens, quod licet Esau non sit conversus ad fidem, ut Iacob, per motionem finalem, & vocationem qua vocatus est, habebat Deus alios modos vocandi, vel dicendo, & proponendo objectum alio modo; vel proponendo alia objecta, ut sic eis vocatus, veniret ad fidem. Quo vides motionem istam non esse infallibilem, ut prædeterminatio, sed nos posse illi resistere. Rursus, non esse absolutam, & omnibus æqualem, sed respectivam; sicut calor ut duo, qui potest calefacere non quodcumque subjectum frigidum, sed frigidum ut unum; alioquin si foret frigidum ut quatuor, nequit calefieri à calore ut duo, ob resistantiam contrarij.

DD. hujus sententiæ explicant omnes authoritates, & rationes probantes prædeterminationem, de ista prædeterminatione morali. Dicunt per illam Deum esse primam causam, primum movens &c. Negant Deum sic prædeterminare ad materiale peccati,

cati, quia foret author ejus: unde ne ponant creaturam tunc operari sine subordinatione ad Deum moventem, dicunt quod tunc Deus movet ad bonum universale, & in communi; quod potest sine imperfectione: & creatura tentationibus illecta concupiscentiæ, abutitur illa motione Dei ad commune bonum, & se determinat ad bonum in particulari apparens, vel utile prohibitum, & sic peccat. Unde Deus ad tale bonum in particulari non movet directè, sed occasionaliter: quare soli creaturæ abutenti motione divina, tribuitur peccatum. Ita Araùjo cum alijs ejusdem sententiæ.

10 Qui verò putant motionem moralem esse vel metaphoricam, vel parum sufficientem pro movenda voluntate creata, astruunt prædeterminationem *Physico-moralem*, hoc est mixtam ex motione morali ex parte finis, & ex physica ex parte efficientis: sic putant moralem temperare duritiem motionis physiciæ; & physicam addere vires, & infallibilitatem motioni morali fallibili, & frustrabili. Unde quod vetus Patremia tenuit, nempe *Gladium melle litum*; Doctores isti reponunt, pro movenda libertate nostra, in utriusque motionis temperatura. Linit dulcedo motionis moralis trahentis, physicam motionem, penetrantem intima cordis. Nec est cur immoremur in ejus expositione; nam explicatis simplicibus, ex quibus hoc pharmacum confectum est, satis constat de ejus activitate, & efficacia.

Non renuunt Doctores quali-

tatis prædeterminantis concedere motiones morales, & ex parte finis; imò tenent eas utiles, ut voluntas spontaneè, & delectabiliter efficiat opus prædeterminatum. Unde in hoc sensu etiam docent prædeterminationem temperatam, & Physico-moralem. Ceterum cum tota ratio prædeterminandi juxta eos sit Physica, ob id eam purè Physicam vocant. E contra, qui Physico-moralem appellant, non in pura motione physica, sed in morali etiam vim prædeterminativam ponunt. Quod cum præcipuè defendatur à nostro Villanova, & à nobis infra propugnandum sit, ibi opportunè exponendum erit.

§ III.

Explicatur sententia negans omnem concursum Dei prædeterminantem.

11 **D**Octores omnes Societatis, demptis paucis ex primoribus, qui pro prædeterminatione allegantur à Gonetto, Ferre, & alijs, negant unanimiter omnem prædeterminationem, quoniam libertati oppositam, summæ sanctitati adversam, si ponatur ad materiale peccati; ac tandem ut plenè inutilem pro salvanda dependentia creaturæ à Deo. Nam docent totum hoc salvari per concursum simultaneum, quo Deus per eandem actionem, qua creatura producit simultaneè cooperans. De quo vide P. Suarium in *Metaphysica* disp. 22, sect. 2. per totam.

Et]

Et quidem quidquid sit de actibus supernaturalibus, & meritorijs, de quibus est specialis ratio in creatura indigendi adjutorio Dei, tum ob supernaturalitatem actus, tum ob infirmitatem naturæ post originale peccatum, quam sæpè reponit P. Augustinus contra Pelagianos, præcipuè lib. de Corrept. & Gratia: at de actibus naturalibus causarum præcipuè liberarum, de quibus tantum nunc quæstio est, nullus prævius concursus est necessarius, sed sufficit plenè simultaneus, quæstione præcedente explicatus contra Durandum.

Et quidem ut creatura dependeat à Deo in actu primo operandi, sufficit etià juxta Thomistas, quod à Deo recipiat creatura suum esse, & suam virtutem operandi: in quo nulla prædeterminatio importatur. Restat, quod solum sit necessaria, ut in actu secundo operandi subordinetur Deo, & ab eo pendeat. Sed ad hoc necessaria non est qualitas, vel quid distinctū ab operatione creaturæ, & concursu Dei simultaneo. Ratio est, nam per hoc solum quod operatio creata sit immediatè à Deo, salvatur dependentia actionis immediata à Deo, & quod creatura in actu secundo operandi à Deo pendeat. Posito concursu simultaneo Dei, & creaturæ, per eandem actionem, jam actio oritur immediatè à Deo, & creatura: ergo actio pendet ab immediato influxu utriusque, & sic creatura pendet à Deo in actu secundo operandi sine prævia motione, per solum concursum simultaneum.

Hæc doctrina videtur sumpta ex D. Thoma 1. p. q. 105. art. 5. & 3. contra Gentes cap. 70. Vbi docet primam causam per suum generalem concursum influere nedum in effectum creaturæ, sed in actionem creaturæ, id est, ut sic influat, non est necessarium ponere quid præviuum ad actionem, sed satis est, quod illa actio immediatè sit à Deo, ut principio influente; sicut ut creatura influat in eam actionem, satis est, quod actio illa sit à creatura, ut à principio influente, nec requiritur quid præviuum medians inter actum primum, & secundum operandi. Ergo sine tali prævio, per solum concursum simultaneum, quo Deus est causa non solum effectus creati, sed actionis creaturæ; non solum pendet à Deo effectus, sed actio creata, & consequenter pendet creatura, ut operans in actu secundo.

12 Quod si reponas; concursum simultaneum esse æqualem Deo, & causæ creatæ; ergo per illum non magis pedit creatura à Deo, quam Deus à creatura. Quod patet ex duobus simul portantibus eundem lapidem, qui vel mutuo æqualiter dependent, vel neuter ab alio. Respondent non esse simile. Quia sine creatura potest Deus absolutè operari; secus creatura sine Deo: unde est potior ratio, ut sola creatura dependeat. Prætereà: In eo concursu Deus est agens principalius, nobilior, & sub universaliori ratione operans, nempe entis; quare tot titulis resplendet ut prima causa, cui creatura meritò subordinatur.

Quod si iterum quæras, Quis primò determinat ad istum concursum? Nam sanè causæ illæ, imò nullæ indifferentes ad operandum, vel non operandū, agūt determinatè, nisi prævia aliqua determinatione. Quis ergo determinat an Deus, an creatura an uterque simul? Respondent, quod causæ necessariæ ex sua natura sunt determinatæ ad speciem operationis per formam, datam ab auctore naturæ, v.g. ignis ad calefaciendū, aqua ad infrigidandum. Deus autem se accommodat naturis rerum; unde concursus Dei, qui ex se poterat ad utrumque, determinatur à causa creata concurrente. Quod dictum est à D. Thoma in 2. dist. 1. q. 1. art. 4. in corp. & ad 3. & 1. contra Gent. cap. 66. ratione 5. ubi ait: *Secunda agentia sunt quasi particulantes, & determinantes actionem primi agentis.* Et est doctrina D. Dionysij de Divinis Nominibus c. 4. ubi ait Dei actionem esse indifferentem, variari autem ex diversitate subjectorū, & causarum. Vnde cū igne cōburit Deus, cum aqua humectat, &c. Deus autē ex se determinat ad exercitium, hoc est ad hanc calefactionem præ alia: cū ignis ex sua natura, non amplius istam, quàm aliam petat, sed solam in specie calefactionem.

13 Quantum ad causas liberas est eadem ratio, imò potior. Nam quod voluntas sit potens ad amorem, & ad odium, non facit quod sit minus potens ad amorem, quàm si solam haberet potentiam amandi; æquè enim est completa potentia ad amo-

rem, & completa ad odium, ac si esset vel sola potentia amandi, vel sola potentia odiendi: sed si esset sola potentia amandi, determinaret cōcursum Dei ad solum amorem, ut de causis necessarijs dictum est: ergo quia est cōpleta potentia ad utrumque divisivè, potest determinare pro suo libito ad quemcūque actum specificum, concursum Dei ex se indifferentem ad utrumque. Et patet tum quia indifferentia volūtatis ad actus, non oritur ex incomplezione ad eos, sed ex dominio supra illos: quare id potest relatè ad utrumque libera, quod posset relatè ad unum actum, si esset potentia necessaria. Sed si esset potentia necessaria, determinaret concursum Dei ad suum actum necessarium: ergo cū sit libera ad utrumque, determinat ad hunc, vel illum pro suo libito, completa ad utrumque.

Tum etiam: quia voluntas nostra sic completa, est participatio libertatis Dei: sed Deus ita est liber, ut sine ullo prævio ad actum, aut alieno impulsu, se pro libito ad quodcumque determinat: ergo & creatura libera. Cum solo discrimine, quod libertas Divina identificatur cum suo actu, unde non habet dominium supra entitatem actus, nec potest actus entitativè diversos mutare; seculus creatura, quæ actus habet entitativè variabiles, & alia, de quibus Theologi agentes de constitutivo actus liberi Divini.

Ob id Deus offert causis creatis suum concursum, ex se ad omnia indifferentem; & causæ creatæ illum deter-

determinant quoad species; determinatione orta à natura in causis necessarijs, vel à libertate in causis liberis. At quia causæ nō possunt determinare quoad exercitium; ignis enim per suam formam est determinatus ad calefactionem, sed non ad istam præalteram; idè semel determinata specie actus à causa creata, Deus determinat ad exercitium hoc, præ alio numericè distincto; quod est determinare quoad individuationem.

In his principijs clarissimè salvatur libertas creata; cū ante determinationem voluntatis nil inveniatur connexum cum vno extremo libertatis præ altero: solum enim datur virtus completa in actu primo, sed indifferens ad utrumque. Item adest paratus concursus Dei, indifferens etiam, & determinabilis ab arbitrio creato: ergo plenè liberè se determinat voluntas. Fit etiam, ut si se determinet ad actum malum, ei plenè imputetur, non Deo; quia illa se determinavit ad malum, non Deus. Fit tandem, ut Deus maneat causam primam ratione concursus simultanei præstiti, ut dictum est: quare in tempore omnia benè conciliantur, quidquid sit de Præscientia Dei, & prædeterminationibus, scientia media regulandis in hac sententia, quod hujus loci non est explicare.

§ IV.

Propugnantur fundamenta pro Physica Prædeterminatione.

14 **P**rimū fundamentum pro Physica Prædetermina-

tionis sumitur ex dictis num. 1. & 2. de mente Philosophi, D. Tho. & P. Augustini, apud quos necessaria est motio Dei, distincta à virtute creata, & supponens virtutem agendi completam: sed motio Dei supponens virtutem agendi completam, unicè est applicatio virtutis ad agendum; & sic est prædeterminatio: ergo de mente illorum omnis causa debet physicè prædeterminari ad agendum. Major patet ex autoritatibus, quas vide loco citato.

Confirmatur ex P. Augustino, ubi supra dicente, quod motio Dei provida non solum supponit virtutem completam agendi, sed etiam rationes seminales, quæ per talem motionem explicatur in suas proprias operationes, & effectus: ergo supponit quod motio ista Dei est distincta tum à virtute creata, tum à rationibus seminalibus. Sed motio non dans, sed supponens virtutem agendi completam, est pura applicatio, & sic pura prædeterminatio: ergo P. Augustinus ad omnem causam, & pro quacumque actione, requirit prædeterminationem.

Confirmatur 2. ex D. Thoma 1. p. q. 105. art. 5. in corpore, ubi ait: *Si sint multa agentia subordinata, primum agens movet secundum ad agendum; & secundum hoc: Deus est causa omnium actionum agentium.* Sed Deus, & creatura concurrentes ad eundem effectum, sunt duo agentia subordinata: ergo Deus prima causa movet creatas causas ad agendum. Patet consequenter, quia si non moveret sic, causa illa non essent

essent Deo subordinata, teste D.Th. Nunc sic: sed motio ista causæ creatæ ad agendum, non est virtus causæ, ut probatum est, quia supponit jam virtutem completam. Rursus non est concursus simultaneus, vel ipsa actio creaturæ, sed potius causa illius, cum per illam sit *Deus causa omnium actionum agentium*, juxta D. Thomam: ergo est quid medium inter virtutem causæ, quam supponit, & actionem creaturæ quam causat: quod, & nil aliud est prædeterminatio physica.

15. Hæc ratio dupliciter solvitur. Primo recurrendo ad motionem moralem, quæ fit per inspirationes, & sanctas cogitationes, quibus Deus movet, & præmovet creaturas intellectuales. Secundo, dicendo hæc omnia stare sine concursu prævio per solum concursum simultaneum. Nam sic concurrens, est causa immediata actionis creaturæ, ut patet ex dictis num. 11. Rursus causando actionem, causat motum formalem causæ creatæ, quæ per actionem suam movetur formaliter: ergo Deus per solum concursum simultaneum, & movet omnem creaturam, & est causa omnis actionis create. Nil aliud petunt Philosophus, Augustinus, & S. Thomas.

Contra 1. solutionem insurgit Palanco de mente Thomistarum sic: Philosophus, & D. Thomas loquuntur de omni agente creato, & præsertim de agente naturali, & necessario, cui necessaria est motio Dei titulo subordinationis: sed motio moralis non congruit nisi solis agentibus intellectualibus; nec requiritur titulo sub-

ordinationis, sed titulo intellectualitytis, & libertatis: ergo perperam exponuntur de motione morali.

Rursus. Nam D. Thomas ponit exemplum in motione, qua artifex movet securim ad scindendum, ibi dicens: *Deus movet res naturales ad operandum, sicut artifex securim ad scindendum*: & manus non movet securim ad incisionem moraliter alligando, aut persuadendo, sed producendo in illa physicum impulsum: ergo Deus juxta D. Thomam movet physicè, non autem moraliter, causas creatas ad operandum.

16. Tertio. Nam adhuc de voluntate nostra, quæ est agens intellectuale, docet D. Thomas præmoveri physicè, & contrapositivè ad moraliter: ergo locis datis loquitur de motione physica. Probatur antecedens. Motio moralis est, qua voluntas movetur ab intellectu proponente objectum, unde est motio objectiva; motio physica est, qua voluntas subjectivè, & ex parte efficientis movetur independentè à propositione intellectus: Sed juxta D. Thomam Deus utroque modo movet voluntatem, imò sic solus Deus movet, qui est causa unica effectiva nostræ voluntatis: ergo nedum moraliter, sed physicè prædeterminat. Minor patet ex D. Thoma 1. p. q. 111. art. 2. in corpore, ubi explicatis his duobus modis movendi, dicit: *Et sic solus Deus potest movere efficaciter voluntatem; Angelus autem, & homo per modum suadentis.*

Vbi maximè notandum, quòd Ange-

Angelus, vel homo potentes movere finaliter, aut moraliter suadendo, non movent efficaciter; Deus autem qui nedum moraliter, sed efficienter, movere potest, potest sic efficaciter movere: ergo juxta D. Thomam motio efficax, qua Deus causas creatas præmovet, non moralis, sed physica est, & effectiva ex parte subjecti.

Quarto: Quæst. 105. art. 4. in corpore, explicatis his duobus modis movendi voluntatè, concludit: *Utroque modo proprium est Dei movere voluntatem, sed maximè secundo modo interiorius eam inclinando.* Idem habet q. 22, de veritate art. 9. in corpore, ubi cõcludit: *Vnde solum Deus potest inclinationem voluntatis, quam ei dedit, transferre de uno in aliud, secundum quod vult.* Et art. 8. in corpore: *Sicut voluntas potest immutare suum actum in aliud, multò amplius Deus.* Quod totum ex P. Augustino desumptum est, sæpè dicente, quòd *Magis habet Deus in potestate sua voluntatis hominũ, quam ipsi suas.* Et *Habet inclinandum cordium Omnipotentissimam potestatem.* Sed hæc omnia nequeunt intelligi de motione morali, quam Angeli, homines, & etiam dæmones exercere possunt, alioquin isti haberent etiam inclinandum cordium omnipotentissimam potestatem, quod vanissimum est: ergo talia asserta P. Augustini, & D. Thomæ, debent intelligi de physica præmotione.

17. Quinto: Nam motio moralis non est efficax per se, sed potest frustrari à voluntate, ut ejus auctores fatentur: Sed D. Thomas ponit motio-

nem efficacem, infallibilem, & infrustrabilem: ergo physicam, & non purè moralem. Minor patet, ex verbis datis numero præcedenti: *Solus Deus potest movere efficaciter voluntatem.* Rursus q. 6. de malo art. 1. ad 3. ait: *Deus movet immutabiliter propter efficaciam voluntatis moventis, quæ deficere non potest.* Præterea: 1. 2. q. 10. art. 4. ad 3. ait, *Si Deus movet voluntatè ad aliquid, impossibile est quòd voluntas non moveatur ad ipsum.* Et 2. 2. q. 24. art. 11. dicit: *Virtus Spiritus sancti infallibiliter operatur quæcumque voluerit: unde impossibile est hæc duo simul esse vera, quòd Spiritus sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipse charitatem amittat peccado.* ergo loquitur de præmotione efficaci, infrustrabili &c. quæ non moralis, sed physica est.

Si dicas: motionem moralem esse ex se fallibilem: sed supposita scientia media, aut condicionata, qua vidit Deus motionem illam sortituram effectum, tunc motio moralis est efficax, & infrustrabilis, de qua loquitur D. Thomas. Si hoc dicas, habes contra te Palancum in Physica lib. 2. q. 16. num. 6. qui sic respondet monet attendere, & videre quem Doctorem sequantur; nam sanè Doctor talis D. Thomas non est. Nam locis citatis, illius scientiæ non meminit; nec discrimen datum à D. Thoma inter Deum, & Angelos est, quòd Deus moveat præsciens voluntatè consensuram, secus Angelus: nec recurrit ad efficaciam scientiæ Dei, sed Divinæ voluntatis, ibi: *Propter*

pter efficaciam voluntatis moventis.

Preterea: Ibi S. D. contraponit motionem efficacem motioni morali per modum suadentis: ergo quidquid sit de scientia prævisionis eventus conditionati, non loquitur de morali, sed de physica. Tandem: Nam Deus per scientiam mediam potest prævidere voluntatem consentaneam homini, vel Angelo suadentibus, & hoc eis revelare: & tamen nequit dici quod homo, vel Angelus sic suadentes cum tali præscientia, moverent, efficaciter; cum hoc soli Deo concedat D. Thomas: ergo solutio data impertinens est.

18 Contra secundam solutionem de concursu simultaneo insurgit Palanco sic: Nam juxta Philosophum, & D. Thomam, *Motio moventis est prior motu mobilis, ratione, & causa; & movens, ut movens, est prius natura moto, ut moto.* Sed in concursu simultaneo nulla datur prioritas naturæ, aut realis causalitatis: ergo per concursum simultaneum Deus non movet causam creatam ad agendum. Minor patet, quia concursus simultaneus est unica actio juxta contrarios, quæ simul est à Deo, & creatura: si simul? ergo sine ulla prioritate ex parte Dei. Rursus, cum nihil possit esse causa sui, & ratio à priori sui ipsius, nec prius natura se ipso; idem actio Dei nequit esse causa actionis creaturæ, ratio à priori eius, aut prius natura, semel quod in concursu simultaneo eadem sit actio Dei, & creaturæ: sed ita est juxta contrarios concursus simultaneus: ergo per

illum nequit Deus esse movens; nec præcedere ut motor creaturæ ad agendum.

Rursus: Motio Dei, de qua proficit ratio Thomistica, est requisita ad agendum, & ad agendum movet creaturam: sed concursus simultaneus est ipsum agere, quod supponit creaturam motam ad agendum: ergo motio quæ probatur argumento facto, non est concursus simultaneus, sed pravus.

Quarto: Quia calamus scribit motus à manu, & manus movet, ut mota à voluntate; nemo potest dicere voluntatem movere manum, & manum applicare calamus ad scribendum, per concursum simultaneum voluntatis, manus, & calami scribentis: ergo nec in simili de voluntate mota à Deo, ut agat pro priori ad concursum, ad quem simul concurrunt.

Adde, quod cum concursus Dei sit ex se indifferens, & determinetur à creatura; si quis applicat ad agendum per concursum simultaneum, non Deus indifferens, & determinatus à creatura; sed ipsa creatura determinans concursum Dei, erit determinans, & applicans Deum ad operandum: Sed ratio facta probat causam primam debere movere secundam ad agendum: ergo ineptè dissolvitur per concursum simultaneum.

19 Secundum fundamentum Thomisticum est confirmatio primi, & formatur sic: Causa secunda non agit, nisi ut mota: at non movetur à se, sed à Deo causa prima: ergo ante operationem causæ creatæ datur motio Dei,

Questio XVII.

Dei, & hæc vocatur à Thomistis prædeterminatio. Major, & minor sunt probandæ. Et major 1. ex illo receptissimo principio: *Omne quod movetur, ab alio movetur.* Ex quo Philosophus probat deveniendum esse ad primum motorem immotum, qui est Deus, & causa prima: ergo causa secunda agit, ut mota.

Sed expressius, & urgentius id probat P. Augustinus lib. 8. de Genesi ad litt. à cap. 20. ex eo quod corporalia, quæ moventur per loca, & tempora, moventur à spiritualibus, quæ solum moventur per tempora; spiritualia autem moventur à solo Deo, plene immobili tum per tempora, tum per loca; & ob id solus Deus est movens immotum. Ibi ostendit in nostro corpore motum localem pedis: v.g. esse à crure, & cruris moveri à femore, femur à corde; cor ab anima, & hæc à Deo; ita ut omne movens, & agens creatum, agat ut motum.

Ratione id suadet etiam. Nam nulla creatura existit per essentiam, sed per participationem à Deo primo ente, & existente: ergo nulla operatur per suam essentiam, sed per operationem, à Deo primo operante participatam, & receptam. Patet consequentia tum à parite, tum à ratione, quia operari sequitur ad esse; & nemo potest operari à se per essentiam. Agit ergo creatura per operationem participatam, & receptam. Sed recipere actionem, est moveri: ergo omnis causa creata agit, ut mota.

§ III.

Minor principalis probatur tum ex dictis in probanda majori; tum quia idem secundum idem nequit esse causa sui motus, & simul movens, & mobile. Tum quia movere est dare motum: ergo moveri à se, est dare motum sibi. Vel ergo causa antequam daret sibi motum, illum habebat, vel non: si non? Quomodo dedit quod non habebat? si habebat? Ad quid dedit sibi, aut quomodo dedit, quod habebat? ex hoc argumento P. August. lib. 12. de Civit. Dei cap. 9. probat quod prima volitio Angelorum non à se ipsis, sed à solo Deo derivata est: *Qui eos cum amore casto, quò illi adhererent, creavit, simul condens naturam, & largiens gratiam.* Quod latè versabitur quæst. sequenti. Unde etiam probatur ab Animalisticis primum motum cordis non esse à corde se movente, sed à generante.

20 Pro solutione hujus rationis non valet concursus simultaneus ob rationes supra datas num. 18. nec recursus ad motionem naturalem, tum propter impugnationes positas num. 15. & sequentibus; tum quia adhuc posita motione morali, manet voluntas subjective indifferens, & in potentia passiva ut moveatur, vel non moveatur. Sed quod est in potentia passiva, nequit se movere; cum movens moveat per potentiam activam; & idem non est simul, nec potest esse, in potentia activa, & passiva ad eundem motum: ergo adhuc posita motione morali, debet voluntas moveri subjective à Deo causa prima.

Explicatur: Voluntas non so-

lūm est indifferens objective, sed etiā subjective: at per motionem moralem solum tollitur à voluntate indifferentia objectiva: ergo pro tollenda indifferentia subjectiva, non sufficit motio moralis, sed requirunt præmotio physica, & ex parte efficientis. Minor patet tum ex confessione sententiæ contrarię: tum quia cū motio moralis fiat per solam bonitatem objecti apprehensam, eo modo determinat, quo bonitas apprehensa movere potest voluntatem; eam tantum movet ut objectum, & sic purè objective. Major probatur. Voluntas non solum est indifferens ad hoc, vel illud objectum, quæ indifferentia est objectiva; sed ad hunc vel illum actū amoris, vel odij, aut carentiæ utriusque circa objectum: at hæc indifferentia, cū sit principij effectivi, & ad efficiendum hoc vel illud, est indifferentia effectiva, & subjectiva: ergo &c.

21 Tertium fundamentum ejusdem sententiæ confirmat præcedentia, & formatur sic. Voluntas pro priori ad suum actum debet esse intrinsicè determinata: sed per suum actum, qui juxta contrarios est concursus simultaneus, nequit esse determinata pro priori ad suum actum: ergo sic determinatur per concursum prævium. Minor patet, quia actus creaturæ antequam sit, nequit determinare; unde nequit determinare pro signo priori ad actum. Major probatur. Voluntas non determinata pro priori ad actum, est voluntas intrinsicè indifferens ad actum, vel ca-

rentiā actus: sed à principio indifferenti, ut indifferenti nequit exire actus determinatus: ergo ut exeat, debet voluntas esse intrinsicè determinata pro priori ad actū. Major patet, & minor probatur. Actus nequit exire à principio, in quo non præcontinetur: sed in principio indifferenti ut tali, non continetur actus determinatus, nec determinatio, quæ opponitur indifferentiæ: ergo.

Confirmatur: Vt voluntas eliciat unum actum præ alio, debet præcontinere unum actum præ alio: sed si pro priori ad actum non determinatur ad unum præ alio, non præcontinet unum præ alio: ergo nisi prædeterminetur, nequit operari. Major patet, quia actus nequit effici à causa, in qua non præcontinetur. Minor probatur. Si voluntas pro priori ad actum non determinatur, est indifferens ad omnes actus, & æqualiter potens ad illos: sed principium indifferens ad omnes actus, non præcontinet unum præ alio, vt patet: ergo.

Confirmatur, 2. Vt voluntas ex se indifferens ad omnes actus, exeat potius in amorem, quàm in odium; & in hunc amorem præ alio amore, & in hunc amorem potius quàm in carentiam illius; debet ab aliquo priori determinari. Patet hoc, quia nisi sic determinetur intrinsicè, manebit indifferens, ut antea, & sic suspensa ab omni exercitio libero. At non potest seipsam à se determinare: ergo prædeterminatur à Deo. Probatur minor 1. Quia cū ex se voluntas sit indif-

indifferens, ejus indifferentia nequit esse causa suæ determinationis. Et patet juxta contrarios: nam quia Deus offert creaturæ concursum plenè indifferentem, idè per illum concursum non potest Deus creaturam determinare: ergo cū voluntas ex se sit plenè indifferens per suam indifferentiam nequit seipsam determinare.

Probatur 2. minor. Nemo potest agere, nec etiam determinare ad agendum, nisi in quantum est in actu, ut cum Philosopho docet D. Thomas, & communiter omnes defendūt. Sed si voluntas pro priori ad actum est plenè indifferens, non est in actu, sed in potentia æqualiter ad omnes suos actus: ergo nequit se ipsam determinare.

22 Dices: Voluntas pro priori ad actum est in potentia completa ad illum, & sic est in actu virtuali, plenè contentiva sui actus formalis: sed ut se determinet, sufficit esse in actu virtuali & continere virtualiter suam determinationem; sicut ut eliciat actum, sufficit illum præcontinere in actu virtuali: ergo cū ita sit, potest se ipsam determinare. Sic respondet P. Suarius.

Ceterum impugnatur à Thomistis multipliciter, quorū impugnationes passim invenies apud quemlibet, præcipuè in Palanco locis citatis. Ceterum demus quòd voluntas se determinet, ratione illius actus virtualis, aut perfectæ continentiæ actus, & determinationis suæ. Demus hoc, adhuc subsistit necessitas prædetermini-

nationis. Nam illa determinatio voluntatis est effectus Dei primæ causæ, & primæ determinantis. Patet hoc, quia ex opposito sequeretur aliquid esse in rerum natura, quod non esset effectus Dei; & hoc implicat ex dictis supra contra Durandum; sed si determinatio creaturæ est effectus Dei, jam præcedit Deus causans illam determinationem: ergo præcedit Deus prædeterminans. Minor est certa, quia omnis causa est prior suo effectui: consequens est nota, quia Deus prædeterminans, est Deus in signo anteriori ad determinationem creaturæ, causans determinationem creaturæ: sic præcedit Deus, ut ostensum est: ergo præcedit prædeterminans.

23 Confirmatur. Deus non solum est prima causa determinationis creaturæ, & ob id primum determinans, sed etiam est primus Dominus, & primum liberum, cū creatura solum per participationem sit libera, non per essentiam, nec per essentiam habeat dominium sui actus, sed per participationem à Deo primo libero: sed quoniam est secundum determinans, ejus determinatio debet esse à Deo primo determinante: ergo quoniam est secundum liberum, & secunda domina sui actus, debet ille esse à Deo primo libero, & primo Domino. At per concursum simultaneum determinabilem à creatura, non est Deus primum liberum, nec supremus Dominus: ergo pro utroque salvando requiritur concursus prævius.

Probatur minor. Deus dando

concursum indifferentem, relinquit in potestate creaturæ quod illum determinet ad quodcumque voluerit, imò in signo actualis determinationis sola creatura determinat pro suo libito. Ergo sola exercet dominium, & libertatem in determinando concursus Dei; Deus nullo modo, cum purè concurrat determinatus à creatura, & pro libito illius. Hoc est ponere libertatem creatam effrenem, tollendo à Deo libertatem, & supremum dominium inclinandi creaturam ad quodcumque voluerit. Cujus contrarium docent SS. PP. & Scripturæ:

Dices. Deus in signo determinationis creaturæ non determinat; ceterùm est primum liberum, & Supremus Dominus, quia in signo antecedenti ad creaturam, se determinavit ad dandum creaturæ suam concursus indifferentem, quem poterat non dare. Dedit tamen, & ad illum dandum se determinavit, non à creatura determinatus, sed pro suo libito, & ex sua bonitate. Sicut se determinavit, & à se solùm, ut creaturæ daret virtutem agendi. Hoc signum actus primi, est signum determinationis causæ primæ, & per illam est primus dominus; licet pro signo sequenti, quod est signum libertatis creatæ, non determinet.

Sed contra: Nam Deus se determinans ad dandum suum concursus indifferentem, solùm explicat dominium in dando, vel non dando concursu, non autem in eo quod concursus ille sit potius ad amorè, quam

odium, cum hoc veniat ex determinatione solius creaturæ: at dominium Dei non solùm est ad actum in communi, & sub indifferentia; sed ad actum amoris præ odio, & in particulari; ergo cum per determinationem explicatam non se determinet, nisi ad dandum concursus indifferentem, non salvatur plenum dominium Dei, & sub ratione particulari.

Confirmatur: Si Deus non influeret immediatè in effectum, sed solùm daret virtutem ad illum, non salvaretur ratio causæ primæ, ut contra Durandum dicunt omnes: sed per determinationem, qua Deus se determinat dare creaturæ virtutem, & concursus indifferentem, non determinat Deus immediatè ad actum, sed mediatè; media scilicet creatura, cui dedit concursus, & virtutem, ut sola se determinet: ergo per talem determinationem non salvatur in Deo ratio primi Domini &c. vel ad summum mediatè.

24. Quantum fundamentum sumitur ex doctrina D. Thomæ q. 3. de potentia art. 4. quæ est etiam B. Egidij locis laudatis de esse, & essentia, & sæpè aliàs, docentis, quod esse est effectus Dei proprius, qui à solo Deo potest effici. De quo vide quæstionem præcedentem num. 8. Omnis creatura est veluti instrumentum Dei, quo Deus utitur ad operandum: sed instrumentum movetur à causa principali media virtute prævia, intrinsicè recepta in ipso instrumento: ergo omnis creatura pro priori ad suam operationem movetur à Deo media

media qualitate intrinsicè prædeterminante. Patet consequenter. Nam virtus illa est qualitas. Est enim aliquid; nec ad aliud prædicamentum spectare potest, nisi ad qualitatem, ut facile constat discurrendo per singula. Hic repono auctoritates positas num. 1. & 2.

Confirmatur. Omnis creatura operatur in virtute causæ primæ. Dicitur enim in lib. de causis proposit. 36. *Virtutem Divinam esse virtutem omnium causarum.* Quod explicat B. Egidius quodlib. 5. q. 1. & D. Thomas 1. p. q. 105. art. 5. in corp. dicens, & secundum hoc omnia agunt in virtute ipsius Dei; quia nempe virtus Divina applicat omnes creatas, & istæ agunt per virtutem à Deo receptam: at illa virtus est qualitas: ergo est qualitas prædeterminans, & applicans ad agendum.

Confirmatur 2. Creatura est causa totalis sui effectus, illum sibi assimilans in ratione talis entis; & hoc modo est causa principalis: assimilatur etiam effectum Deo in ratione entis universalissimæ; & hoc modo est causa instrumentalis. Ergo supposita virtute completa, qua creatura sibi assimilatur effectum, debet recipere à Deo novam virtutem, ut instrumentum Dei ad assimilandum effectum Deo. At hæc virtus est qualitas non permanens, sed vialis, & applicativa instrumenti ad agendum; ergo ultra virtutem productivam indiget causa creata motione applicativa Dei media inter actum primum, & operationem.

25. Qui negant qualitatem prædeterminantem, & tenent prædeterminationem extrinsecam, eam probant sic: Deus non solùm est causa immediata effectus, sed etiam actionis creaturæ, quam efficit media actione distincta: sed actio, qua Deus efficit actionem creaturæ, est concursus prævius, & prædeterminans: ergo Deus prædeterminat physicè ad actionem cujuscumque causæ creatæ. Minor patet, nam concursus, qui præcedit actionem creaturæ, est prævius, & non simultaneus; actio autem Dei, si est causa actionis creatæ, præcedit illam, quod de omni causa relatè ad effectum est verum. Rursus, si actio Dei immanens est causa actionis creatæ, pro illo signo quo præcedit actio Dei, per illam constituitur operans: ergo si actio Dei præcedit actionem creaturæ, Deus non est cooperans, sed præoperans: ergo per concursus non simultaneum, sed prævium.

Major quoad ultimam propositionem probatur. Ex D. Thomæ 3. p. q. 19. art. 1. in corp. dicente: *Vbi cumque movens, & motum habent distinctas formas, & virtutes operativas, ibi oportet quod sit alia operatio moventis & alia operatio propria moti.* Sed Deus, & creatura habent diversissimas formas, & virtutes; cum ille per omnipotentiam; hæc per vicatam finitam, operentur: ergo diversa actione Deus efficit actionem creaturæ.

Secundò id patet ex D. Thomæ q. 3. de potentia art. 7. ubi ait: *In operatione, qua Deus operatur movendo*

do naturam, non operatur natura. Hinc patet, tum quod operatio, qua Deus movet naturam, non est concursus simultaneus; quia in illa operaretur natura, si simultaneus esset. Tum etiam, quod ea operatio est distincta ab operatione naturae; alioquin in ea etiam natura operaretur, si foret etiam operatio naturae.

Tertio. Nam quando naturae sunt diversae, nequeunt concurrere per eandem actionem, sed per diversam. Et ob id damnati sunt in sexta synodo Generali Monothelitarum, unicam in Christo admittentes operationem; nam sic ponere, erat ponere unicam naturam; & hoc est haeticum. Ergo sicut ex duplici natura in Christo Domino, probatur Theologicè duplex operatio distincta; nec potest illa duplex natura, quantumvis una alteri subordinata, operari per eandem actionem; sic nec Deus, & creatura, habentes diversam naturam, quantumcumque creata subordinetur Divinae, operari possunt per eandem actionem, sed diversis; quarum Divina sit causa actionis creatae. Hic repono omnia dicta quae praecedente à num: 19. & sequentibus.

§ V.

Proponuntur fundamenta sententiae negantis praedeterminationem.

26 **M** Ultra, & difficilia argumenta adducunt DD. Societatis pro neganda praedeterminationem

terminationem quam putant in causis necessarijs superfluum, in liberis impossibilem, & specialiter repugnantem divinae sanctitati. Pater Suarius in Metaphysica disp. 22. eam impugnat validissimè, contendens plenè repugnare quid medium inter virtutem agendi, & ipsam actionem: Unde concursum Dei probat intimè inclusum in actione ipsa creaturae. Nec brevitas, quam optamus, sinit nos argumenta omnia proponere, ea tamen quae capitalia sunt, conamur utcumque insinuare. Pro quo.

Probatur 1. ex dictis num. 11. & 12. de mente D. Thomae: quae forsitan urgentiori formae propones sic. Ratio causae primae in Deo, & subordinatio creaturae in actu secundo operandi, ejusque dependentia à Deo, & quidquid allegant Thomistae pro sua praedeterminatione, salvantur sine illa: ergo his titulis perperam astringitur, & titulo superfluitatis rejicienda est. Probatur antecedens 1. quia haec omnia juxta aliquos Thomistas salvantur sine qualitate praevia, & sine praedeterminatione intrinseca, per hoc solum quod actio creaturae sit effectus actionis immanens Dei, ut patet ex dictis num. 25. de sententia Palanco, Michaelis, Gavaridi, & aliorum: at sententia Suariorum, & DD. Societatis, concedit quod actio creaturae est effectus actionis immanens Dei; ergo salvat sine praedeterminatione Thomistica omnia, quae à Thomistis &c. Probatur minor: omnes DD. Societatis docent quod actio creaturae supponit actionem immanentem

Questio XVII.

mentem Dei, ut principium effectuum ad extrà; cum hoc solo discrimine, quod Palanco, & alij docent actionem immanentem esse actionem ad extrà; DD. autem Societatis illam vocant principium effectivum actionis ad extrà: sed si actio creaturae oritur ab actione immanenti Dei, ut à principio effectivo, non minus est effectus actionis Dei, quam si oriretur ab actione immanenti, ut actio est: ergo salvant quod actio nostra est effectus actionis immanens Dei.

27 Explicatur: DD. Societatis docent quod actio creata oritur à Deo immediatè, & supponit actionem immanentem Dei, ut in Suario videbis loco citato metaphysicae. Dicunt tamen quod actio Dei immanens non est actio respectu actionis creatae, sed principium ejus. Tum quia ad unam actionem non datur altera, benè tamen ad actionem datur, & petitur principium effectivum ejus. Prorsus actio est quasi via ad effectum, & ipsa dependentia effectus à causa, quod non habet actio immanens relatè ad creatam; tum quia actio creata est via Dei ad effectum; & ad viam non datur via. Tum quia actio creata est dependentia ipsa effectus à Deo, unde per se ipsam dependet à Deo sine actione distincta, quae sit dependentia; ergo licèt actio creata supponat actionem immanentem Dei, eam supponit ut principium sui, non ut actionem, & causalitatem sui.

Nunc sic si actio creata supponit actionem Dei ut principium sui, jam

actio creata est effectus actionis Dei; sed juxta Thomistas laudatos, semel posito quod sit effectus Dei, nil requiritur ultra pro salvanda in Deo ratione causae primae, subordinatione creaturae &c. Ergo per hoc praecisè haec omnia salvantur.

Nunc iterum: Sed per solum concursum simultaneum salvatur quod actio creata sit effectus actionis Dei, se habentis ut principium ejus: ergo per solum concursum simultaneum salvatur ratio causae primae, dependentia, & subordinatio creaturae &c. Probatur haec minor. Concursus simultaneus est actio creata, quae aequè primò oritur à principio Divino, & creato: sed principium Divinum est Omnipotentia Dei secum identificans suam actionem immanentem, quae ideò ad extrà habet rationem principij effectivi actionis creatae: ergo per solum concursum simultaneum &c.

Confirmatur: ut Deus sit causa prima, & ei sit subordinata causa creata in actu primo, sufficit quod recipiat à Deo virtutem agendi, quae est potens in actu primo: ergo ut Deo subordinetur in actu secundo, sufficit quod à Deo recipiat suam operationem. Sed sine concursu praevio per solum simultaneum recipit à Deo suam operationem: ergo sine praevio subordinatur Deo in actu secundo operandi. Probatur minor. Recipere à Deo virtutem, & operationem, nil est aliud, quam utramque causari immediatè à Deo: Sed per concursum simultaneum causat Deus immediatè actionem creaturae; nec aliud

aliud discrimen est in ſententia Palanco, & ſententia Societis, niſi quòd à Palanco actio Dei immanens dicitur actio cauſativa actionis creatæ; à Societate cum Suario dicitur principium effectivum actionis creatæ: ergo ſine concurſu prævio, per ſolum ſimultaneum recipit creatura à Deo ſuam operationem.

Probatur 2. Prædeterminationem eſſe ſuperfluum in cauſis neceſſarijs; ut ignis, Sol &c. Nam poſitis omnibus requiſitis ad operandum, cauſæ iſtæ ex natura ſua ſunt determinatæ ad operandum, & nullam habent indifferentiam ad operari, & non operari: ergo ultra requiſita ad operandum, quæ conſtituunt actum primum cauſæ, nulla requiritur prædeterminatio, vel applicatio cauſæ ad agendum. Explicatur. Ponè lapidem ſuſpenſum in aere, & quòd Deus decrevit concurrere concurſu ſimultaneo ad omnes ejus operationes naturales; lapis ille per ſuam formam gravitatis eſt determinatus ad gravitandam, & ad tendendum deorſum in centrum: ergo non indiget qualitate prædeterminante, aut aliquò determinativo præter formam gravis, lapidem determinantem.

Dices: requiritur ut Deus ſit cauſa univerſalis illius deſcenſus, & ut creatura ſubordinetur Deo, veluti instrumentum ejus. Sed contra. Nam licet pro instrumentis artificialibus, quæ non ex ſe ſubordinantur artificio, nec ex ſe inclinantur in motum artificialem, ſit neceſſarius impuſſus artificis, ut patet in ſecuri, ferra &c.

At pro instrumentis naturalibus, ex ſua natura ordinatis ad agendum, non eſt neceſſaria talis impreſſio: at creaturæ ſunt instrumenta naturalia Dei, & per ſuam formam naturalem ſunt determinata ad ſuas actiones, ut ignis ad comburendum, lapis ad gravitandum: ergo pro talium ſubordinatione non eſt neceſſaria prædeterminatio. Probatur minor. Quia accidens juxta Thomam eſt instrumentum ſubſtantie operative, datum à natura; idè ut ſubordinetur ſubſtantie in agendo, nulla eget motione, aut impreſſione ſubſtantie, ſed intransitive elevatur à ſubſtantia, & ei ſubordinatur, ut dictum eſt ſuprà q. 10. §. 6; ergo pro instrumentis naturalibus &c.

Confirmatur. Deus præparans concurſum ſimultaneum cauſis creatis, illis præparat juxta earum naturam: ſed cauſæ neceſſariæ ſunt determinatæ ad unum: ergo Deus cauſis neceſſarijs præparat concurſum ſimultaneum ad unum determinatum. Sed poſito ſic concurſu ſimultaneo Dei, nulla eſt neceſſaria ulterior determinatio: ergo ſuperfluit prædeterminatio pro cauſis neceſſarijs. Probatur minor. Nam ex parte Dei non eſt neceſſaria determinatio, cum ejus concurſus non ſit indifferens, ſed determinatus ad unum, & ſic fuerit præparatus. Nec ex parte creaturæ, cum hæc per ſuam formam naturalem ſit ad unum determinata. Et urgetur. Nam ſi prædeterminatio eſſet forma intrinſeca conſtituens actum primum creaturæ, hæc non indigeret

ultra.

ulteriori determinatione. At idem habent nunc cauſæ neceſſariæ in ſua forma naturali: ergo non egent prædeterminari.

29 Probatur 3. Prædeterminationem eſſe impoſſibilem pro cauſis liberis. Et quidem omnia teſtimonia, quibus in Scriptura oſtenditur nos eſſe liberi arbitrij, evertunt prædeterminationem. Ad Corinth. Epist. 2. cap. 11. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Hæc exhortatio cum prædeterminatione non coheret. Nam vel Deus dat illam, vel non. Sicut: Ergo cum hæc ſit infallibiliter connexa cum actu ad quem datur, impoſſibile eſt illam reddere vacuum. Si non dat? Quomodo illam recipiam, cum in manu mea non ſit, ſed in ſolus Dei dantis? Sic quia eſſe rationale eſt connexum cum recipere rationalitatem, improprie diceretur nobis, *Hortamur ne in vacuum recipiatis rationalitatem.*

Rurſus Apocalypſis 3. *Sto ad oſtium, & pulſo: ſi quis mihi aperuerit, intrabo ad illum.* & Math. 23. Deus conqueritur, quòd homines vocati non reſpondeant: *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti.* Jſaiæ, 5. *Quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci.* Hæc, & alia innumera non coherent cum gratia prædeterminante. Nam vel hæc datur à Deo, vel non. Si non datur? ergo deficiente illa cum ſit impoſſibilis converſio noſtra, Deus vocans nos, ſi illam denegat, vocat ad impoſſibile: quod impoſſibile eſt fateri. Si datur? Ergo infallibiliter convertemur,

nec eſt unde Deus de nobis conqueratur. Rurſus vel Deo pulſanti oſtium per vocationem ſufficientem poſſum reſpondere, & aperire ſine prædeterminatione, vel non. Si poſſum? ergo illa non eſt neceſſaria. Si non poſſum, cur mihi imputatur quòd non aperiam, ſi Deus denegat prædeterminationem, qua ſola completè poſſum aperire Deo pulſanti?

Confirmatur ex P. Auguſt. 3. de lib. arb. cap. 18. dicente: *Quæcumque cauſa eſt volitionis, ſi hæc reſiſti non poteſt, ſine peccato ei ceditur.* Et de Spiritu, & litt. cap. 21. *Hoc quiſque habet in poteſtate, quod ſi vult, facit, ſi non vult, non facit.* At prædeterminatio eſt irreſiſtibilis; ponitur enim à Thomam cum eadem efficacia, ac voluntas Dei, quæ ſanè in Scriptura dicitur irreſiſtibilis: ergo prædeterminatio ad materiale peccati facit nos cedere ſine peccato; unde nunquam peccabimus, quod eſt hæreticum. Rurſus. Demus voluntatem velle ambulare, & quòd Deus ut poteſt, non prædeterminet ad ambulandum: certè non ambulabit. Quomodo erit libera ad ambulandum, ſi volens ambulare, non poteſt defectu prædeterminationis?

Confirmatur 2. ex D. Thoma in 2. ſent. diſt. 39. q. 1. art. 1. ubi ait: *Ipsa potentia voluntatis, quantum eſt in ſe, eſt indifferens ad plura ſed quòd determinatè exeat in hunc actum, vel illum non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate.* Ergo non eſt à Deo prædeterminante, alioquin Deo tribuendum eſſet: non voluntati, exi-

re in hunc actum. Et quaest. 3. de potentia art. 7. ad 12. ait: *Quia voluntati hominis Deus dedit dominium sui actus, determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis.* Ergo non reservavit illam Deus sibi praedeterminanti. Et q. 5. de potentia art. 4. ad 3. *Discendum, quod licet causa prima maxime influat in effectum, tamen eius influentia per causam proximam determinatur, & specificatur.* Ergo relegat concursum primum, & solum admittit simultaneum indifferentem ex se, & determinabilem à creatura.

30 Probatur 4. à ratione in causis liberis. Vel praedeterminatio non est requisita ad agendum, vel requiritur ex parte actus primi ad posse agere: si requiritur ad posse, tollit libertatem: si non requiritur ad posse, non requiritur: ergo vel superflue astringitur, vel tollit libertatem. Major, & minor multis probatur.

Et primo major sic. Quidquid praevidetur requiritur ut causa operetur, requiritur ut causa sit potens operari: Sed praedeterminatio praevidetur requiritur ad operandum: ergo vel non requiritur, vel ad posse agere requiritur. Secundo. Per hoc praecise quod Deus suspendat suum concursum, deficit potentia proxima in creatura ad operandum: ergo quia potentia constituitur per concursum Dei praedeterminativum. Patet conseq. quia contrariorum eadem est ratio; quare si nulla creatura habet potentiam ad operandum sine praedeterminatione, nulla habet potentiam nisi per praedeter-

minationem. Tertio. Applicatio causae ad operandum, constituit causam in actu primo, adequate potentem operari. Hoc patet, nam applicatio ignis ad passum constituit actum primum, & potentiam comburendi. Cognitionis objecti applicans voluntatem ad amandum, constituit actum primum voluntatis. Rursus dum voluntas movetur à fine, motio illa constituit voluntatem in actu primo. Sed si praedeterminatio requiritur, requiritur ut applicatio causae ad agendum: ergo requiritur ad posse agere. Tandem quid requiritur primum ad agere, praeter potentiam expeditam ad agendum? Ergo si praedeterminatio requiritur, ad posse requiritur.

Et confirmatur. Demus voluntatem velle currere, & Deum denegare praedeterminationem ad cursum: id potest juxta Thomistas, quia plene Dominus est dandi, vel negandi praedeterminationem. En argumentum. Juxta P. Augustinum de Spir. & litt. cap. 21. *Hoc quisque habet in sua potestate, quod si vult, facit; si non vult, non facit.* Et lib. 1. retractationum cap. 12. *Hoc est in potestate nostra, quod cum volumus, facimus.* Ergo à contrario, id quod cum volumus, non facimus, non est in potestate nostra: sed in casu dato voluntas volens currere, non currit, quia est impraedeterminata ad cursum: ergo quia non potest. Sed nil deficit ei, nisi praedeterminatio: ergo quia haec requiritur ad posse.

Explicatur. Ex duplici tantum capite oriri potest, quod ego non curram, nempe quia non possum, vel quia

quia nolo. At in casu posito, non oritur quia nolo; nam suppono me velle currere: ergo non curro impraedeterminatus, quia non possum. At tunc tantum deficit mihi per praedeterminationem ad cursum: ergo quia haec constituit potentiam ad actum, ex cuius defectu deficit mihi potentia, aut posse.

31 Minor principalis probatur. Nam si requiritur ad posse, qui caret praedeterminatione, carebit potentia ad actum, cum careat uno ex requisitis ad potentiam: ergo qui caret praedeterminatione ad actum, non erit liber ad actum. Patet consequentia. Quia libertas non stat sine potentia expedita ad agere, vel non agere. Rursus. Nullus peccabit omittendo amorem Dei. Nam vel est praedeterminatus ad amorem, vel non. Si est? non potest omittere, eo quod praedeterminatio infallibiliter connectitur cum actu, ad quem datur. Si non est praedeterminatus? Ergo non habet potentiam ad amorem, & sic non peccat, quia impotentia excusat; & solum potenti facere, & non facienti, imputatur omisio.

Secundo. Nam si praedeterminatio constituit posse, & actum primum, constituit posse determinatum ad agere: ergo non relinquit potentiam indifferentem ad agere, & non agere. At libertas est potentia sic indifferentis: ergo si praedeterminatio constituit posse, tollit libertatem. Vergetur. Actus primus infallibiliter connectitur cum operatione, nequit

esse potentia indifferentis ad operationem, & ejus carentiam: ergo nequit esse liber. At si constituitur actus primus per praedeterminationem, erit infallibiliter connectus cum operatione, sicut, & ipsa praedeterminatio: ergo &c. Explicatur. Ipsa praedeterminatio non est indifferentis ad actum, & ejus carentiam, sed unice est applicatio ad actum: ergo potentia constituta per praedeterminationem, erit unice potentia ad actum, non ad ejus carentiam. At potentia libera est potentia ad utrumque: ergo potentia constituta per praedeterminationem, non est libera. Rursus. Quia potentia ignis constituitur per formam determinatam ad unum, nempe ad combustionem, ideo non est libera, sed necessaria: Sed praedeterminatio est forma ad unum determinata, nempe ad actum praedeterminatum: ergo potentia constituta per praedeterminationem, non est libera. Quare si praedeterminatio constituit actum primum voluntatis, tollit libertatem.

Haec, & alia argumenta, quae alia sunt tantum ratione formae arguendi, non autem ratione materiae, concludunt veram esse hanc propositionem, quae à PP. Societatis habetur ut nota, & ut primum principium. *Omne requisitum ad actum, inaccessibile per ipsum actum, constituit potestatem proximam ad actum: Unde illo deficiente, d. si. it. potestas proxima.* Inde inferunt, quod cum praedeterminatio sit ad actum requisita, nec possit à nobis acquiri per actum, sed danda sit à Deo praevidetur, constituit poten-

tiam agendi. Ergo non liberam, sed necessitatam ad agere, ut ostensum est.

32 Probatur 5. eadem sententia, & ablatio libertatis, ex quo prædeterminatione sit irresistibilis. Stante prædeterminatione ad amorem, voluntas nequit non amare: ergo non est libera. Patet consequentia, quia ad liberè amandum requiritur potestas ad amandum, & non amandum. Probatur antecedens. Voluntas non potest frustrare prædeterminationem, cum hæc sit infallibilis, & essentialiter connexa cum amore: Sed si stante prædeterminatione ad amorem, voluntas non amaret, frustraretur prædeterminatio ad amorem: ergo &c.

Secundò probatur antecedens. Si stante prædeterminatione ad amorem, voluntas non amaret, poneret chimæram; nam chimæra, & impossibile est ponere carentiam amoris cum prædeterminatione ad amorem: Sed voluntas non habet potentiam ad chimæram, & ad impossibile: ergo stante prædeterminatione ad amorem, nequit non amare.

Confirmatur. Amare sine prædeterminatione ad amorem, est chimæricum: Sed voluntas non habet potentiam ad chimæram: ergo non habet potentiam ad amandum sine prædeterminatione ad amorem. Sed qui non habet potentiam ad amandum, non est liber. Ergo qui caret prædeterminatione non erit liber ad amandum. Ergo non peccabit, licet omittat amorem Dei.

Confirmatur hoc syllogis-

mo: *Omnis prædeterminatus ad consensum, consentit: sed Petrus est prædeterminatus ad consensum: ergo consentit.* En syllogismus perfectus in *Darij*. Quo supposito argues sic. Qui non potest impedire veritatem alicujus præmissæ, legitimè inferentis conclusionem, non potest impedire veritatem conclusionis, sed Petrus prædeterminatus ad consensum, non potest impedire veritatem præmissarum; nam major syllogismi positi est essentialiter vera; minor non est in potestate Petri, sed Dei prædeterminantis: ergo non est in potestate Petri impedire hanc veritatem: *Petrus consentit.* Sed si posset non consentire, posset conclusionem illam impedire: ergo si non potest, idè quia non potest omittere consensum. Et si esset liber in consentiendo, posset non consentire: ergo semel prædeterminatus ad consensum, non est liber.

His, & alijs formis, quas in *Palanco*, & alijs invenies, probant *DD. Societatis* hoc veluti principium: *Quod sequitur ex inimpedibili, est inimpedibile.* Quare cum actus noster sequatur infallibiliter ex prædeterminatione, cui non possumus resistere, nec eam impedire, idè actus secutus est nobis inevitabilis, & sic non est liber, cum non exeat à potentia potente se exercere liberè per actum, vel ejus carentiam.

33 Ultimum fundamentum negandi prædeterminationem, sumitur ex sãctitate Dei, cui repugnat prædeterminare ad materiale peccati: Sed si datur prædeterminatio ad alios

actus

actus, etiã debet dari ad materiale peccati: ergo vel ad materiale datur, vel ad nullum actum datur. Minor est certa. Idè ponitur prædeterminatione ad alios actus, ut salvetur in Deo ratio causæ primæ, primi entis &c. Et in creatura subordinatio ad Deum primam causam. &c. At dum creatura efficit materiale entitatem peccati, est causa efficiens secunda, Deo subordinatur in agendo &c. Ergo prædeterminatur. Hæc consequentia admittitur à ferè omnibus Thomistis, & pro conclusione defenditur. Jam verò quòd absurda doctrina sit, & Divinæ sãctitati repugnans, probatur sequenti argumento.

Loquamur de primo peccato Adami, vel Luciferi, ad quod nullum peccatum præcessit, ed quòd loquimur de primo peccato. In principijs Thomistarum dicendum est, quòd supposito Adamo in signo indifferentiæ, ut prædeterminaretur vel ad actum obedientiæ, vel ad actum inobedienciæ, & nulla existente ratione ex parte Adami potius ad inobedienciã, quàm ad obedientiam, Deus ex se, & ex suo solùm placito, voluit, & decrevit, quòd Adamus non obediret, & pro actu inobedienciæ impressit Adamo qualitatem, vel prædeterminationem connexam cum inobedienciã: ergo Deus est causa, & author illius inobedienciæ, quod est blasphemia hæreticorù hujus temporis. Antecedens patet, quia ante primum peccatum non præcessit aliud peccatum, in cujus pœnam Deus prædeterminaret ad inobedienciã: nec ex parte

hominis quid præcessit, quo peteret sic prædeterminari; quare pro suo libito Deus sic prædeterminavit, cum posset ad bonum. Hoc sanè indignum est credere de Divina bonitate, semper ex se parata movere ad bonum, nec nisi invita ad malum actum.

Consequentia probatur: Adamum peccare, nil est aliud quàm ponere actum volendi edere de ligno prohibito in circumstantijs prohibitionis à Deo factæ, & cognitionis talis præcepti. Sed prædeterminans Adamum ad illum actum volitionis, voluit, & fecit ut Adamus illum poneret in illis omnibus circumstantijs, & voluit etiam circumstantias: ergo voluit, & fecit ut peccaret, quod est esse Authorè peccati. Rursus si Deus per impossibile posset esse author peccati, non aliter esset, quàm prædeterminando Adamum ad actum inobedienciæ in eis circumstantijs, & nulla prævisa ratione ex parte Adami: Tandem. Nam idè est Author obedientiæ Michaelis, quia prædeterminavit ad actum obedientiæ in eis circumstantijs: ergo à contrario, prædeterminans ad actum inobedienciæ in eis circumstantijs, in quibus est peccatum, est author peccati.

34 Dices: Deum non esse authorem peccati, quia non prædeterminat ad actum illum, ut ponatur à creatura deficienter, sed efficienter, in qua efficientia non est peccatum, quod consistit in deficientia. Vel dices, Deum prædeterminare ad talem actum pro materiali, ut entitas, & bonitas est transcendentalis; non au-

tem

tem pro formali, quatenus habet ad-
iunctam malitiam. Quare est author
entitatis, non malitiæ, aut peccati.

Sed contra est. Nam Adamum
ponere actum illum deficienter, &
sub ratione materiali, aut quoad for-
male malitiæ, nil est aliud, quam il-
lum ponere in circumstantiis prohi-
bitionis, & cognitionis præcepti; non
enim amavit actum illum, quia ma-
lum, aut prohibitum, cum malum, ut
malum non sit amabile; amavit autem
actum illum, ut iucundum, & dele-
ctabilem, & redditus est malus, quia
amatus in eis circumstantiis. Sed
Deus in eis circumstantiis prædeter-
minans ad actum inobedientiæ, vult
quod Adamus illum ponat in eis cir-
cunctiis: ergo vult, & prædetermi-
nat ad actum deficienter, & sub ratio-
ne mali.

Et Confirmatur, qui vult &
prædeterminat ut alter faciat entita-
tem, quæ sine malitiâ effici non po-
test, quoniam vel identificatur cum
entitate malitiæ, ut in odio Dei; vel
connectitur cum entitate, ut in pec-
cato Adami; vult non solam entita-
tem, sed malitiam adjunctam: at Deus
prædeterminans ad entitatem pecca-
ti, vult quod creatura faciat id, quod
sine peccato, nequit effici à creatura:
ergo vult, & prædeterminat non ad
solam entitatem, sed ad malitiam
adjunctam: quod à Sanctitate Dei
alienissimum. Major constat exem-
plis obvijs; & in ipsa voluntate crea-
ta, quæ non aliter vult malitiam,
quam volendo entitatem, cui annexa
est malitiâ; cum malitiâ ut talis non

ametur, imò optarent peccatores nil-
lam esse malitiam in suis actibus, &
exercitijs. Constat etiam ex D. Tho-
ma 1. 2. q. 71. art. 3. in corpore di-
cente: *Qui vult aliquid, cum quo aliud
simul esse non potest, ex consequenti vult
illo carere.*

Confirmatur 2. Quia Luthera-
ni, & Calvinistæ, damnati à Triden-
tino, non ponebant Deum causare
actum malum sub ratione malitiæ, &
qua malus est; sed actum ipsum, qui
est malus; & tamen damnantur, quo-
niam ponebant Deum Authorem pec-
cati: ergo concedentes Deum præde-
terminare ad actum, qui est pecca-
tum, & non posse poni sine peccato;
tenentur concedere esse authorem
peccati. De majori testantur Suarius
Zumel, & alij, quod omittimus à
Theologis expendendum.

Confirmatur 3. Deus non po-
test movere finaliter ad actum pra-
vum, quin sit author peccati: ergo
nec prædeterminare physicè. Ante-
cedens patet, quia suadere ad actum
malum, est officium dæmonum, &
Deo ex diametro repugnat, qui so-
lum concilio, suasionem &c. vocat
nos ad bonum. Consequentia proba-
tur fortius movet prædeterminatio
physica, quam moralis, ut patet ex
dictis: ergo si moralis minus movens,
constituit authorem mali moventem
moraliter ad malum; potiori titulo
prædeterminatio physica ad actum
malum, constituet Deum
authorem peccati.

(* ** *)

*Judicium de utraque sententia
proponitur.*

35 **A**ntequam nostram sen-
tentiam proponamus,
placet parùm digredi in iudicio utrius-
que sententiæ, supra propositæ, quam
partim probamus, partim improba-
mus. Probamus in Thomistica, quod
Deus physicè prædeterminat ad actus
omnes sub ratione entis universalis-
sima, nec non etiam ad actus super-
naturales sub ratione talis entis; ce-
terum nec ad actus pravos, nec ad
actus merè naturales Deus prædeter-
minat sub ratione talis entis; nam
hoc modo determinatur à solo agē-
te creato. Et hinc fit ut posita deter-
minatione Dei sub ratione entis uni-
versalissimæ, adest locus, & neces-
sitas, ut creatura se determinet ad actū
sub ratione talis entis. Sicut posita
à Deo actione productiva effectus sub
ratione entis, adest locus ut creatura
producat eundem effectum sub ra-
tione talis entis. Hæc doctrina est B.
Ægidij quodlib. 6. q. 2. & de esse,
& essentia q. 3. & etiam D. Thomæ
q. 3. de potentia art. 7. Et ea claris-
simè probatur concursus prævius, &
necessitas prædeterminationis ad om-
nes actus.

Probatur sic. Deus cum creatu-
ra concurrens immediate tum ad effe-
ctum actionis creatæ, tum ad ipsam
actionem creatam, efficit effectum, &
actionem sub ratione entis universa-

lissima, sub qua nulla creatura habet
virtutem ad efficiendum, sed est me-
rum instrumentum Dei: sed instru-
mentum quod merè agit instrumen-
tally, sub ea ratione qua agit in-
strumentally, agit ut motum ab
agente, cuius est instrumentum: Ergo
Deus movet creaturam, veluti instru-
mentum suum ad omnes suas actio-
nes sub ratione entis universalissimæ.
Major patet ex dictis q. 16. de con-
cursu simultaneo contra Durandum,
num. 7. & 8. & 10. Nec negatur à
DD. Societatis. Illam disertis verbis
tradit D. Thomas loco citato dicens:
*Ipsium enim esse est communissimus effe-
ctus, primus, & intimior omnibus alijs
effectibus; & idè soli Deo convenit se-
cundùm virtutem propriam talis esse-
ctus.*

Et ratione probatur. Nam effe-
ctus universalissimus non potest effi-
ci, nisi à causa universalissima; nulla
creatura, sed solus Deus habet vir-
tutem, æquantem esse universalissi-
mum. Rursus, cum esse universalissi-
mum sit primum prædicatum de linea
essendi, ante quod est nihil: sola vir-
tus quæ agit ex nihilo, potest illud
producere; Creatura autem, quæ im-
potens est creare, & idè impotens
agere nisi ex aliquo præsupposito,
non potest agere sub ratione entis
universalissimæ, quæ solum nihil præ-
supponit, ut bene observat B. Ægi-
dij. Ergo in nulla creatura adest
virtus ad suam actionem sub ratione
entis universalissimæ; quare dum il-
lam efficit sub ista ratione, illam effi-
cit ut merum, & rigorosum instru-
mentum.

mentum Dei, non minus, ac si Deus assumeret creaturam ad creandum aliquid, tunc esset rigorosum instrumentum Dei, causæ principalis unice creationis.

36 Minor principalis est innegabilis, cum de ratione instrumenti sit agere, ut motum ab agente principali. Quod si negatur à DD. Societatis, idè est, vel quoniam non concedunt creaturam esse rigorosum instrumentum Dei, ed quòd est causa principalis suæ actionis, quod repugnat instrumento rigoroso: Vel quoniam dubium est, hinc inde probabile, & incertum, quomodo moveantur instrumenta; an per qualitatem eis impressam, an sine illa. In præsentis probatio nostra non pendet ex illa lite.

Quantum ad primum, licet creatura sit causa principalis actionis sub ratione talis entis; at est instrumentum rigorosum ad actionem sub ratione entis universalissima. Probatur. Nā illud est instrumentum rigorosum ad effectum sub aliqua ratione, sub qua nullam habet virtutem instrumentum: Sed creatura nullam habet virtutem ad actionem, vel effectum sub ratione entis universalissima: Ergo relatè ad actionem sic, creatura est rigorosum instrumentum. Minor patet ex dictis hinc: & major est diffinitio instrumenti rigorosi.

Jam verò, quòd tale instrumentum debeat agere ut motum à principali agente, ultra auctoritates adductas hic num. 1. & 2. de mente Philosophi, D. Thomæ, & P. Augu-

stini, quæ hoc probant de creatura, ut instrumento Dei; probatur à ratione, & præscindimus à modo quo elevantur instrumenta. Probatur sic. Instrumentum rigorosum non habens propriam virtutem ad effectum, debet agere in virtute agentis principalis, & ut elevatum à causa principali: Sed elevatio illa est motio; vel transitiva, si fit per additionem aliqujus intrinseci, putà qualitatem, vel impulsus impressum; vel intransitiva; si fit sine tali additione, per solam subordinationem instrumenti agentis in actu secundo ad causam principalem, ut à nobis dictum est in hoc lib. q. 11. §. 2. Ergo instrumentum rigorosum agit ut motum à causa principali. Major patet, nam instrumentum debet agere aliqua virtute: ergo vel propria, vel aliena. Non propria, si instrumentum rigorosum est: ergo aliena, & idè agit in virtute agentis principalis.

37 Hinc aliter probatur prædeterminatio explicata, ab Ægidio nostro sic. Eum ordinem servant causæ simul concurrentes ad eundem effectum, quem servant ex parte effectus illæ formalitates, & rationes sub quibus producunt effectum: Sed Deus agit sub ratione entis universalissima, creatura autem sub ratione talis entis; & ratio talis entis essentialiter præsupponit rationem entis universalissimam, à Deo productam: ergo creatura agens sub ratione talis entis tum effectum, tum suam actionem, supponit Deum essentialiter operantem tum effectum, tum actionem sub ratione

ratione entis universalissima. Patet major quia effectus debet plenè correspondere suæ causæ, nec aliter responderet nisi servarent causæ eundem ordinem &c.

Nunc sic. Creatura agens actionem, & se determinans ad illam, agit, & se determinat ad illam sub ratione talis entis, supponendo Deum agentem actionem ratione entis universalissima: ergo supponit Deum determinantem ad actionem sub ratione entis universalissima. Patet hæc consequentia. Tum quia creatura nequit determinare ad actionem, sub ea ratione, sub qua creatura non agit illam, sed solus Deus; Deus autem solus agit actionem sub ea ratione universalissima. Tum etiam, quia si creatura supponit essentialiter Deum operantem actionem sub illa ratione, supponit Deum determinantem ad actionem sub ea ratione; illius enim est determinare efficienter ad actionem, cujus est agere actionem. Tum tandem, quia nequit creatura determinare, nisi per suam actionem: Sed si actio creaturæ, ut à creatura, supponit Deum ut principium universalissimum operantis; non potest esse determinativa principij operantis, quod enim est prius nequit determinari à posteriori: ergo Deus unica causa actionis nostræ sub ratione entis universalissima, est unicum determinans ad illam sic. Quare cum actio nostra sub ratione entis, sit prior ad se ipsam sub ratione talis entis, determinatio Dei est prior determinatione nostra, & sic est prædeterminatio physica,

& ex parte efficientis, ut dicunt Thomista.

38 At non est prædeterminatio ad actum sub ratione talis entis. Primo, quia eo modo Deus est causa actionis creaturæ prædeterminando, quo est causa effectus creaturæ coagendo, & cooperando: Sed Deus solum est causa effectus creati sub ratione entis, non verò sub ratione talis entis, ut patet ex dictis q. præcedente: ergo solum est causa, & prædeterminans ad actionem creatam, sub ratione universalissima entis. Major patet, quia ex eodem principio probantur concursus prævius, & simultaneus, ut patet ex ratione nostra, & ex quo à D. Thoma sub eodem articulo probatur uterque, quæst. 3. de Potentia art. 7. Tum etiam quia per hoc quòd Deus efficiat effectum sub ratione entis universalissima, causa creata, & ipse effectus plenè dependent à Deo causa prima, ergo per hoc præcisè, quòd sic determinet sub ratione universalissima, actio creata, & agens creatum, plenè dependent, & Deo subordinantur. Tum tandem. Nam idè Deus non influit in effectum, nisi sub ratione universalissima, quia est sola causa universalis, & non anchor specialis effectus: at etiam ad actus pravos, & ad merè naturales, non prædeterminat ut auctor specialis, sed ut universalis: ergo ad eos solum determinat sub ratione entis universalissima.

Et confirmatur. Licet in effectum nulla sit entitas vel formalitas, respectu cujus Deus non sit causa prima, &

inmediatè productiva, totum hoc salvatur per hoc præcisè quòd totum effectum producat sub ratione entis universalissimæ, nec requiritur quòd producat sub ratione talis entis: ergo licèt in actione creata nulla sit entitas vel formalitas, respectu cuius Deus non sit prima causa, & primum determinans, totum hoc salvatur per hoc præcisè, quòd determinet ad actionem sub ratione entis universalissimæ; nec requiritur quòd determinet ad eam sub ratione talis entis.

39 Hinc colliges multa, satis utilia, quæ non facillè explicantur in aliorum principijs, sed facillimè in nostris. Primum est, quòd hoc modo benè explicatur, quomodo si Deus prædeterminat ad actionem, adest locus, ut creatura se determinet? Thomistæ docent quòd Deus determinando, tollit indifferentiam suspensionis, non autem libertatis; quare voluntas manens indifferens indifferentia libertatis, se determinat, ut eam tollat indifferentiam. Hæc doctrina non plenè percipitur. Nam utraque indifferentia formaliter tollitur, aut formaliter determinatur per eundem actum voluntatis: ergo Deus determinans ad actum, est causa determinationis formalis utriusque indifferentiæ: ergo tollit utramque. Quid ergo restat tollendam à voluntate pro posteriori? Certè non apparet.

In nostris principijs facillimè. Nā sicut Deus producens totum effectum sub ratione entis universalissimæ, relinquit creaturæ integram etiam pro-

ductionem effectus sub ratione talis entis; ita determinans ad actionem sub ratione entis universalissimæ, relinquit creaturæ integram determinationem ad actionem sub ratione talis entis: ergo sicut effectus est producibilis totaliter à Deo sub ratione universalissimæ, & à creatura sub ratione talis entis; sic actio est determinabilis ab utroque agente sub ratione magis, & minus universalis; nec superfluit determinatio creaturæ ad actionem, præsupposita determinatione Dei; sicut non superabundat productio effectus ab agente creato, licèt supponat productionem totalem effectus ab agente increato.

40 Colliges secundò, quòd ad actiones supernaturales, & meritorias, & ad omnes quæ aliquo titulo petunt Deum authorem specialem, ut primus motus cordis, qui est à generante, & prima operatio voluntatis, quæ est à solo Deo applicativè; ad has omnes Deus prædeterminat non solum sub ratione entis universalissimæ, sed sub ratione talis entis: quare illarum omnium Deus est author specialis. Quòd si quæras rationem; non possumus recurrere ad rationes Thomisticas, sumptas ex Deo prima causa, primo determinante, primo Domino; vel ad subordinationem causæ secundæ ad primam. Nam istæ rationes probant de quacumque actione, nec tamen Deus quacumque actionem determinat sub ratione talis entis. Ergo applicatio Dei ad actionem sub ratione talis entis, ex alijs principijs probanda est.

Probatur ergo in actibus supernaturalibus ex ipsa supernaturalitate; quæ cum sit supra naturam nostram, petit Deum non solum authorem universalem, sed specialem; unde petit Deum non solum applicantem sub ratione universali, sed sub ratione speciali talis entis. In actibus verò primis cordis, & voluntatis, probatur ex ipsa primitate: nam cum vivens non se moveat, nisi de uno actu in alium; si autè primum non datur aliud, de quo se moveat; ad primum non potest se applicare. Ergo Deus supplens defectum istum, debet applicare non solum sub ratione universali, sed sub particulari; quo fit ut sit author specialis earum actionum; & idè tales sunt bonæ, & nequeunt esse malæ. Quæ ratio deservit ad probandum quòd Angelus in primo instanti, hoc est per primam suam operationem, non potuit peccare; alioquin Deus author specialis talis operationis, posset esse author peccati.

Alij verò sunt operationes, quæ nec supernaturales sunt, nec primæ, sed adeò excellentes, & difficiles naturæ nostræ infirmæ ob peccatum originale, ut necessarium sit Deum applicare ad eas sub ratione talis entis. Hæc applicatio unicè probatur ex infirmitate naturæ nostræ, & sic probata est indigentia nostræ à P. Augustino contra Pelagianos. Ut videas, licèt obiter, quòd rationes Thomisticæ pro prædeterminatione physica, nil suadent pro efficaci gratia requisita ad actus meritorios, & salu-

tares: quam cum P. Augustino probare oportet vel ex supernaturalitate actuum vel ex infirmitate nostræ contracta per originale peccatum.

41 Colliges tertio, quòd licèt Deus prædeterminet physicè ad actus bonos, & ad malos, at non est æqualiter opus ejus proditione Judæ, & vocatio Pauli, ut blasphemavit Lutherus, damnatus à Tridentino. Ratio in nostris principijs est clarissima. Nam ad proditionem Judæ prædeterminavit sub ratione entis universalissimæ, & ejus fuit author universalis quoad solam entitatem, & sub ratione universali entis. At pro conversione Pauli, determinavit sub ratione entis, & talis entis; quare fuit author specialis conversionis, & hæc speciale opus Dei sub ratione entis, & talis entis. Quòd discrimen non subsisteret, si cum alijs diceres Deum ad quacumque actionem malam æquè, ac bonam, prædeterminare sub omni ratione entis, & talis entis.

Tandem colliges rationem, cur Deo prædeterminanti ad actum bonum, tribuitur nedum actus, sed bonitas, & meritum; prædeterminanti autem ad actum pravum, tribuitur entitas, non malitia annexa actui. Ratio est quia actus boni est author specialis; pravi autem solum author universalis. Et hujus ratio est, quia ad bonum, & meritum determinat sub ratione entis, & talis entis; unde Deo tribuitur ut ens est, & tale ens est, nempe bonum, & meritorium. Sed cum ad actum pravum non determinet nisi

sub ratione universalissima entis, actus pravius ut ens est, tribuitur Deo, & sic est bonus transcendentaliter; sed non tribuitur ut tale ens est, nisi soli creaturæ, & ob id ei soli tribuitur malitia adjuncta tali entitati, ut talis est. Hæc sufficiant insinuas pro sententia Thomistica, de quibus vide N. Villanovam in Præscientia disp. 2. dub. 13. ubi pro doctrina data refert plures nostros, & extraneos.

Ea est expressa D. Thomæ. 1. 2. q. 9. art. 6. Vbi sibi objicit: *Deus non est causa nisi bonorum, &c. Si ergo à solo Deo moveretur voluntas, nunquam moveretur ad malum.* Respondet: *Ad tertium dicendum quod Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac universalis motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud bonum, quod est verè bonum, vel apparens bonum. Sed interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinatè volendum; quod est bonum sicut in his, quos movet per gratiam, ut infra dicitur.* Scilicet q. 109. Idem habet B. Egidius in 2. dist. 37. q. 2. art. 1. §. Sed dices. Et dist. 24. & 25. Vbi sicut ex objecto universali, & particulari voluntatis, inferunt in Deo duplicem motionem universalem, & specialem; sic de eorum mente ex motione ad actionem sub ratione universali, & particulari, distinguenda est motio universalis, & specialis. Hæc de sententia Thomistarum.

42 Duo docet sententia Societa-

tis, quæ nobis vera sunt, licet non sufficiant pro absolutè impugnandæ prædeterminatione physica. Primum; quod virtus adæquatè potens ad actum, potest seipsam applicare, nec indiget applicatione aliena. Alterum est prædeterminationem physicam tollere libertatem, quod ex parte verum est, sed non officit, ut explicabimus. Singula exponimus.

Et primò quod virtus completè potens ad actionem, sit ex se completè potens determinare, hoc est verum; & ob id supra diximus, quod Deus non determinat ad actus sub ratione talis entis, quia ad actus sic, virtus creata est completa, & adæquata per suam formam. Loquimur de actibus naturalibus. Hinc fit, ut ad actus sub ista ratione creatura non prædeterminetur, sed seipsam determinet. Ceterum ex illo principio probatur Deum prædeterminare ad actus sub ratione universalissima. Nam sicut virtus completè potens ad actum, est completè potens se determinare; ita à contrario virtus, quæ non est potens ad actum sub aliqua ratione, sub ea non est potens se determinare, sed eget ab alio determinari. Sed virtus creata ad suos actus sub ratione entis universalissima, non est potens completè, imò plenè impotens, quia sola virtus Divina est sic potens: ergo ad actus sub ratione universalissima debet determinari. Quare illud assertum primum, probat quidem voluntatem non egere prædeterminatione ad actum sub ratione particulari; revera non probat, quod necessaria

non

non sit ad actus sub ratione universalissima.

De actibus supernaturalibus, ad quos voluntas est completè potens per auxilia gratiæ, aut virtutes infusas, dicendum est tamen indigere prædeterminatione etiam ad actus sub ratione talis entis. Hoc non est necessarium, nec probatur ex ratione primæ causæ; primi determinantis &c. Sed vel ex titulo supernaturalitatis, vel ex infirmitate naturæ per peccatum. Vnde principium illud, *Virtus completè potens ad effectum, & actionem, est completè potens ad se determinandum*, est verum in ordine naturali, ubi potentia non agit supra se, nec supra suam exigentiam; falsum tamen in ordine supernaturali, ubi Deus est author specialis, & requiritur specialis motio ob authoritates Scripturæ, & rationes Theologicas; de quibus non licet in præsentia disputare. Consule Theologos agentes de necessitate gratiæ ad actus supernaturales; imò ad naturales excellentiores, ut: amor Dei authoris naturæ super omnia.

43 Circa secundum, an prædeterminatio physica tollat libertatem, id putamus verum aliquomodo, & expressum in BB. Thomæ, & Egidio, licet non sit contra nos, nec contra Thomistas, sed cum eo flet libertas nostra. Et quidem eam tollere libertatem ad actum sub ea ratione, qua physicè prædeterminat, docetur à D. Thomæ 2. 2. q. 81. art. 2. Cujus verba ferè transcribit N. F. Egidius 3. sent. dist. 9. q. 1. art. 1. ubi quaerit,

Virum latvia sit virtus? Respondet affirmativè, & contra se arguit sic 1. argumento; *Omnis virtus moralis in libera voluntate consistit: Sed servitus opponitur libertati: cum ergo latvia sit quædam servitus, ut in littera dicitur, videtur quod non sit virtus.* Respondet sic.

Ad 1. dicendum, quod servus est, ut patet per Philosophum 1. Politic. cap. 3. *qui est gratia alterius, sicut liber est, qui est sui ipsius gratia.* Sed esse propter alterum, cujusmodi est servus, potest esse dupliciter, vel propter alterum finaliter, sicut servus, qui non lucratur sibi, sed domino suo; vel propter alterum effectivè, sicut instrumentum aliud, quod, etiam insensibile, effectivè est propter alterum, quia non proprio motu agit, sed solum ut movetur à principali agente. Quantum ergo ad hunc secundum modum (perpende) videlicet quoad moveri ab alio effectivè, tollitur omnia libertas arbitrij, cum non possit ibi esse opus virtutis. Sed quantum ad primum modum, quod homo operetur propter alterum finaliter, potest esse ibi opus virtutis, quia propter hoc non tollitur libertas arbitrij. Nam potest servus lucrari propter Dominum finaliter, & tamen hoc facere voluntariè, & electivè, & ex virtute. Sic in proposito &c.

In hac authoritate sandatus N. Villanova lib. 2. Physic. disp. 7. dub. 7. cap. 3. docet prædeterminationem Dei non esse physicam, & ex parte efficientis, nam sic tollit libertatem; sed esse moralem, & ex parte finis, quæ libertatem non reddit servam. Ceterum cum aliunde tum hic, tum

Quum loco citato Præscientiæ; teneat Deum prædeterminate efficienter ad omnes actus sub ratione entis, nescio quomodo hæc sibi mutuo cohæreant, nisi doctrina infra danda à nobis de mente ipsius.

44 En juxta B. Ægidii, & S. Thomam motio effectiva pura (qualis prædeterminatio physica) tollit libertatem: sed prædeterminatio, quam supra probavimus ad actus sub ratione universalissima, est motio effectiva: ergo tollit libertatē. Hanc consequentiam bonam dicimus, stando doctrinæ utriusque Beati Doctoris; sed non obstat, quoniam unicè probat nos non esse liberos ad actum sub ea ratione qua à Deo prædeterminatur purè effectivè: at Deus solum sic prædeterminat ad actus sub ratione universalissima entis, secus ad eosdem sub ratione talis entis: ergo ad illos sub ratione talis entis manet libera voluntas, quæ libera non est ad actus sub ratione universalissima.

Et quod ad eos sic, non sit libertas, patet: nam non stat libertas sine potentia ad actum; libertas enim supra potentiam addit indifferentiam agendi, vel non agendi: sed voluntas, & causa creata juxta D. Thomam, & B. Ægidium, nullam habent potentiam ad actus, nec ad effectus sub ratione entis universalissima: ergo ad actus sub ea ratione non habent libertatem. Ideo movetur ut instrumenta insensibilia, & agunt non gratia sui, sed Dei agentis principalis; unde non liberè, sed necessariò. Unde in hoc sensu prædeterminatio physica, & mo-

tiò subjectiva, tollunt libertatem (intellige ad actum sub ea ratione, sub qua physicè, & purè subjectivè prædeterminatur) non autem absolutè; nam actus restat liber sub ratione talis entis, ad quem sola voluntas se determinat subjectivè.

Nec repugnat eundem actum sub una ratione esse mihi liberum, & non sub alia. Sicut non repugnat quoddam sub una ratione, nempe talis entis, fiat à me virtute propria, & propria determinatione; & sub alia, nempe entis universalissimi, non fiat à me virtute propria, sed purè instrumentaliter, & sic non liberè, ut supra dictum est. Unica restat difficultas de actibus illis, ad quos Deus subjectivè, & efficienter determinat etiam sub ratione particulari talis entis; nam si hæc prædeterminatio tollit libertatem; & est ad actus sub omni formaliitate, sub nulla manebunt liberi: & hoc repugnat actibus præsertim majorijs.

Respondeo prædeterminationem ad actus supernaturales sub ratione talis entis, non tollere libertatem, stando huic doctrinæ: & hoc duplici titulo. Primò, quia relatè ad illos sic, voluntas non est merum instrumentum, quia habet per dona supernaturalia virtutem ad illos, non quidem propriam, sed appropriatam. Ad eos autem sub ratione entis universalissima, nullam habet virtutem, ut dictum est; quare ad eos sic est merum, & rigorosum instrumentum. Hinc ad eos sic non habet libertatem, benè tamen ad illos sub ratione talis

talis entis. Secundo: quia prædeterminatio ad actus sub ratione entis universalissima, est pura determinatio effectiva, qualis explicata est in instrumentis rigorosis, quæ solum effectivè moventur. Hæc tollit libertatem juxta B. Ægidium, & D. Thomam. Ceterum prædeterminatio ad actus supernaturales sub ratione talis entis non est purè effectiva, sed etiam finalis; imò incipit à motione finali, & perficitur per motionem effectivam, ut dicemus in nostra sententia §. sequenti. Hæc motio mixta ex finali, & effectiva non tollit libertatem, nam per illam jam creaturæ agunt gratia sui propter finem, ab eis amatum.

§ VII.

Nostra sententia proponitur, & probatur.

45 **N**ostra sententia dicitur Omnia à Deo prædeterminari prædeterminatione Physico-morali, hoc est motione mixta ex finali, & efficiente. Ratio in communi est. Nam nullus est effectus, & nulla actio in rerum natura, quæ non sit immediatè à Deo prima causa, ut patet ex dictis quæstione præcedente: at Deus non est solum prima causa efficiens, sed prima finalis; cum sit ultimus finis omnium, ut patet ex dictis quæst. 12. Ergo nullus est effectus, nulla que actio, quæ non sit immediatè à Deo causa finali, & efficienti. Et confirmatur. Nam Deus

nullus est causa efficiens, cujus non sit finis ultimus; eò quod *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus*, ut dicitur Proverb. 18. Ergo quidquid est à Deo prima causa efficiente, est ab ipso prima causa finali. Sed quoniam actio creata est à Deo efficienter, Deus prædeterminat efficienter, & physicè ad omnes actus, modo explicato num. 35. ubi probata est physica prædeterminatio ex immediato concursu Dei in omnem actionem; ergo quoniam omnis actio creata est à Deo finaliter, Deus finaliter (vel ut dicitur moraliter) prædeterminat ad omnem actionem, & motum agentis creati. Quare motio Dei non est tantum Physica, sed etiam moralis; unde est *Physico-moralis*.

Utriusque motionis meminit P. Augustinus sæpè. De efficienti dicit cap. 4. libri 3. de Trinit. *Deus suam influentiam ordinatissimis creaturæ motibus ordine omnium creaturarum, sub ipso Creatore mirabiliter dispositarum, primò spiritualibus, deinde corporalibus per omnia diffundit, & utitur omnibus ad incommutabile arbitrium sententiæ suæ.* Et paucis interpositis de gradibus creaturarum, à Deo ordinatis, concludit: *Ac per hoc Divina voluntas est prima; & summa causa omnium corporalium specierum, atque motionum; nihil enim fit visibiler, & sensibiliter, quod non de interiore, invisibili, atque intelligibili aula summi imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur.* En motio physica, nempe influentia Dei diffusa omnibus creaturis spiritualibus, & corporalibus, Per illam

lam est Deus summa causa omnium motionum, nempe efficiens, nam huius est proprium influere.

46. De motione finali, quæ non est influentia, sed tractio, quæ appetitus creaturæ trahitur à bonitate objecti cogniti; agit elegantissimè tractatus 26. in Joannem, cuius verba dedimus num. 7. quam tractationem explicat exemplo pueri, cui nubes demonstrantur, & trahitur; ac ovis, cui ramus viridis ostenditur, & trahitur sola finali motione boni, sibi convenientis. Vide dicta num. 7. & 8. quibus adde auctoritatem eiusdem S. Parentis 3. de Trinit. cap. 9. ubi motionem istam extendit ad creaturas omnes etiam inanimas, ut inde cognoscas, quàm immeritò Palanco, & alij relegant motionem moralem, ut inutilem brutis, & insensibilibus. Eos omnes redargue inconsequentia; nam de omnibus agentibus, etiam inanimatis, fatentur agere propter finem: ergo omnia moventur à fine propter quem agunt: ergo moventur moraliter. Non enim motio moralis est suasio sola, præceptum, consilium &c. Sed tractio etiam à fine amato, amore quidem proprio in agentibus rationalibus, improprio, & lato in brutis, & inanimatis. Vide D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 2.

Verba ergo S. Parentis loco laudato, sua fecit B. Ægidius in 1. dist. 45. q. 2. art. unico, qui totus ex Doctrina S. P. desumptus est. Dicit sic. *Ista etiam est via Augustini 3. de Trin. cap. 9. Qui ex eo quod Deus omnibus indidit proprias inclinationes, & proprios*

appetitus, & omnia constituit in numero, pondere, & mensura, concludit Divinam voluntatè supremam causam omnium: & ostendit, ea quæ videmus in rebus, non esse attribuenda fortune, vel tantummodo alijs agentibus causis, sed Divinæ voluntati principaliter. Has inclinationes inanimatorum vocat pondere ibidem, quibus inclinatur in bonum sibi conveniens; sicut de amore nostro dicit M. P. August. esse pondus ibi: Amor meus pondus meum eo feror, quocumque feror. l. 1. 3. cõf. c. 9.

Amant ergo creaturæ omnes, propriè, vel impropriè, quia omnes suo pondere tendunt in bonum sibi conveniens: ergo omnes trahuntur finaliter à bono sibi convenienti, quod est finis suorum motuum, cognitus vel à se, vel ab authore naturæ, qui dedit rebus suas inclinationes, & sua pondera in finem, ut omnia propter finem agant. Quæ doctrina patet ex communi sententia suprà posita q. 14. ubi ostensum est, omnem causam agere propter finem. Deus ergo movet inanimata efficienter, causando in eis naturam, & inclinationes proprias naturæ, quæ sunt illa pondera Augustiniana. Rursus movet finaliter, quia movet ut desideratus, & amatus. Quod explicans B. Ægidius ibi dicit: *Nam eo ipso quod omnibus rebus indidit proprium appetitum, propter quem omnia suum esse appetunt, quod est quadam participatio summi boni: primum bonum ab omnibus desideratur, & amatur.* Ergo omnia, etiam inanimata, moventur finaliter à summo bono, quod est Deus.

Vt

47. Vt ergo plenius cognoscas, quomodo his ponderibus moventur inanimata ad suas operationes, elevamentè ad creaturas racionales. Quid, quid nos facimus, non nisi volentibus facere, facimus. Vt enim ait P. Augustinus 5. de Civit. Dei cap. 9. contra Ciceronem negantem sacrilegè in Deo præscientiam futurorum: *Nos adversus istos sacrilegos ausus, atque impios, & Deum dicimus omnia scire, antequam fiant; & voluntate nos facere, quia quid à nobis, non nisi volentibus, fieri novimus, & scimus.* Quo vides nostrum facere supponere nostrum velle, quia facimus, quod volumus facere; & idè liberè ambulamus, sedemus &c. quia præcedit nostrum velle liberum, quo volumus ambulare, sedere &c.

Sic etiam grave tendit deorsum, & leve movetur sursum, non quia vult (non enim nisi sola intellectualia possunt velle) sed quia inclinatur naturali appetitu in centrum. Quare sicut ad nostram ambulationem, præcedit volitio nostra, quæ est exercitium potentia appetitiva rationalis; ita ad quemcumque motum, & actionem rei inanimatæ, præcedit appetitio, vel exercitium sui appetitus naturalis in finem, & bonum conveniens. Quare sicut Deus facit nos facere, faciendo nos velle facere, aut faciendo nostrum velle, ut infrà dicam: ita facit Deus lapidem moveri deorsum, faciendo lapidem appetere, & inclinari in motum deorsum; unde causat illam inclinationem lapidis. Et sicut Deus cogeret nos, si faceret nos

operari nolentes, aut non volentes; & idè ne cogat voluntatem, prius facit eam velle operari. Sic Deus violètatet inanimata, si ante suas operationes, non causaret in illis inclinationem naturalem sic operandi. Causat ergo Deus illa pondera, quæ sunt veluti nostrum velle jam explicatum.

48. Sed cum hoc discrimine, Quod nostrum velle est nobis liberum: at inclinatio inanimatorum ad suas operationes, libera non est, sed necessaria. Hujus rationem invenies lib. 1. naturæ Logicæ q. 1. §. 1. Vbi actum est de appetitu innato, & elicito omnium naturarum: & statutum est de mente P. Augustini, D. Thomæ, & B. Ægidij, omnem appetitum subsequi ad formam. Appetitus inanimatorum sequitur ad formam suæ naturæ, & hæc est ad unum determinata, ut in igne ad comburendum, in aqua ad humectandum. Ex forma ad unum determinata, nequit sequi appetitio libera, sed necessaria. At in homine & Angelo appetitus sequitur cognitionem, & formam apprehensam: Et cum bonum à nobis apprehensum cognoscatur cum indifferencia; forma apprehensa est indifferens ad plura, & non est ad unum determinata, & ob id velle nostrum, & appetitio nostra libera est. In brutis appetitus supponit cognitionem sensitivam boni appetibilis: & hæc est etiam forma ad unum determinata; unde brutorum appetitus, licet elicitus, est tamen necessarius.

Id docuit P. August. lib. 9. de Genes. ad litt. cap. 14. dicens:

Sed anima rationalis voluntatis arbitrio vel consentit visis, vel non consentit: irrationalis autem non habet hoc individuum, pro suo tamen genere, atque natura, viso aliquo tacta propellitur. Vnde non tam agit, quàm agitur. Concinit **D.** Thomas q. 3. de Potentia art. 7. ad 12. dicens Deum dedisse hominibus liberum arbitrium, quia eis dedit dominium sui actus, & quòd eorum voluntas non esset obligata ad alteram partem contradictionis. Quod quidem dominium natura non dedit, cum per suam formam sit determinata ad unum. Quo vides quòd libertas est dominium nostri actus: & hoc dominium oritur ex eo, quòd bruta agunt per formam naturæ ad unum determinatam; nos autem per formam apprehensam ad multa indifferentem.

49 Hinc patet quomodo Deus movet magnam naturæ partem, nempe insensibilia, & bruta ad suas operationes. Movet inanimata efficienter, & finaliter. Efficienter, quia ultra naturam, quam creavit & virtutem agendi quam dedit, tribuit eis ea pondera, & eas inclinationes naturales in sui conservationem, & in sui perfectionem, per quas veluti amant proprium esse; & ex amore eius, quasi moventur ad operationes conducentes pro suo esse conservando, & perfectione sua explicanda, vel acquirenda. In hoc sensu intellige illud commune dictum: *Gravia, & l. via non moventur à se, sed à generante; moventur efficienter, quia efficiens formam gravium, & levium efficit eas inclinationes sequutas ad formam, &*

consequenter generans efficit etiam motus, & operationes, quæ sequuntur ex illis inclinationibus. Hoc generans est Deus sub ratione universalissima entis, & causa secunda sub ratione talis entis: quate utrumque generans increatum, & creatum, dans formam sub diversa ratione est movens efficienter gravia, & levia sub diversa ratione sub qua entis, vel talis entis. Hoc à nemine dubitatur.

At dubium est, quomodo Deus moveat illa finaliter? Sed ex dictis num. 45. explicatur dilucidè. Nam si inanimata amant, & appetunt suum esse, quòd est participatio Dei, amant, & appetunt esse Dei, non in se, sed in sui participatione: ergo moventur à bono amato, appetito, & desiderato, quòd est moveri finaliter. Nec in hoc est specialis difficultas, sed communis: Omnes supponunt inanimata agere propter finem, non cognitum à se, sed à generante: ergo moventur à fine propter quem agunt, & sic finaliter moventur. Nec otiosa est motio ista, cum requiratur ab ipsa natura. Tum quia virtus activa inanimatorum est participatio virtutis activæ Dei: sed virtus Dei est activa propter finem: ergo & virtus inanimatorum. Tum quia quòd non fit propter finem, fit casualiter, & extra providentiam: sed naturalia semper agunt providè, & in eis resplendet Creatoris, & artificis Providentia: ergo agunt propter finem, & mota finaliter. Quare præmoventur à Deo motione Physico morali. Vide dicta q. 14.

50 In brutis claris explicatur utraque motio; & utamur exemplo Augustiniano Ovis, cui ramum viridem ostendis, trahitur à ramo viso, imò tacta propellitur, ut docet S. Patens. Bonum enim rami apprehenditur ab ove cognitione sensitiva: ex cognitione illa sequitur appetitus, vel actus elicited à potentia appetente, qui est veluti quoddam velle ovinum. Et quia hoc velle est efficax, imperat membri ovis motum progressivum, & omnia necessaria, ut consequatur ramum in re, quem primò apprehendit, & habuit in cognitione sensitiva. Vbi observa duos actus ovis, unum internum potentie appetentis; alium externum, nempe potentie progressivæ. Uterque nascitur à duplici motione Dei, primæ causæ, & finalis, & efficientis: sed non equè immediatè. Nam motus, & actus externus progressivus, non oritur ex immediatâ motione Dei, sed ex mediata. Causatur quidè immediatè à Deo juxta dicta quæst. præcedente cõtra Durandū; sed ad illum solum mediatè prædeterminat, quia nempe prædeterminando ad actum internum, medio illo movet ad actum externum. Sicut Deus prædeterminando ad actum nostrum imperij, medio imperio, & medio nostro velle efficaci, movet nos ad actus exteriores imperatos.

Restat exponere, quomodo Deus ovem prædeterminat ad actum internum appetitus. Pro quo dicimus prædeterminare primò finaliter, & postea efficienter. Primò finaliter, per ostensionem suæ bonitatis, participatæ à

ramo viridi; ex cujus cognitione tangitur appetitiva potentia ovis, & propellitur ad appetendum in re, quòd jam habet in cognitione. Sic inclinata ove per formam apprehensam, Deus illam movet efficienter, causando actum internum appetitus elicited sub ratione entis universalissima, quem sub tali ratione efficere non poterat potentia appetitiva creata, ut dictum est num. 37. Et quòd hic ordo sequendus sit, patet tum ex verbis M. P. Augustini *Ramum viridem ostendis ovi &c.* Vbi motio incipit ab ostensione bonitatis, quæ est motio finalis, & tractio. Tum quia prima omnium causarum est finalis: unde prima omnium motionum est motio finalis. Tum tandem, quia potentia nulla est activa in creatura, nisi propter finem: ergo nulla nisi mota à fine: ergo causa efficiens in omni efficiente supponit motionem finalem.

Ceterum, nec actus exterior, nec actus interior ovis tractæ, est liber, sed necessarius. Non actus exterior, imperatus ab interno; quia actus imperati in nobis, ut deambulatio, lectio &c. dicuntur liberi à libertate actus imperantis, nempe voluntatis nostræ, qua volumus deambulare, legere &c. ut ex P. Augustino dictum est num. 47. sed actus interior ovis, quo imperat membri progressionem non est liber: ergo actus exterior liber non est. De interiori probatur. Nam ille sequitur ad formam apprehensam; forma illa apprehenditur non per cognitionem indifferentem, sed per sensitivam determinatam; at actus

sequutus ad formam determinatam, non est liber, ut num. 48. dictum est ex M. P. Augustino & D. Thoma: ergo actus interior ovis est necessarius, quo potius agitur, quam agit.

Quæ hucusque de brutis, & inanimatis dicta sunt pro explicanda de mente M. P. N. Augustini motione Dei provida, quam administrat omni creaturæ, dicta sunt per analogiam ad creaturâs rationales, nempe homines, & Angelos, quibus sicut propriissimè convenit agere, & propter finem operari; ita eis maximè convenit præmoveri à Deo finaliter, & efficienter. Pro hujus explicatione aliqua notanda sunt de mente P. Augustini, D. Thomæ, & B. Ægidij.

51 Notandum primò, quòd aliud est agere, aliud velle agere. Id constat ex M. P. Augustino adducto num. 47. Vbi probat contra Ciceronem, nos esse liberos in agendo, quia agimus quod volumus agere: quare libertatem nostri operis probat per causam, eam probans ex libertate nostræ volitionis, qua volumus tale opus. Id ipsum sæpè distinguit, præcipuè lib. 3. de Gratia, & lib. arb. cap. 12. ostendens quòd aliter facit Deus nos velle, aliter facit nos facere. Imò concursus Dei ad nostrum velle vocat cap. 17. Dei operantis, & concursus ad nostrum facere dicit esse Dei cooperantis ibi: *Ut ergo velimus sine nobis operatur; cum autè volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo, vel operante, ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis studia nihil valemus.*

Hoc suppositum, ut maximè notandum pro intelligentia quæstionis, ab ipso agitata cum Pelagio de necessitate adjutorij Dei, docet S. Parens lib. 1. de Gratia Christi cap. 3. ubi de mente Pelagij dicit: *Ecce totum dogma Pelagij in libro ejus tertio pro libero arbitrio, his omnino verbis diligenter expressum, quo tria ista, unum quòd est posse, alterum quòd est velle, tertium quòd est esse, idest possibilitatem, voluntatem, & actionem, tanta subtilitate curavit distinguere, &c.* Rursum ibi: *Nam cum tria constituat, atque distinguat (Pelagius) quibus Divina mandata dicit impleri, possibilitatem, voluntatem, & actionem; possibilitatem scilicet qua potest homo esse justus, voluntatem, qua vult esse justus, actionem qua justus est &c.* Qua distinctione approbata, Pater noster solum damnat errorem Pelagij, dogmatizantis possibilitatem, vel potentiam volendi, & agendi esse à Deo; velle autem, & operari non esse à Deo, sed à nobis.

Hanc distinctionem inter velle, & operari, ut universalissimam, tum pro indaganda necessitate Divini adjutorij, tum pro intelligenda mente P. N. Augustini, approbat & explicat D. Thomas 1. 2. q. 111. art. 2. in corpore, ubi docet, quòd velle est actus imperij voluntatis, quo vult, & imperat alios actus aliarum potentiarum; & cum ipsa possit sibi imperare, quia potest velle amare, volitione distincta ab amore voluto, & imperato; velle est actus ille imperij, quo imperat actus vel voluntatis, vel aliarum poten-

potentiarum: *Facere autem est omnis actus imperatus à voluntate, sive sit actus voluntatis, sive alterius potentie.* Et nota quòd hoc velle, vel hoc imperium dicitur à D. Thoma actus interior; omnes autem actus voliti, & imperati à voluntate, vocantur actus exteriores. Sic ibi explicat quomodo gratia sit operans, & cooperans; de quo vide B. Ægidium in 2. dist. 26. ar. 3.

52 Secundò notandum est, quòd illud velle, aut ille actus imperij, ut hic à nobis sumitur, est primus actus liber voluntatis circa finem. Hoc notamus, ne difficilem quæstionem istam cum alijs difficilibus misceamus, & sic evadat difficilior. Dubium est, an primus amor finis sit propter finem, an sit liber voluntati, an voluntas circa finem sit libera, an solum libera sit circa electionem mediorum, non verò circa intentionem finis. De his nolumus disputare nunc, quoniam partim explicata sunt quæst. 13. & 14. & quidquid teneas, devenire debes ad aliquem actum voluntatis, qui sit liber, & à voluntate non solum elicitive, sed etiam applicative, hoc est à voluntate non solum eliciente actum, sed se applicante per illum, & ad illum. De hoc, quod vocamus velle, erit conclusio prima. De actibus autem voluntatis, qui vel necessarii sunt, vel indeliberati, ut sunt, qui præcedunt volitionem primam liberam objecti, de his non est specialis difficultas, nam in eis voluntas operatur ut natura, & per formam ad unum determinatam: quare movetur efficienter, & finaliter,

sicut de brutis dictum est.

Sit ergo controversia nostra de illo primo velle libero, ad quod voluntas se determinat, ut secundum liberum: an ad illud præmoveatur à Deo, & quomodo præmoveatur? Quo ostenso, videbimus, quomodo Deus præmoveret ad omnes subsequentes actus posteriores tum voluntatis, tum aliarum potentiarum.

53 Sit prima conclusio. Deus ad primum velle liberum voluntatis nostræ prædeterminat physicè, & moraliter; sed priùs moraliter, quàm physicè: quare prædeterminatio est Physico-moralis; & simpliciter loquendo, potius dicenda est prædeterminatio moralis, quàm Physica.

Hæc conclusio multa continet, quæ non tam sunt assertiones, quàm explicationes assertionis præcipuæ. Præcipuam assertum est Deum utroque modo movere voluntatem ad suum velle liberum. Hoc constat, primò ex M. P. Augustino ubi supra num. 45. & seqq. ubi utriusque motionis meminit, ut visum est. Id amplius constabit etiam ex adducendis quæst. sequenti, ubi erit sermo de adjutorio Dei ad actus salutares. Eandem sententiam tenuisse D. Thomam constat ex 1. p. q. 111. art. 2. & alijs locis allegatis num. 16. & 17. De mente B. Ægidij vide loca allegata num. 46. & alia, quæ citat N. Villanova in Physica lib. 2. disp. 7. dub. 7. observa quòd Villanova ibi cap. 3. num. 114. contendit ex B. Ægidio motionem physicam præcedere moralem, & vocat motionem physicam

cam, vel effectivam, quæ dat posse. Hoc posse semel dato, dicit quoddam applicatio tota est solum moralis, aut finalis.

Ceterum in Præscientia disp. 2. dub. 13. num. 77. docet, quoddam actus noster liber in esse entis physicè consideratus, est prius à Deo quàm à creatura, unde ad illum Deus physicè applicat: & hoc concedit Thomistis de mente D. Thomæ q. 3. de potentia art. 7. & de mente B. Ægidij de esse, & essentia q. 5. & Quodlibeto 6. q. 2. & in 2. sent. dist. 1. q. 1. art. 5. & 6. Actus autem liber, ut liber, est à Deo tantum finaliter movente. Hanc distinctionem non probamus, quia potentia libera ut talis, non est solum utriusque actus elicitum, sed etiam activa actus sui: ut activa autem pendet à Deo efficiente, & non tantum causa finali. Contrarium dicere de mente B. Ægidij, est occasionem dare ad versarijs approbandi Patrem Oviedo, qui in Physica controver. 10. puncto 3. §. 2. volens impugnare prædeterminationem, refert B. Ægidium doctuisse voluntatem esse potentiam merè passivam, & nihil agere; quod à Tridentino damnatum est. Ab ista impostura benè vindicat B. Ægidium N. Villanova loco citato Physicæ dist. 4. cap. 5. Nam in 2. dist. 35. q. 1. art. 1. ait: *Si voluntas esset potentia purè passiva, non posset peccare*: Ergo voluntas potens peccare, & sic ut libera, est potentia activa, & effectiva: ergo pendet à Deo effectivè præmovente.

54 Probatur conclusio nostra

à ratione. Liberum velle nostrum per solam prædeterminationem est à Deo causa prima: sed Deus non solum est causa prima efficiens, sed finalis; ergo liberum velle nostrum est à Deo prædeterminante physicè, & moraliter. Minor patet, quia Deus est prima causa in omni genere, non dicente imperfectionem; sola autem causa materialis, & formalis dicit imperfectionem: ergo in genere causæ efficientis, & finalis, est Deus prima causa. Rursus. Cum Deus sit primum efficiens, & omnia operetur propter seipsum ut finem, omnia efficiuntur à Deo, & omnia in Deum, ut in finem ultimum ordinantur: ergo omnium est prima causa efficiens, & prima finalis. Prima autem consequentia constat. Nam si per solam prædeterminationem est à Deo velle nostrum; ergo per prædeterminationem effectivā est à Deo causa efficiens, & per finale est à Deo causa finali. Nō enim per solam finalem potest Deus esse causa prima simul finalis, & efficiens; nec per solam prædeterminationem effectivam. Sicut enim genus causæ finalis est diversum ab efficiente, sic modus causandi, & prædeterminandi.

Major autem principalis probatur. Velle nostrum liberum nequit esse à Deo causa prima per solum concursum simultaneum, nec per solum collationem virtutis, & potentia volendi; ergo per solam prædeterminationem. Patet consequenter. Quia ultra collationem virtutis agendi, & concursum simultaneum, si quid necessa-

rium

rium est, id est sola prædeterminatio, supponens virtutem collatam, & præcedens nostram determinationem. Antecedens quoad secundam partem patet, tum ex dictis à M. P. Augustino num. 51. de mente Pelagij, qui concedebat virtutem volendi esse in nobis à Deo datam: ceterum quia nil amplius ponebat, ideò damnatur à P. N. ut hæreticus, quia nostrum velle non erat à Deo causa prima: Ergo ut velle sit à Deo, non sufficit quoddam dedit nobis virtutem volendi. Tum, quia collatio virtutis facit quoddam à Deo sit nostrum posse, non autem nostrum velle. Ergo ut nostrum velle sit à Deo, non sufficit collatio virtutis.

55 Jam verò, quoddam nec sufficiat concursus simultaneus probatur. 1. ex M. P. Augustino, dicente supra num. 51. *Vt ergo velimus, sine nobis operatur*. Sed Deus per concursum simultaneum non operatur sine nobis, sed nobiscum, & ob id dicitur concursus simultaneus: ergo velle nostrum non est à Deo per concursum simultaneum.

Probatur 2. Velle nostrum solum est à Deo causa prima per eum concursum, qui est causalitas nostri velle, aut nostræ volitionis: sed concursus qui est causalitas nostræ volitionis, non est simultaneus, sed prævius ad nostram volitionem; non enim sola causa præcedit effectum, sed etiam causalitas causæ est prior ad illum prioritate saltè naturæ, & realis causalitatis, ut dicitur communiter: ergo velle nostrum non est

à Deo per concursum simultaneum.

Tertio. Velle nostrum non est à Deo causa finali per concursum simultaneum: aliunde non est à Deo causa efficiens ex vi solius concursus simultanei: ergo ut sit à Deo causa prima finali, & efficiente, debet esse per concursum prævium. Major patet, quia causa finalis causat mediā cognitionem, & propositionem objecti, quæ se tenet ex parte actus primi voluntatis; concursus autem simultaneus est actus secundus voluntatis, & posterior ad actum primum; quare per concursum simultaneum nequit nostrum velle esse effectus Dei causæ finalis. Minor probatur etiam. Concursus Dei simultaneus, quo Deus cooperatur creaturæ, non est ad velle, sed ad facere, juxta M. P. Augustinum ubi supra dicentem: *Tamen sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante cum volumus &c.* Sed velle non est à Deo causa prima effectiva, nisi per concursum ad velle: ergo si talis non est simultaneus &c. Velle nostrum non est à Deo efficienter vi solius concursus simultanei.

56 Quarto. Velle nostrum est à Deo prius quàm à nobis, prioritate non solum dignitatis, principalitatis, aut independentiæ, ut dicunt DD. Societatis, sed prioritate etiam realis causalitatis: at hæc ultima prioritas non apparet in concursu simultaneo, & ob id negatur ab his DD. ergo velle nostrum non est à Deo præcisè per concursum simultaneum. Major probatur primo. Velle nostrum fit à Deo mediā actione immanenti cum Deo idem.

identificata, ut probatum est quæst. præcedente à num. 19. ex M. P. August. D. Thoma, B. Ægidio, & à ratione. Sed actio illa immanens, qua Deus causat nostrum velle, præcedit, & est prior ad nostrum velle causatum, præcedentia naturæ, & realis causalitatis, qua omnis causa, & omnis actio est prior suo termino: ergo velle nostrum &c.

Secundò probatur eadem maior. Velle nostrum prout à nobis, supponit seipsum prout à Deo, suppositione realis causalitatis: ergo prout à Deo est prior prioritate realis causalitatis. Patet consequens, quia idem est esse velle nostrum posterius prout à creatura, ac esse prius prout à Deo. Probatur antecedens. Velle nostrum prout à nobis, est velle sub ratione talis entis: sed velle sub ratione talis entis, supponit seipsum sub ratione entis universalissimæ, sub qua est à solo Deo: ergo velle prout à nobis, supponit seipsum prout à Deo. Jam verò, quòd hæc suppositio sit realis causalitatis probatur. Nam velle prout à nobis, est velle eductum, & factum ex aliquo subjecto præsupposito; non enim fit à nobis ex nihilo, & per creationem, sed per educationem, & ex aliquo præsupposito; sed subjectum præsuppositum ad educationem effectus, est causa materialis effectus educti, & sic præcedit effectum præcedentia realis causalitatis: ergo velle prout à nobis, supponit seipsum suppositione realis causalitatis.

57. Hæc ratio est efficax, sed difficilis, quæ quoniam ex B. Ægidio

sumpta est ubi supra num. 37. eam explico, & urgeo sic. Solus Deus agit ex nihilo præsupposito, quia solus potest creare, & effectum producere sub ratione entis universalissimæ: ergo velle nostrum est à Deo sub ratione entis universalissimæ, quæ nihil præsupponit; à nobis autem est velle sub ratione talis entis, per actionem eductivam ex aliquo præsupposito. Nunc sic. Id quod præsupponitur ad tale ens, est ratio entis universalissimæ, quæ unicè producitur à Deo. Rursus, hoc subjectum præsuppositum est causa materialis effectus educti, ipsum præcedens reali causalitate materiali, ut materia præcedit formam ex materia eductam: ergo velle prout à nobis, supponit velle prout à Deo suppositione materiali & realis causalitatis. Ergo nostra voluntas, efficiens velle nostrum, supponit Deum præoperantem nostrum velle, suppositione etiam, & præcedentia realis causalitatis, quæ non stat in solo concursu simultaneo. Patet consequens, quia idem ordo datur ex parte causæ inter concausas, ac datur ex parte effectus. Tum, quia ex quo agens creatum producens formam ex materia præsupposita, supponat materiam à Deo productam: Agens creatum supponit Deum præoperantem materiam. Ergo si velle nostrum, ut à nobis, supponit velle prout à Deo, ut illud efficiat ex aliquo præsupposito, debet supponere Deum præoperantem nostrum velle.

Clariùs. Velle nostrum, ut à nobis, supponit aliquid ex parte effectus.

Actus, à solo Deo productum principaliter: ergo velle nostrum ex parte causæ supponit Deum prius operantem. Patet consequens. Quia nisi Deus prius operetur prioritate saltem naturæ, nequit esse in effectum aliquid, quòd sit à solo Deo, & sit prius quàm effectus creaturæ. Probatur antecedens. Velle nostrum, ut à nobis, fit solum sub ratione talis entis: sed ratio talis entis supponit rationem universalissimam entis, & hæc est effectus solius Dei: ergo &c. Hæc omnia confirmantur duabus illis rationibus positis num. 36. & 37. quibus utere ad probandam physicam prædeterminationem, quæ sola negatur à DD. Societatis.

58. Jam verò, quòd Deus prædeterminet prius moraliter, quàm physicè, facile ostenditur, nec scio id negari, nisi vel à concedentibus solam prædeterminationem moralem, ut Aradjo, Villanova, & alij, vel unicè astrictibus prædeterminationem physicam: ceterum data utriusque motionis necessitate, moralis est prior. Id docuit expressè philosophus 3. de anima textu 54. dicens: *Semper igitur unum erit movens appetibile, aut appetitivum. Primum autem omnium appetibile hoc enim movet, cum non movetur.* Vide ibi D. Thomam, & B. Ægidium, concorditer docentium de mente philosophi, quòd inter causas moventes, sola finalis est prima omnium, quia sola movet non mota. Vide etiam dicta à nobis num. 8. Et probatur. Sub ea ratione Deus est primitus movens, sub qua

est primum movens non motum: sed sub ratione boni appetibilis, moventis finaliter, est movens non motum; secus sub ratione efficientis; nam sic movetur à fine, propter quem agit in motibus ad extrà, ut dictum est qu. 14. & constat ex dictis hic num. 8. Ergo Deus prius movet moraliter, quàm physicè. Rursus, pro eo signo, quò voluntati proponitur bonitas apprehensa, voluntas movetur moraliter à bono apprehenso: sed objectum proponitur ex parte actus primi voluntatis, non enim intelligitur voluntas completè potens se exercere circa objectum, usque dum sit ei propositum per cognitionem: Motio autem, & prædeterminatio physica, non se tenet ex parte actus primi, sed ex parte actus secundi: ergo motio moralis est in signo priori ad motionem physicam. Tandem: cum voluntas non possit ferri in incognitum, prius est quòd ei proponatur objectum per cognitionem, quàm quòd sit expedite potens se exercere circa objectum: at prædeterminatio physica supponit voluntatem, expedite potentem se exercere circa objectum: ergo prædeterminatio physica est posterior ad cognitionem proponentem objectum. Sed cognitio sic proponens, movet moraliter: ergo prædeterminatio physica est posterior ad moralem.

59. Hinc patet ultima pars nostri asserti, nempe quòd prædeterminatio non est purè physica, sed mixta ex morali & physicè, unde est Physico-moralis. Quòd autem potius dicenda sit moralis, quàm physica, aliquid habet

bet de nomine, sed multum de re, in qua forsan non consentient Thomistæ RR. cæterum ea res est clavis totius doctrinæ nostræ, qua plures difficultates Theologicæ quæstione sequenti dissolventur.

Venio ad nomen. Ab eo denominanda est prædeterminatio, quod primò omnium voluntatem determinat: sed primam determinans voluntatem est motio moralis, ut vidimus, & sic Deus sub ratione finis: ergo dicenda est potius prædeterminatio moralis, quàm physica. Rursus, Prædeterminatio ex terminis, attento nominis rigore, est prima determinatio, nullam supponens determinationem, saltem causæ secundæ; se determinantis: at determinatio moralis, quæ fit per apprehensionem objecti, nullam voluntatis determinationem supponit, ut patet; secus determinatio physica Dei, quæ jam supponit determinationem creaturæ: ergo determinatio moralis est simpliciter prædeterminatio. Minor probatur: ceterum, ut probetur, jam agimus non de nomine, sed de re, & re magni momenti; an scilicet prædeterminatio physica sit posterior ad determinationem voluntatis creatæ, & ab ea pendens? in quo dubio forsan negativè respondent RR. Thomistæ; sed pro affirmativa sententia stamus nos, quam quæst. sequenti uberius probabimus; nunc autem breviter, & purè philosophicè.

60. Probatur sic. Pro priori ad prædeterminationem physicam, voluntas nostra movetur ab objecto cogni-

to, & sibi proposito, ut ostensum est num. 58. Ergo pro illo priori voluntas est mota. Vel ergo pro illo priori voluntas consentit, vel dissentit objecto vocanti, & allicienti. Si consentit? Jam se determinat voluntas; non quidem positivè, sed negativè, nempe non dissentiendo, & sinendo se trahi ab objecto; cui poterat resistere. Si dissentit? Ergo pro posteriori non potest à Deo physicè prædeterminari ad amorem objecti, sed ad actum fugæ. Quare prædeterminatio physica supponit determinationem voluntatis negativam, & ab ea pendet, ut supra dictum est.

Hæc doctrinam fundatur in duobus, nempe quòd voluntas mota à fine, cùm possit motioni dissentire, si non dissentit, se determinat negativè. Hæc est doctrina expressa nostri B. Agidij in 2. sent. dist. 25. q. 1. art. 6. dub. 1. Lateralis, ubi quærit: *An voluntas seipsam in finem moveri possit?* Respondet affirmativè. Et explicans in corpore articuli quomodo se determinet ad ea, quæ sunt ad finem, subdit de motione in finem sic: *Secundo, ut patuit, voluntas movet seipsam, non solum determinando seipsam ad activationem, sed etiam consentiendo activationi, & motui. Nam qui consentit ut moveatur, potest dici seipsum movere. Iste autem consensus potest esse negativus.* Adducit in hujus confirmationem verba B. Ambrosij dicentis: *Consentis, si non arguis, id est, si non contradicis, cùm possis contradicere.*

Rursus ibidem dist. 41. q. 1. art. 2. in corpore, idem docet, ut doctrinam

sciam à se sæpius stabilitam; unde ait: *Determinare se, ut sæpè sæpius diximus, prout spectat ad voluntatem, non oportet quòd dicat actum, sed sufficit quòd dicat desistere ab actu. Quia quando aliquid ostenditur voluntari uno modo sub ratione boni existentis, alio modo sub ratione mali, id est sub ratione boni apparentis; in potestate voluntatis est desistere ab hoc vel illo; à quo desistendo determinat se ad hoc, vel illud (intellige negativè) & sic se movet ad hoc vel illud, quod negantes negant voluntatem habere arbitrij libertatem.*

En voluntas erga bonum propositum, ut finem, determinat se, non actu volitionis positivo, sed negativo, quia sinit se trahi ab objecto à quo poterat desistere, vel dissentire. Et qui negat in voluntate potentiam sic se determinandi, negat in ea libertatem arbitrij. Non enim est res parvi momenti illa potentia se determinandi sic negativè, sed magna, & talis, ut sine illa non stet libertas. Cùm ergo motio finalis sit in signo anteriori ad prædeterminationem physicam, jam prædeterminatio physica supponit voluntatem determinatam à fine, & fini consentientem, per consensum, & determinationem negativam.

Jam verò, quòd si voluntas non consentit motioni finali, moventi ad amorem, non possit prædeterminari physicè ad amandum illum finem, suadetur à B. Agidij dist. 25. laudata dub. 2. later. ex eo quòd voluntas non potest moveri coacta, & invitata; moveretur autem sic, si movere-

tur ad amorem objecti propositi, cui contradicit. Verba D. N. sunt hæc. *Et quia voluntas non movetur, nisi voluntariè, quia simpliciter loquendo, nec invita, nec coacta moveri potest: non potest moveri, nisi voluntariè subijciendo se motui, & consentiendo se motui &c.* Loquitur de motione finali, & objectiva, nam quæstio ibi est, *An voluntas activeretur ab objecto?* Cui respondet affirmativè. Id alibi probat à ratione. Nam ut motus non sit violentus voluntati motæ, debet voluntas vim conferre illi motui. Conferret autem eam vim consentiendo fini; alioquin si dissentiret, conferret vim motui opposito, & tunc clariùs violentaretur. Vide Agid. in 2. dist. 5. q. 2. art. 1.

De mente D. Thomæ egimus sufficienter in hoc libro quæst. 13. §. 2. num. 9. & seqq. reddiditque sermo quæst. sequenti. Breviter dicimus ex S. Doctore, quòd influxus Dei, qui est prædeterminatio physica, requirit in homine dispositionem quamdam, & juxta eam dispositionem producit in homine actum bonum, vel malum. Sic docet q. 3. de malo art. 2. in corpore. Sed ante influxum Dei non potest esse dispositio, quæ sit actus positivus voluntatis: ergo illa dispositio est actus negativus, supra explicatus de mente B. Agidij. Vide S. Doctorem 3. contra Gentes cap. 159. Vbi explicat, quomodo voluntas nostra potest impedire, ne in ea recipiatur efficax gratia Dei. Idem docet q. 6. de malo art. 1. ad 1. & 15. ibi: *Causa quæ facit voluntatem aliquid vel-*

de, non oportet quod ex necessitate hoc faciat, quia potest per ipsam impedimentum praestari. Idem docet Lectio 5. supra caput 6. Joannis ad illa verba, *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.*

61 Ex dictis formatur ratio sic. Voluntas pro priori ad praedeterminationem physicam, qua Deus facit efficienter voluntatem velle, movetur ab objecto cognito, & ipsi proposito; & taliter movetur, ut ei motioni possit consentire, vel dissentire, vel plene se suspendere a consensu, & dissensu. Patet hoc, quia propositio objecti se tenet ex parte actus primi voluntatis ad volendum; praedeterminatio autem physica ad velle, se tenet ex parte actus secundi, quare voluntas pro priori ad motionem physicam movetur moraliter. Quod autem sic mota possit consentire, vel dissentire, vel neutrum; patet, quia est plene libera circa omne objectum propositum cum indifferentia; & ut docet B. Aegidius, negantes voluntatem posse consentire, vel dissentire objecto, negant ei arbitrij libertatem.

Nunc sic. Sed si pro illo priori quo movetur ab objecto, voluntas non consentit motioni, non potest pro posteriori praedeterminari physice ad volendum: ergo praedeterminatio physica ad velle liberum voluntatis, supponit ejus determinationem, saltem negativam. Probatur haec minor. Si voluntas pro illo priori non consentit, pro illo dissentit objecto, vel manet suspensa a dissensu, & consensu. Sed quidquid dicas, non potest

pro posteriori determinari ad volendum objectum physica praedeterminatione: ergo si &c. Probatur minor. Si voluntas pro illo priori dissentiens objecto, pro posteriori praedeterminaretur ad volendum objectum, praedeterminaretur involuntarie, & coacta, & invita, aut reluctans determinaretur: quae enim major coactio, quam determinatio voluntatis ad amandum, & volendum objectum, cui dissentit? Rursus, si pro illo priori se suspenderet a consensu & dissensu objecti, maneret indifferens quoad speciem actus, quae solum datur a motione objecti. At voluntas non potest physice praedeterminari coacta, & invita, & ad velle involuntarium; Rursus, nisi sit determinata ab objecto quoad speciem actus, nequit determinari a Deo per praedeterminationem, quae est ad solum exercitium actus; implicat enim determinatio quoad exercitium sine determinatione quoad speciem: ergo nec voluntas dissentiens objecto, nec suspensa a consensu, & dissensu objecti, potest praedeterminari physice ad volendum objectum, sed unice voluntas pro priori consentiens objecto.

Jam vero, quod consensus iste pro priori ad praedeterminationem physicam sit solum negativus, ut docet B. Aegidius, patet. Nam hic consensus est pro priori ad influentiam Dei, & physicam praedeterminationem: sed ante influxum Dei nullus actus positivus potest effici a voluntate nostra, ut patet ex q. 16. Ergo consensus ille est pure negativus: vel

est actus interpretativus, quo voluntas sinens se trahi ab objecto, quasi vult velle objectum, a quo trahitur. De quo vide dicta in nostra q. 13. §. 1. a num. 9. ubi alias rationes invenies pro hoc actu interpretativo, vel consensu negativo.

62 Secunda conclusio, Deus praedeterminat nos efficienter, & moraliter, ad omnes actus subsequentes ad nostrum velle, per ipsum velle: quare actus omnes imperati praedeterminantur per ipsum imperium voluntatis, quod est illud primum velle liberum. Praecipuum assertum est, quod velle nostrum est praedeterminatio ad omnes actus subsequentes ad velle, sive sint actus voluntatis, sive aliarum potentiarum. Hoc assertum est expressum in M. P. Augustino D. Thoma, & B. Aegidio, ex quorum mente probatur.

Et in de mente M. P. Augustini, qui lib. de Corr. & Gratia cap. 14. explicans quomodo Deus adduxit bellatores Israel, & eos movit, ut constituerent David in Regem, ait: *Nam quid eos corporalibus ulla vinculis alligavit? Quo dimisso, ut absurdo, prosequitur: intus egit, corda tenuit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit.* Nomen voluntatis, ubi cum D. Thoma observant Theologi, hic & alibi non sumitur pro potentia, sed pro actu voluntatis, qui a nobis dicitur *volitio*, sed ab antiquis hoc nomen usurpatum non est, sed nomen voluntas promissum pro potentia, & pro actu voluntatis. En ergo Deus movit, adduxit, & traxit

milites Israeliticos ad omnes actus externos, quibus Davidem constituerunt Regem, per hoc praecise, quod in militibus operatus sit velle, vel actum illum imperij, quo eorum voluntas voluit ipsum Regem constituere.

Rursus, lib. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 1. explicans, quomodo Deus transtulit cor Regis Assueri de ira in lenitatem, ut non iam iratus extingueret Judaeos, suggerente Aman, sed placatus eos servaret, eis que faveret, ut orabat Regina Esther, ait totum hoc fecisse, *Operando in corde Regis, quid aliud nisi voluntatem (id est velle, vel volitionem) qua jussit, & factum est, quod Regina poposcerat.* Vbi vides omnia opera illa Regis Assueri, quae orante Regina Esther, narrat facta a Rege volumen sacrum: haec omnia a Deo praedeterminata sunt, sed non per aliud, quam per solum velle Regis, quod in ejus corde Deus operatus est.

Tandem lib. de Gratia, & lib. arb. cap. 21. hanc regulam generalem pro omnibus actibus imperatis dat nobis, dicens: *Agit enim Deus in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere voluerit.* En quidquid Deus vult me facere, id exequitur me movendo, sed non aliter me movet ad illud facere, quam operando in corde meo velle, quod est motus voluntatis meae. Quare Augustinus Patens semper est, perpetuus in docendo quod velle nostrum, ut a Deo, est motus, & praedeterminatio ad facere: unde per illud velle liberum, de quo fuit prima nostra conclusio

clusio, movet Deus nos ad omnes actus subsequentes.

63 Id docuit etiam D. Thomas 1. 2. q. 9. art. 3. in corpore concludens: *Et similiter voluntas per hoc quod vult finem, movet seipsam ad volendum ea, que sunt ad finem.* Ergo Deus, qui dat voluntati illud velle, quo vult finem: per illud movet voluntatem ad volendum reliqua, & subsequentes actus, qui sunt ad finem, & propter finem.

Expressius id docuit 1. 2. q. 111. art. 2. explicans effectus gratiæ cooperantis, nempe auxilium Dei dati ad actus secutos post primum velle, quod est effectus gratiæ operantis, ut dictum est num. 51. sic ait D. Thom. *Alius est actus exterior, qui cum à voluntate imperetur, consequens est, quod ad hunc actum operatio tribuatur voluntati. Et quia etiam ad hunc actum Deus nos adjuvat, interius confirmando voluntatem, ut ad actum perveniat, & exterius, facultatem operandi præbendo, respectu huiusmodi actus dicitur gratia cooperans.* En omnis actus posterior ad primum velle, qui dicitur à D. Thoma actus exterior, est effectus Dei, & auxilij ejus. Ceterum ad hoc nil requiritur ultra primum velle, nisi quod Deus confirmet voluntatem, & donet facultatem externam operandi quod voluntas vult. Hæc confirmatio voluntatis non est quid distinctum ab ipso velle, sed velle fortissimū, ut infra patebit. Facultas externa est ablatio exteriorum impedimentorum, ut dicemus ex S. Doctore. Ergo per solum velle nostrum à Deo causatum,

movet nos Deus ad actus subsequentes.

Hæc est etiam sententia B. Egidij in 2. sent. dist. 41. q. 1. art. 2. in corpore, ubi postquam amorem finis vocavit pondus animæ cum M. P. Aug. 13. confel. cap. 9. dicit: *Sicut generans in corporibus prius inducit formam gravem, & postea per illam gravitatem movetur grave in centrum, tamquam in terminum. Sic intellectus apprehendens bonum, activat voluntatem, & generat in ea quendam amorem boni, quasi quendam gravitatem, & quendam formam gravem; per quem amorem, sive gravitatem, voluntas movet se ad actum suum, & movet alias potentias, & actus earum, & membra exteriora, & opera eorum in finem.* En omnes potentiæ, omnia membra, & quæcumque in nobis agunt, operantur ut mota à voluntate imperante: & ut voluntas imperet, debet in ea esse illud velle, & illud pondus, quod causatur ab intellectu, proponente objectum causalitate morali, & à Deo causalitate effectiva, ut de mente B. Egidij probatum est num. 57. Ergo sicut Deus causans pondus gravium, movet ad omnes eorum motus, quare agunt ut mota à Deo, sic causans in voluntate nostrum velle, movet nos ad omnes actus subsequentes.

64 Sed notandum, quod hoc velle non semper est efficax ad actus subsequentes. Id docuit M. P. Augustinus multis locis de quibus quæst. sequenti. Ob id monet in libro de Grat. & lib. arb. cap. 16. *Ab illo*

illo (id est à Deo) *petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus.* Ratio S. Parentis est, quia amor finis vincit difficultatem omnium mediorum, conducentium ad finem. Dum ergo Deus ut finis amatur, & proponitur consequendus per eleemosynas, per jejunium, per cilia, & martyrium; amor tepidus sufficit vincere difficultatem dandi eleemosynam, unde erit efficax pro imperanda eleemosyna; sed inefficax pro tolerando martyrio. En velle, & amor finis habet gradus, ut sit aliquando minor, quandoque major, interdum ferventissimus, ut in S. Laurentio, de quo S. Leo dicit, quod seignior fuit ignis, qui exterius ussit, quam qui interius arsit. Serm. in Nat. S. Laur.

Ob id S. Thom. 1. 2. q. 111. art. 2. quod 3. insinuat, quod Cayetanus docet in expositione ejusdem articuli, nempe: quod posita intentione finis, non semper sequitur electio; & tunc intentio non est efficax. Eo scilicet, quia difficultas eligendi medium difficile, petebat majorem amorem finis intentionis, à quo amore vincenda est difficultas omnis, tum electionis mediocum, tum executionis. Et arguuntur quæst. 137. art. 4. in corpore per hunc locum: *Liber sit in potestate arbitrii, quod hoc eligat, plerumque audit in nostram potestatem electio, sed non executio.* Ut in D. Petro, qui promittit moti pro Christo, ne eam negaret, & amore Christi elegit mortem. At quoniam ejus amor erat tenuis, non pergit

exequi quod volebat, & elegerat: *Petebat enim se posse, quod se velle sentiebat;* ait Parens Augustinus.

Hinc cum omnis difficultas, tum electionis mediocum, tum executionis, vincenda sit per primam velle, & primum amorem finis; docet D. Thomas num. 36. laudatus, quod Deus nos adjuvat ad actus exteriores. *Interius confirmando voluntatem, ut ad actum* (nempe electionis) *perveniat* (hoc est augendo gradus amoris) *ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus,* (ut docet S. Parens) *& exterius facultatem operandi præbendo.* Nempe per remotionem impedimentorum, aut diminutionem virtutum agentium exteriorum.

65 A ratione probatur conclusio. Deum prædeterminare voluntatem ad omnes actus exteriores, est Deum dare voluntati determinationem ad eos actus; hoc & nil aliud est, Deum prædeterminare: sed dante Deo nobis nostrum velle, dat nobis determinationem, qua determinamur ad actus exteriores: ergo ad eos prædeterminat per ipsum velle nostrum, ut à Deo datum. Probatur minor. Nostra voluntas per suum primum velle, quod vult finem, se determinat ad volendam ea, que sunt ad finem, ut patet ex dictis q. 13. 6. ergo Deus dante nobis illud velle &c. confirmatur. Quia genitum vivens, per primum motum cordis se movet ad subsequentes motus, generans dante genito primum motum cordis, cum movet ad subsequentes motus, ut primum velle liberum, &

prima intentio finis est actus; quo voluntas nostra se movet ad actus subsequentes electionis, & executionis: ergo per hoc quod Deus det nobis nostrum velle, prædeterminat ad actus exteriores secutos &c.

Confirmatur secundo, Actus imperatus à voluntate, vel est liber extrinsecè, denominatione sumpta à libertate actus imperantis (quod de actibus ambulandi, sedendi, & potentiarii materialium, verissimum est) vel si est intrinsecè liber, ut electio, approbatio, & alij actus voluntatis exequentis, & obedientis voluntati imperanti, satis determinatur per actum imperij voluntatis: ergo satis prædeterminantur à Deo, dante velle libero; quod est imperium voluntatis imperantis ratione domini, quod habet supra suos actus.

66 Dices. Ultra hoc velle, à Deo datum, requiritur quod Deus causa prima influat in actus subsequentes sub ratione entis universalissima: sed influxus Dei in actum nostrum, est prædeterminatio physica ad actum, ut diximus toto §. 6. ergo ultra velle, à Deo datum, requiritur physica prædeterminatio ad singulos actus subsequentes primum velle.

Pro solutione nota, quod eadem voluntas per suum velle imperat sibi electionem, & alios actus, tum voluntatis, tum aliarum potentiarum: quare est quasi duplex voluntas, una imperans, alia exequens. Influxus ergo Dei in actus voluntatis exequentis, est quidem prædeterminatio respectu voluntatis exequentis, & hoc

probat replica. Ceterum relatè ad voluntatem imperantem, non est prædeterminatio, sed concursus simultaneous; quia pro eodem signo, quo influenza Dei præcedit actum exteriorem, datur actus imperij voluntatis, qui etiam præcedit actum imperatum exteriorem, ut causa ejus, & determinatio ad illum. Quare influenza illa Dei non est prædeterminatio relatè ad voluntatem imperantem. Suprà quæst. 16. num. 28. dictum est, quod actio Dei ut influit in actionem creaturæ, est concursus prævius; ut autem influit, in effectum actionis creaturæ, est simultaneus; quia simul cum creaturæ influit in effectum. Nunc sic. Actus imperatus respectu voluntatis exequentis est actio; sed respectu voluntatis imperantis est effectus; quia fit à voluntate impedante media actione imperij, nempe medio primo velle: ergo influenza Dei in actum imperatum, erit prædeterminatio relatè ad voluntatem exequentem, sed non, nisi merus concursus simultaneus, relatè ad voluntatem imperantem.

Hæc duplex voluntas non est duplex potential, sed unica cum duplici munere imperandi, & exequenti; & horum præcipuum munus est imperare; tum quia in hoc stat libertas voluntatis; & dominium supra suos actus; tum, quia exequi imperata à voluntate, etiam convenit potentijs inferioribus. Restat ergo, quod id convenit propriè voluntari, quod convenit ei, ut imperanti; ergo cum relatè ad voluntatem imperantem influen-

influentia Dei in actus imperatos, non sit concursus prævius, sed simultaneus; idè absolute verum est quod Deus prædeterminat voluntatem, unicè dando primum velle: & quidquid ultra requiritur, est concursus simultaneus, non prævius: nec requiritur titulo determinandi voluntatem, quæ satis determinata est per primum velle; sed titulo generali ad omnes effectus, ad quos Theologi contra Durandum requirunt immediatum influxum Dei, & concursum simultaneum. Vide num. 50.

Explicatur exemplo. Eo modo Deus movet creaturam ad omnes actus omnium potentiarum, & sensuum, quo intelligentia motrix juxta Philosophos movet omnes Cælos ad suos motus: at intelligentia solum movet immediatè primum Cælum, & medio illo reliquos: ergo movet Deus reliquas potentias, obedientes appetitui, non immediatè, sed mediatè; movendo nempe appetitum, naturalem in inanimatis per pondus, sensitivum in brutis per velle sensitivum, & rationalem in hominibus per primum velle liberum. Hoc stat, licèt non stet actio aliqua vel motus, qui non pendeat immediatè à Deo influente: ceterum influenza ista non petitur titulo determinationis, sed alijs, de quibus quæst. præcedente contra Durandum.

67 Hæc prædeterminatio ad actus externos, quæ fit per ipsum velle prout à Deo, est prædeterminatio physica, & moralis; unde est Physico-moralis. Est physica, quia movet

impetando; & imperare est de genere causæ efficientis. Rursus, dum voluntas per tale imperium se determinat, se determinat efficienter: ergo dū Deus per tale velle determinat ad alios actus, determinat efficietè: unde est ad illos prædeterminatio physica. Est etià moralis, quia medio illo velle, qui est amor, & intentio finis, Deus finis ultimus movet ad omnes actus, qui fiunt propter finem. Vide dicta à nobis quæst. 14. §. 2. num. 10. Vbi invenies ordinem actuū, quibus finis primò amatus, postea intentus, movet ad electionem, & executionem mediorum, usque ad assecutionem, fruitionem, & gaudium de fine possessio: ergo motio ad omnes istos actus non est solum physica, sed moralis; unde illud primum velle est prædeterminatio physico-moralis ad omnes actus subsequentes.

§ VIII.

Expenduntur fundamenta aliarum sententiarum.

68 **N**ostra sententia, si benè perpendas quæ dicta sunt, ferè in omnibus consentit Thomistica, uno excepto, de quo potest esse controversia. Damus cum Thomistis prædeterminationem physicam ad nostrum velle, sed dicimus, quod ante illam Deus movet moraliter, aut finaliter per bonitatem apprehensam, quod etiam Thomistæ concedunt. Dicimus cum eis prædeterminationem tantum moralem non sufficere, sed requiri etiam physicam, ut Deus qui efficienter, & physicè est causa pri-

ma, utroque genere causalitatis causet nostram velle, & ad illud determinet. Hucusque illorum & nostra sententia plenè convenit. Quamobrem rationes eorum, & auctoritates, quæ tantum probant hoc, pro nobis etiam sunt.

Discriminamur, quia dicimus Deum non prædeterminare physicè voluntatem ad velle, nisi voluntas prius consentiat motioni morali, & finali, consensu quidem negativo, aut interpretativo, à nobis probato num.

60. & 61. Hoc negant Thomistæ RR. quia inde sequeretur Deum non esse plenè dominum determinandi creaturam, si deberet expectare illius consensum, quare subordinaretur creaturæ in determinando efficienter. Hoc est unicum eorum motivum, sed quàm leve sit, patebit quæstione sequenti. Interim audi summarè quantas difficultates deglutire debeas, si ad nostram sententiam non recurras.

69 Primò. In nostra sententia benè explicatur, quomodo ille, qui non est prædeterminatus physicè, habet in motione morali auxilium sufficiens ad implenda præcepta; nam cum possit consentire motioni morali, & Deus sic consentienti paratus sit dare prædeterminationem physicam, habet in motione morali auxilium sufficiens, imò initiativè habet in ea etiam auxilium efficax, ut docet Magister Lemos tom. 4. parte 2. lib. 4. tractu 3. cap. 6. Quæ doctrina, utpote ex P. Aug. mente, non ab alio, nisi ab illo Dominicano Augustinianissimo sedulo rimari, impensè

que favori valebat. At contrà, si neges prædeterminationem physicam dari consentienti, & unicè negari dissentienti moraliter; non poteris explicare, quomodo si caret prædeterminatione requisita ad actum, habet auxilium sufficiens ad actum. Nam dicere, quòd habet posse, eò quòd prædeterminatio non requiritur ad posse: est dicere, quòd communiter dicitur à Thomistis RR. sed nemo eos intelligit, nec ipsimet sibimetipsis placantur.

Secundò. Nil certius in Scriptura, in Concilijs, & P. Augustino, quàm quòd nulli negatur gratia efficax, nisi ei, qui se impedit, & in pœnam peccati. *Deus enim* (ut ex M. P. Augustino ait Concilium Tridentinum) *ne minem deserit, nisi prius deseratur*. Deserit Deus dum negat prædeterminationem ad actum bonum. Ergo antea nos deseruimus Deum. Quomodo sic? In nostra sententia benè: quia Deo movente moraliter, & finaliter, nostra voluntas noluit motioni attemperari, & consentire; unde se impedit, & Deum sic moventem deseruit. Ceterum in doctrina opposita, nulla ex parte creaturæ est causa in Adamo justo, & Angelis ante peccatum primum, ut eos Deus deseruerit, negando prædeterminationem ad actum præceptum; sed Deus pro suo libito eos determinavit ad actum inobedientiæ, cum posset ad actum obedientiæ: quòd concedere indignissimum est, & absurdissimum. Vide Lemos loco laudato, & me audi quæst. seq.

Tertio.

Tertid. Nil certius in Scriptura, & Augustino, quàm quòd *Deus potest sine meritis nostris prædestinare, quia bonus est; sed non potest sine demeritis reprobare, quia justus est*. Quare potest sine meritis dare auxilium efficax, quòd est effectus prædestinationis, sed non potest sine demeritis nostris, negare tale auxilium, quòd fuit effectus reprobationis in Angelis malis. Quomodo ergo ante primum Luciferi peccatum præcessit demeritum, in cuius pœnam Deus negaverit auxilium efficax? Nos benè cum Lemos id assignamus, nempe quia motus Lucifer à Deo moraliter, noluit considerare bonitatem Dei; sed tactus motione contraria, & consideratione propriæ excellentiæ, huic attendit, ei consentit; & sic Deus author universalis negavit prædeterminationem ad amorem bonitatis Dei, & dedit prædeterminationem ad amorem bonitatis propriæ Luciferi, qui amor à Lucifero positus est cum malitia peccati superbiæ. Hic vides causam ruinæ ejus ex parte creaturæ: non videbis illam in sententia contraria, quæ docet reprobationem, & primam negationem auxilij efficacis, esse ante omne prævisum demeritum. Omitimus alia, de quibus quæst. seq.

70 Rursus discriminamur à DD. Thomistis in secunda conclusione quæ est de prædeterminatione ad omnes actus imperatos per primum velle. Ipsi ponunt prædeterminationem ad eos consistere, vel in qualitate fluida §. 1. explicata, vel in actione immanenti Dei, ad singulos

actus requisita: quæ quoniam datur purè pro arbitrio Dei, nulla attenda ratione ex parte nostra, subjacet difficultatibus supra positis contra prædeterminationem ad primum velle. Rursus, cum ea qualitas, vel illa actio, sit vel ipsa Dei voluntas, vel instrumentum ejus, habet efficaciam absolutam, ita ut cui datur, sufficiat pro quocumque actu. Nostra sententia non ita; sed ponit prædeterminationem ad eos actus consistere in amore finis, qui habet gradus, ita ut interdum sit fervidus, interdum tepidus, & sic aliquando sufficit pro executione operis difficilis, aliquando non.

Hoc discrimen, quòd in doctrina Augustini facit nos Augustinianos, & non purè Aristotelicos, benè salvat notissimum illud Tridentini dogma contra Hæreticos hujus temporis, *Deus* (ait) *non præcipit impossibilia, sed jubendo monet, & facere quòd possis, & petere quòd non possis*. En in nostra sententia clarissimè explicatum. Præcipit Deus servare castitatem. Suggestit tibi contrarium tentatrix concupiscentia; eam debes vincere illo primo velle, nempe amore Dei finis ultimi, ob cujus assecutionem tibi proponitur per legem Dei servatio castitatis. Vel ergo ille amor est fervidus, & sic vincit concupiscentiam, & ea victa, servas præceptum. Vel est tepidus, & tunc impotens vincere concupiscentiam, teneris rogare Deum pro majori amore, ut ait M. P. Augustinus: *Ab eo* (idest à Deo) *petendum est, ut tantum volumus, quantum sufficit, ut volendo faciamus*. Amor ille tepidus,

tepidus, insufficientis vincere concupiscentiam, sufficiens est ad orandum majorem amorem; nam minor est difficultas orandi, quam servandi castitatem; quare per amorem Dei, quantumvis tenuem, poteris orare, & ob id tibi tenuiter amant, non præcipit Deus impossibilia, etsi præcipiat servare castitatem; quia in jubendo monet facere quod possis, & petere orando quod non possis.

At in sententia contraria non apparet practica hujus dogmatis, unde pendet nostra salus æterna. Da me sub præcepto castitatis tentatum, & gementem ob stimulum carnis meæ. Deum amo, & timeo, licet invalidè. Angustijs premor, & concupiscentia illectus ad illicita trahor. Quid faciam? Orabo. Sed quomodo, si Deus non dat mihi illam qualitatem ad orandum, & ad quodcumque faciendum requisitam? Petam illam qualitatem? Quomodo petam, si ad petendum illam indigeo illa, nec mihi data est? Desinamus qualitatem, veniamus ad actionem immanentem Dei. Quid faciam in eis angustijs? Orabo? quomodo, si Deus in me nõ causat actum orandi, ad orandum necessarium? Petam à Deo, quòd illum in me causet? At quomodo id petam, si ad hoc petere, necessarium est, quòd Deus causet orationem meam, nec illam causat? Quo me vertam in angustijs meis, nisi ad Deum? sed quomodo me vertam, nisi Deus causet in me versionem illam, aut actum conversionis meæ ad Deum? Respondeat qui possit, fateor ignorantiam meam: sed si

solatium est ignorantibus, sicut miseris, socios habere; tot habeo consortes ignorantix, quot homines cordati in hunc scopulum offendunt.

71 Nec hic est recursus ad inscrutabilem altitudinem scientix Dei, ad quam cum Apostolo sæpè recurrit M. P. Augustinus exclamans: *O altitudo scientix Dei &c.* & monet in ea questione *Quare hunc trahat, illum non trahat, noli judicare, si non vis errare.* Hic enim recursus adhuc in nostra sententia necessarius est, sed in contraria inutilis, & extra rem. Loquitur Augustinus de tractione: tractio juxta S. P. Augustinum num. 7. laudatum, fit per motionem moralem. Unde loquitur de motione morali. De illa est questio Augustiniana. Nam ut docet quest. 2. ad simplicianum, Deo moventi moraliter Jacob, & Esau, Jacob consensit, Esau dissensit. Sed Deus habuit in sua omnipotentia alias motiones morales, quibus Esau consentiret. Dedit ergo Jacob motionem moralem, cui consensit, & eum traxit; non dedit Esau eam motionem, quam poterat dare; cui sine dubio consentiret; & sic eum non traxit. En questio: *Cur Jacobum traxerit, Esau non traxerit, ut potuit, noli judicare, si non vis errare.* Quare pro hoc recurrendum est in nostra sententia ad inscrutabilia judicia Dei. Vide dicta num. 9. de mente S. P.

Ceterum in contraria sententia pro argumento à nobis facto, est inutilis ille recursus. Tum quia non est ibi difficultas de tractione, & motione morali, sed de physica motione:

Tum,

Tum, quia argumentum nostrum supponit me amantem Deum, desiderantem servare præceptum, agnoscentem meam imbecillitatem, cupientem orare majus adjutorium, aut eam physicam qualitatem. Quòd ergo mihi sic constituto Deus denegat auxilium necessarium ad orandum, & alia, hoc nec in Scripturis, nec in SS. PP. invenies, nec judicia Dei inscrutabilia huic asserto favent, quia in Scripturis plenè in contrarium manifestata sunt. Dicitur Osee 3. *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Sed denegatio gratix ad orandum, & servandum præcepta infert perditionem nostram, ergo si denegatur auxilium, non est unice ob voluntatem Dei sic volentis pro suo libito, sed ob causam à nobis datam. Ea est clara in nostris principijs, quia nempe *Deus, qui stat ad ostium, & pulsat*, ut dicitur Apoc. 3. pulsat per motiones morales, vult dare auxilium efficax consentienti motioni morali. Si consentio, datur mihi; negatur, si dissentio; & dissensus est culpa mea, in cujus poenam alterum denegatur.

72 Aliud etiam Theologicum dogma est, nempe Deum denegare auxilia efficacia ei, qui non benè nritur sufficientibus. Hoc in nostra sententia clarissimum est. Nam motio moralis, quæ est sufficiens ad primum velle, potest à me suscipi, vel respui. Si suscipio, benè illa utor, usu, & actu negativo, jã explicato; & vi hujus usus datur mihi prædeterminatio physica efficax. Si respuo motionem moralem, malè utor illa, & in poenam mali

usus, denegatur mihi physica prædeterminatio. Hæc de primo velle: venio ad facere. Amor Dei, & si tepidus, & insufficientis ad servandam cum effectu castitatem, est tamen absolute sufficiens, quia sufficit ad orandum majorem amorem, quo possim servare castitatem. Si cum eo amore tepido oro majorem, mihi datur major amor, qui revera erit efficax pro castitate. Si non oro majorem amorem, non benè utor illo amore tepido sufficienti; & in poenam mali usus auxiliij dicti sufficientis, denegatur mihi auxilium efficax, & quia in pauca fui infidelis, non constituor supra multa.

At in contraria sententia non explicabis, quomodo detur bonus, vel malus usus auxiliij sufficientis. Pone inter auxilia sufficientia sanctas inspirationes, & illustrationes, quibus moveor ad amandum Deum, ad orandum &c. Vel ergo Deus dat mihi qualitatem prædeterminativam ad hos actus amandi, vel orandi, vel non dat. Si nõ dat? ergo numquam utar eis auxilijs sufficientibus, nec est dabilis usus eorum bonus, aut malus, sine qualitate prædeterminante ad bonum, vel malum usum. Si dat? Quid mirum benè utar, si infallibiliter prædeterminor? Nec tunc datur mihi auxilium efficax, quia benè utor sufficientibus, sed potius est contra, idè benè utor auxilijs sufficientibus, quia dedit mihi Deus auxilium efficax ad talem usum bonum. Ergo in hac sententia non potest explicari dogma illud Theologicum, sæpè etiam usurpatum à DD. illius

illus qualitatis. Quod dictum est de qualitate, intellige de prædeterminatione extrinseca consistente in actione immanenti Dei, de qua mutatis terminis est idem argumentum.

Pro vi hujus argumenti, & aliorum, quæ supra tetigimus, PP. Salmanticenses Disp. 7. de Gratia efficaci dub. 4. num. 262. recurrunt ad mutuam causalitatem inter nostrum peccatum, & denegationem auxilij efficacis. Mag. Joann. à Sancto Thoma 1. p. q. 19. disp. 5. art. 6. num. 59. recurrit ad composibilitatem duarum prædeterminationum ad actus oppositos. Eos impugnat Palanco tom. de Providentia quæst. 18. per totam, ubi ex propria mente ponit aliam solutionem, ceteris difficiliorem. Eam omittimus, quia in quæstione philosophicè pertractata, non licet, nisi ad summum Theologica infinuare.

73 Veniamus ad expédenda fundamenta Thomistica, quæ quoniã in multis nobilicū cōveniunt, paucis notatis sunt etiam pro nobis. Ad autoritatem D. Thomæ, & Philosophi, adductam num. 1. dicimus debere intelligi de motione physica ad nostros actus sub ratione entis universalissima, respectu cujus Deus est unica causa principalis, & creatura est merum, & rigorosum instrumentum, ut dictum est toto §. 6.

Ad autoritatem M. P. Augustini num. 2. positam, dic S. Doctorem loquutum non solum de motione physica Dei præmoventis efficienter, sed de morali, vel de Physico-morali,

à nobis explicata de mente S. P. totò §. 7. Vbi de inanimatis, belluis, & rationalibus, à Deo præmotis, sufficienter ostensum est. Et fatemur contra Jansenium, contendentem quoddam M. P. Augustinus solum disputavit de Gratia requisita ad actus salutare, sanctum Doctorem disputasse etiam philosophicè de motione ad singulos actus, præsertim liberos, contra Ciceronem, ut num. 2. bene ostenditur; & in hoc bene probant Thomistæ. Vide novissimum Masoulie Dominicanum, duobus tomis disputantem de motione Dei, ubi plene demonstratur hoc.

Ad explicationem nominis Physicæ prædeterminationis, dic eam à nobis admitti, & defendi, ut num. 3. explicatur. Sed addimus hoc solum, quod prædeterminatio physica ad primum velle, est ante omnem determinationem positivam, & omnem positivam actum nostræ voluntatis; sed non ante omnem actum, & determinationem negativam: quia contrarium à nobis probatur à num. 60. autoritate, & ratione; efficaciusque suadet à num. 69. & ob id diximus num. 60. quod potius vocanda est prædeterminatio moralis, quàm physica. Sed his est de nomine.

Ad ea, quæ dicta sunt num. 4. pro sententia constituyente prædeterminationem physicam in qualitate media inter actum primum, & secundum operandi, dicimus eam sententiam nobis non probari ob rationes, & autoritates D. Thomæ, quas post nostrum Gavardi, & Ildephonsum Michac-

chaelem Dominicanum, adducit Palanco in tomo de Providentia, ubi egregiè hanc qualitatem eliminat, suadens istam prædeterminationem consistere in actione immanente Dei, qua causat nostrum velle. Nec sententia nostra in presenti pendet ex hoc. Da, si volueris, qualitatem, sed eam pone post nostrum consensum negativum, præstitum motioni morali. Autoritas D. Thomæ q. 3. de Potentia art. 7. pro illa qualitate fluida, solum probat ex littera motionem intentionalem, ut num. 4. probatam est. Et num. 36. invenies quomodo intelligenda sit.

Ad ea quæ num. 5. dicuntur de indole physicæ prædeterminationis, ferè omnia quadrant nostræ physico-morali. Sed excipe ultimam, nempe, quod in manu nostra non sit acquirere, vel depellere physicam præmotionem. Possumus enim illam impedire; ut probatum est num. 60. & seqq. & num. 69. & est expressa sententia D. Thomæ locis datis num. 60. Non tamen possumus illam acquirere, aut mereri; at hoc non præjudicat nostræ libertati, quia Deus vult eam dare omni consentienti motioni morali: & in manu nostra est sic consentire. Totum hoc est D. Thomæ 3. contra Gentes cap. 159. Vnde licet prædeterminatio physica, absolute considerata, detur pro arbitrio Dei; at Deus manifestavit in Scripturis se illam daturum omni aperiienti ostium, & consentienti motioni morali. Apoc. 3. *Sto ad ostium, & pulsio, si quis audierit vocem meam, &*

aperuerit januam, intrabo ad illum.
75 Ad ea, quæ num. 6. dicuntur de Prædeterminatione extrinseca, consistente in actione Dei immanente, ea omnia amplectere, sed cum addito, jam explicato, quod actio Dei causet nostrum velle, supponendo nostrum consensum negativum motioni morali, & non aliter. Observa etiam, quod ad actus imperatos, actio Dei non est prædeterminatio, ut dictum est num. 66. Quare hæc sententia de actione, deservit pro primo velle, & actu imperante, non pro imperatis, aut pro facere, ad quæ prædeterminatio consistit in nostro velle, ut probatum est num. 62.

Sententia nostri Gavardi de actu inspirato, potest à nobis defendi, quantum ad primum velle, quod vocari potest inspiratum, quatenus ad illud movet Deus moraliter, & sub ratione finis movet finaliter, & simul efficienter, ut probatum est de mente M. P. August. D. Thomæ, & B. Aegidij quæst. 12. §. 2. At quia Deus non solum concipit objective, ut finis, sed ut causa efficiens, & ex parte subjecti, debet efficere, & causare nostrum actum prædeterminatione physica; sive sub ratione entis, ut diximus §. 6. cum B. Aegidio, sive sub ratione qualitatis, ut docet Gavardi. Si hoc sit inspirare, voca actum inspiratum; si aliud sit, aut contendas esse, nega tale nomen. Dixi hoc valere quantum ad primum velle, nam de actibus imperatis non valet, quia Deus non movet nos ad eleemosynam, causando actum dandi sub ratione

ratione qualitatis; hoc enim est concursus simultaneus, & auxilium cooperans, ut dictum est num. 66. Sed movet per amorem finis, & per illud velle primum, ut etiam videtur docere Gavardi tom. 2. q. 4. de Scientia Dei, art. 1. §. 2.

Ad ea, quæ dicta sunt num. 7. 8. & 9. de Prædeterminatione morali, omnia, ut jacent, sunt pro nostra sententia; nec aliter potest melius comprobari Deum movere nos finaliter ad primum, velle, & hoc explere ante omnem motionem physicam. Ob id enim motio ista moralis à Concilio cum M. P. Augustino dicitur *vocatio*.

At quia non tantum hoc modo Deus movet nos, sed etiam operando in corde nostro primum velle efficienter, ob id prædeterminatio moralis sola est insufficientis: unde debet poni Physico-moralis, ut num. 10. explicata est, & comprobata toto §. 7. à num. 45.

75 Ad ea quæ dicta sunt toto §. 3. pro sententia Societatis, negante omnem prædeterminationem, repōnimus quæ dicta sunt toto §. 6. pro probanda prædeterminatione physica, nec non ferè omnia dicta §. 7. pro nostra prædeterminatione Physico-moralis. Nec urgent rationes positæ inter explicandam sententiam Societatis, quæ ex P. Suario desumptæ sunt. Non prima posita num. 11. Nam præterquam quod ponit concursum simultaneum Dei, & creature per eandem actionem, quod nobis non probatur, sed contrarium juxta dicta q. 16. à num. 19. ubi ex M.

P. August. D. Thoma, & B. Agidii probatum est Deum agere ad extra per actionem secum identificatam. Dato tamen concurrere per eandem actionem, ac creatura; illa actio est à solo Deo principaliter sub ratione entis, & à creatura merè instrumentaliter sub ista ratione. Hoc sufficit ut detur concursus prævius, & non sufficiat simultaneus, ut ostensum est num. 35. & 37. hujus quæstionis.

Præterea, cum Deus, & creatura non concurrant casualiter, oportet quod aliquis determinet ad talem concursum. Quis ergo? Respondent ubi supra num. 12. quod creatura determinat quoad speciem actus, & Deus quoad individuationem. Hoc stare non potest, quia nulla creatura est primum determinans, sed ei soli convenit primò determinare actionem, cui convenit primò agere, & sub ratione omnium prima; At solus Deus est ita agens. Nec juvat ratio ibi data de agentibus necessarijs, quæ per suam naturam sunt ad unum determinata. Sunt quidem determinata, sed à Deo dante naturam, & inclinationem determinatam, conformem naturæ. Deus sic dans istas inclinationes, est Deus prædeterminans illa agentia necessaria, ut probatum est à num. 46. usque ad 50. Vnde exemplum ignis, & inanimatorum, non negat, sed probat prædeterminationem à causa prima.

Nec authoritas D. Thomæ num. 12. adducta contra nos est, sed pro nobis; nam probat quod Deus unica actione concurrat ad omnes effectus

ad

ad extra, & ob id est indifferens, & potens ad omnes. At sola actio cum Deo identificata, est sic potens ad omnes effectus, nulla autem actio creata est sic potens, quia nulla est omnipotens: ergo probat quod Deus ad extra operatur per actionem secum identificatam: quod negat Suarez, & cum eo DD. Societatis, putantes inde sequi Deum omnia prædeterminare, ut vidimus q. 16. num. 18. Sed age: sit actio Dei indifferens ad omnes effectus, dicit D. Thomas quod agentia creata sunt quasi particulantes, & determinantes eam actionem. Nota ly *quasi*, ne putes dicere absolutè, quod actio Dei determinatur à creatura. Quasi determinatur, sed à Deo determinatur absolutè. Nam cum Deus decernat concurrere cum igne, eodem decreto determinat suam actionem ad effectum ignis: & quia sumit occasionem ad hunc effectum determinatum ex determinatione naturæ ignis, & quasi objectivè; idè actio Dei indifferens, & potens ad omnia, determinatur absolutè à Deo decernente, & quasi determinatur, vel tantum objectivè, & exactivè ab ignis naturâ; ad unum determinata.

Hinc cessat paritas ad causas liberas. Nam si causæ necessariae non determinant absolutè actionem Dei: ergo nec causæ liberae, licet ad utrumque extremum aequè potentes, & completè virtuosæ. Nec paritas voluntatis Dei se determinantis sine ullo prævio determinante, quidquam probat; quia cum sit primum deter-

minans, à nomine potest, nec debet determinari. At contra voluntas creata, quæ est secundum liberum, & secundum determinans, & merum instrumentum ad suos actus sub ratione entis universalissima; totitudo debet ab aliquo extrinsecò prædeterminari. Nec pro salvanda libertate necessarium est negare prædeterminationem moralem, aut physicam, ut patet ex nostra sententia: nec ponere Deum offerentem creaturæ concursum indifferentem, determinabilem à creatura; sed quod offerat concursum physicum determinatum, dependenter tamen à consensu negativo motionis moralis, qua Deus incipit primò determinare.

§ IX.

Expenduntur rationes Thomisticae pro Physica prædeterminatione.

76 PRIMUM fundamentum Thomistarum, positum num. 14. probat quidem prædeterminationem, distinctam à concursu simultaneo, & à virtute agendi à Deo data nobis, & completa per rationes feminales Augustinianas; at non probat prædeterminationem, aut purè moralem, aut purè physicam, sed Physico-moralem. Nam motio Dei provida, est Dei primæ causæ finalis, & efficientis; nec creatura subordinatur Deo tantum ut efficienti, nec tantum ut fini ultimo, sed Deo efficienti, & finalizanti: ergo per motionem

M

effecti.

effectivam, & finalem, & consequenter Physico moralem.

Solutio hujus rationis Thomistica, posita num. 15. non bene impugnatur, ut patebit, quare ut illam efficaciter impugnes, argue contra prædeterminantes solum moraliter, ex doctrina nostra data num. 45. ubi probata est necessitas utriusque prædeterminationis physicae, & moralis. Contra recurrētes ad solum concursū simultaneum, argue ex dictis à nobis num. 55. 56. & 57. Ut ergo constet non esse urgentes impugnationes positas num. 15. à Magistro Palanco, placet eas expendere.

Ad primam concedo, quod Philosophus, & D. Thomas locis allegatis à Thomistis pro motione prædeterminativa agentium, loquuntur de omni agente, & præsertim de naturali, & necessario, & loquuntur præcipue de titulo subordinationis creaturæ ad Deum primam causam. Nego autem minorem, nempe quod motio moralis solum congruat agentibus intellectualibus, & solo titulo libertatis. Vtrumque falsum est. Nam sicut agere propter finem, convenit omni agenti, etiam naturali, sic omni convenit moveri finaliter. Rursus, cum creatura nedum subordineatur Deo primæ causæ efficienti, sed primæ finali; motio moralis non requiritur solo titulo libertatis, sed titulo subordinationis; & hic titulus communis est omni agenti. Imò M. P. Augustinus, ut explicaret quomodo homines liberi moventur finaliter, & à bonitate apprehensa moventur,

& trahuntur, id explicat in brutis exemplo ovis finaliter attractæ, & exemplo pueri non liberi, sed ante usum rationis attracti. ostensione nuncium. Et quod mirabilius est nostrum amorem finis explicat exemplo amoris gravium inanimatorum, qui est pondus, & inclinatio naturalis. Vide dicta, & probata à nobis num. 46. & seqq.

Ad 2. rationem Magistri Palanco, dicimus duplici defectu laborare. Primus est putare motionem moralem esse solum persuasionem, aut intellectualem allicientiam: & hoc falsum esse, ostendimus num. 46. Rursus, putat S. Thomam unice loquutum de motione rigoroſi instrumenti, qualis est motio ferræ ad scindendum: & hoc etiam est falsum; imò Thomistæ sic discurrentes, urgentissimam dederūt occasionem Doctoribus contrarijs, impugnandi prædeterminationem ut inimicam libertatis. Quod vide §. 6. num. 43. & 44. Ibi dictum est, quod creatura est rigorosum instrumentum ad actus sub ratione entis universalissima; & sic præmoveretur à Deo sicut terra ab artifice; ceterum prædeterminatio ista tollit libertatem, aut saltem non supponit illam in instrumento, elevato ad actus sub ea ratione. Ceterum ultra istam motionem præmoveret Deus finaliter, ut toto §. 6. & 7. ostensum est de mente Philosophi, & D. Thomæ; quare uterque non loquitur de unica præmovere, ut putat Palanco, sed de duplici à nobis explicata.

77. Ad doctrinam Palanco num.

76. positam, ea est pro nobis, qui cum D. Thomæ propugnamus Deum movere voluntatem nostram efficienter, & moraliter: Concedimus etiam hoc esse proprium Dei, & quod homo, vel Angelus solum possunt movere moraliter suadendo, & allicienti, non autem efficiendo. Hujus ratio est duplex, & utraque D. Thomæ, & nostri B. Egidij. Prima, quia nulla causa potest movere effective voluntatem, nisi sit efectiva voluntatis: at voluntas, & anima nostra fit per creationem, & solus Deus creare potest; ergo nulla creatura potest movere efficienter voluntatem. Secunda est: quia motio efectiva fit per influentiam causæ primæ in nostros actus sub ratione entis universalissima: at solus Deus, qui est omne ens, potest influere sub ratione universalissima entis: ergo solus Deus potest movere effective voluntatem, & quamcumque causam creatam. Cui affinis est alia ratio D. Thomæ; nempe ex objecto voluntatis, quod est bonum universale, & in communi. Nam solus ille, qui est omne bonum, potest movere effective voluntatem, respicientem omne bonum; sed solus Deus est omne bonum: ergo solus potest movere effective voluntatem.

Quod notat ibi Palanco, notatur bene, nam revera sola motio efectiva est efficax, & ob id dicitur efficax, quia efficit, & efectiva est. Hujus nominis *efficax* inventor fuit M. P. Augustinus teste Suario. Motio autem moralis non est efficax, quia non est efectiva, sed tractiva ad effi-

ciendum. At sumpta efficacia pro infallibili connexionione motionis cum actu, sola physica est efficax, moralis autem potest respui. At negamus quod Deus causam ullam, præsertim liberam, moveat efficaciter, aut efficienter, nisi prævia motione morali, & consensu negativo, Deo moraliter moventi.

78. Omnes autoritates D. Thomæ, & Parentis Augustini positæ num. 16. probant quod Deus potest voluntatem transferre de uno actu in alium, v.g. de amore sæculi in odium mundi. At quomodo? Sine motione morali? aut stante consensu negativo voluntatis motioni morali, allicienti ad amorem mundi? Nullomodo. Quomodo ergo? Modum ostendit D. Thomæ, à Palanco allegatus dicens: *Sicut voluntas potest immutare suum actum in aliud, multo magis Deus.* At voluntas attendens motioni morali concupiscentiæ, non potest mutare suum actum in amorem Dei, nisi avertendo oculos à suationibus dæmonis, & audiendo quid Deus loquitur per sanctas inspirationes: ergo nec Deus potest transferre voluntatem de amore sæculi ad amorem castum, nisi prius moraliter alliciens voluntatem, nec cogitet, aut ne sinat se trahi à cogitatione sæculi, sed ab ostensione boni incommutabilis.

Ob id P. Augustinus quæst. 21. ad Simplicianum, ostendens Deum habere inclinandorum cordium omnipotentissimam potestatem, eam reducit quasi primordialiter, in potestatem vocandi congruenter quamcumque creaturam. Vocatio est motio

moralis. Ratio est. Nam voluntas ille-
cta ab objecto, nequit cessare ab ejus
amore; nisi avertat oculos ab objecto
movoente. Ergo nisi Deus intra Omni-
potentiã habeat modos movendi
objectivè, quibus trahat voluntatem
ad se, & eam avertat ab objecto, cui
consentit; non erit omnipotens ad
mutandam physicè voluntatem de
uno actu in aliũ; nisi id velit facere
cogendo voluntatem. Ob id etiam
D. Thomas in autoritate laudata,
dicit quod Deus multò magis quàm
ipsa voluntas, potest mutare actum
voluntatis. Ob id pariter M. P. Au-
gustinus docet sapè, quod *Magis ha-
bet Deus in sua potestate voluntates ho-
minum, quàm ipsi suas.* Hoc magis
non benè exponitur à Thomistis RR.

Exponatur cum P. N. & D.
Thoma sic. Tam Deus, quàm volun-
tas nostra, ut mutet actum de amore
sæculi in amorem Dei, habent pote-
statem effectivam: sed præsupponen-
tem necessariò mutationem objecti
propositi, ita ut prius sit quod volun-
tas cesset ab attentione sæculi propo-
siti, & sinat se trahi à propositione
bonitatis Divinæ. Hucusque par do-
minium effectivum Dei, & volunta-
tis in actum. En disparitas. Voluntas
non habet in sua potestate sanctam
cogitationem Dei, quia hæc datur à
Deo quando, & quomodo vult. Rur-
sus, licèt Deus det, non est in pote-
state creaturæ, sed solius Dei, quod
illa cogitatio sit congrua, & fortior
ad trahendam voluntatem, quàm sug-
gestio sæculi blandientis, & pulfantis;
Vnde Apostolus 2. ad Corinth. 3.

*Non sumus sufficientes cogitare aliquid
à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia
nostra ex Deo est.* Ergo cum mutatio
actus voluntatis pendeat ex mutatio-
ne objecti propositi; & mutatio obje-
cti pendeat ex Deo unicè positivè,
ex voluntate solùm negativè; idè
magis habet Deus in potestate sua vo-
litionem nostram, quàm nos ipsi, qui
volumus, & amamus.

Hoc argumento, veluti urgen-
tissimo, usus est M. P. Augustinus
contra Pelagianos, dicentes fidem
esse à nobis, non à Deo; quoniam cre-
dimus, quia volumus; unde credere
est à nostra voluntate. Arguit contrà
sic P. N. Nemo credit Deo, nisi cogitet
de Deo: at cogitare de Deo non possu-
mus, teste Apostolo ubi suprà, nisi
Deus det cogitationem: ergo nec crede-
re, nisi Deo dante fidem. Sic argue in
proposito: Mutare nõ possumus amorè
nostrum de uno in aliud objectum, ni-
si mutata cognitione objecti allicien-
tis ad amorè: sed in potestate volun-
tas non est illa mutatio, potest enim
voluntas illecta ab objecto, se suspen-
dere ab amore illius; at nequit novum
objectum amare, nisi novum propo-
natur; nec ista propositio novi obje-
cti, maximè divini, est in potestate, nisi
solius Dei dantis sanctas illustratio-
nes, & cogitationes. Ergo primor-
dialis, plena, & absoluta potestas mu-
tandi actus voluntatis, convenit soli
Deo, & hoc titulo motionis moralis.
Quo vides, quàm immeritò hæc motio
despicitur ut insufficientis à RR. Tho-
mistis.

79 Ad autoritates adductas nu-

17. concedimus motionem moralem
secundum se esse frustrabilem, quia
ei potest voluntas dissentire, ut docet
Tridentinum. At motio infrustrabi-
lis potest esse, supposita scientia Dei
de illius congruitate. Hæc scientia
non est media, ut quæst. sequenti
ostendetur, quia nõ est scientia cõsen-
sus, sed cõgruitatis vocationis. Nec est
cur Palanco moneat Doctores sic res-
pondentes, ut videant quem Docto-
rem sequuntur in hac responsione,
Sequuntur etiam Doctorem optimum
Parentem Augustinum, quæstione
laudata ad Simplicianum dicentem:
*Nullius Deus frustra miseretur, quia sic
eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut
vocantem non respuat.* En vocatio, quæ
potest respui, non frustratur; nota
causam infrustrabilitatis, nempe Sciẽ-
tiam Dei de congruitate vocationis.
*Quia (ait) sic eum vocat, quomodo scit
ei congruere, ut vocantem non respuat.*
Quæstione sequenti videbis, quomo-
do à Divina voluntate venit efficacia,
& non à sola scientia Dei.

Quæ adducit Palanco eodem
num. 17. à ratione contra vocatio-
nem, & motionem moralem, suadent
non eam solam poni à D. Thoma, &
M. P. Augustino, sed etiam physi-
cam, & hæc est nostra sententia. Quæ
autem num. 18. adducuntur contra
concursum simultaneum, confirman-
tur ex dictis à nobis num. 55. &
seqq.

De reliquis rationibus Thomi-
sticis positis à num. 19. usque ad 25,
nil occurrit speciale, ut sint etiam pro
nostra sententia, dummodo eis ap-

plices doctrinam hic datam pro pri-
mo fundamento Thomistico. Unicè
nota, quod tertium fundamentum
positum numero 21. non solùm probat
prædeterminationem necessariam,
sed necessariam esse ex parte actus
primi, & ad posse: quod negant ipsi
Thomistæ. Patet hoc. Nam dicit præ-
determinationem esse necessariam ad
præcontinendum actum determina-
tum, & ad præcontinendum unum
præ alio. Sed quod dat præcontinen-
tiam, dat posse, & constituit actum
primum, ut benè probat Palanco in
tomo de Providentia, suadens con-
tra qualitatem prædeterminantem,
eam tollere libertatem. Ergo ratio
Thomistica posita num. 21. corrigenda
est, vel explicanda, ne probet
prædeterminationem necessariam ex
parte actus primi libertatis. Eam ex-
plicationem omittimus, tũ quia aliter
probanus prædeterminationem, tum
ne quæstionem nimis protrahamus.

§ X.

*Expenduntur fundamenta sententia ne-
gantis prædetermina-
tionem.*

80 **S**I teneas Prædetermina-
tionem physicam, confi-
stentem in qualitate, oportet solvas
fundamenta, quæ P. Suarius contra
illam adducit in Metaphysica disp.
22. multis rationibus ostendens res-
pugnare quid medium inter actum
primum, & secundum de linea ope-
randi; & contendens influxum Dei
intimè

intimè includi in actione ipsa creaturæ. Si verò nobiscū scias prædeterminationē physicam ad primū velle nō esse tale medium, sed puram actionem Dei immanentem, qua nostrum velle efficit sub ratione entis universalissimi; similiter prædeterminationem ad actus sequentes esse nostrum velle primum, ut supra dictum est; nil debes curare de argumentis Suatij loco citato, sed unicè de his, quæ supra num. 26. proposita sunt pro sententia Societatis. Quare,

Ad primum respondemus, concedendo quòd DD. Societatis ponunt actionem nostram esse effectum Dei, sicut Palanco, & alij Thomistæ ponunt, cum solo discrimine, quòd actio nostra juxta hos Thomistas est effectus actionis immanentis Dei, ut actio immanens est; sed à DD. Societatis ponitur actio Dei non ut actio, sed ut principium. Ceterum ex hoc discrimine, quod videtur parvi momenti, & quasi quæstio de voce, an nepe actio Dei causans nostrum velle, debeat dici principium, an autem actio? ex hoc ergo discrimine oriuntur consequentiæ magni momenti, quæ facile deteguntur, nec possunt à nobis concedi.

Prima consequentia est, quòd si velle nostrum est effectus actionis Dei, ut actionis, supponit pro aliquo priori actionem Dei; & pro illo priori Deus intelligitur operans; unde actio nostra, & nostrum velle, supponit Deum operantem, vel præoperantem. Hic jam apparet Deus causa prima operans, & præoperans. Cete-

rum si actio Dei non est actio: sed principium nostri velle, Deus ante nostrū velle intelligitur operans, aut præoperans, sed unicè est operans in signo quo datur nostrum velle. At in hoc signo jam etiam creatura est operans: ergo non apparet ratio cur Deus sit hoc modo causa prima nostri velle.

Secunda consequentia est. Nam si actio immanens præcedit ut actio, ante nostrum velle, jam actio Dei pro illo priori est determinata ante nostrum velle: ergo creatura non determinat Deum, sed supponit Deum à seipso determinatum ad agendum nostrum velle; & consequenter sicut Deus est præoperans, ita est prædeterminans, quod utrumque debet convenire causæ primæ. Ceterum si actio Dei nō præcedit ut actio, sed ut principium, cum principium sit indifferens ad agere, & non agere, determinatur in signo quo datur nostrum velle. Unde determinatur actio Dei à creatura, ut dicunt DD. Societatis, & sic non Deus, sed creatura est primum determinans. Hoc à nobis, nec ab ullo Thomista concedi potest. Ergo nec quòd nostrum velle sit ab actione immanente Dei ut à principio. Quòd si aliquando id insinuat N. B. Agidius, ut docet Villanova in Philosophia lib. 2. disp. 4. dub. 7. num. 95, de quo erit sermo lib. 3. dum disputemus de subjecto actionis; at non ponit umquam Doctor. N. principium Dei determinari à creatura, sed à sola voluntate Divina.

§ 1. Ad idem fundamentum positum

tum num. 27. Dicimus DD. Societatis ponere nostrum velle ut effectum actionis immanentis Dei, quæ non se habet ut actio, sed ut principium. Nec fundamenta, ibi allegata, ut actio Dei sit principium, & non actio; urgent: nam soluta sunt quæst. 16. num. 26. & ob id ea nunc omitimus. Dato tamen ea fundamenta suadere actionem Dei non esse actionem respectu nostræ actionis, sed principium, controversia restaret, an hæc actio ut principium, determinetur à Deo ad causandam nostram actionem, an verò à nobis? Dicunt DD. Societatis determinari à solo Deo, & determinationem Dei præcedere determinationem creaturæ, alioquin creatura non erit subordinata Deo, sed potius Deus subordinabitur creaturæ primo determinanti. Ergo licet positio DD. Societatis salvet quòd actio nostra sit immediata à Deo, non salvat esse cum subordinatione agentis creati ad Deum causam primam; & de ista est controversia.

Ad confirmationem ibidem positam, concedimus quòd subordinari creaturam Deo in actu secundo operandi, est recipere à Deo operationem. Ceterum negamus quòd creatura recipiat à Deo operationem per hoc præcisè quòd operatio sit effectus Dei immediatus. Ratio est clara. Nam per concursum purè simultaneum DD. Societatis, actio nostra æquè est à Deo, & à nobis; ergo non magis creatura illam recipit à Deo;

quàm Deus à creatura. Imò potius dicendum est Deum illam recipere à creatura. Nam illa actio oritur à creatura, ut unico determinante quoad speciem, licet sit à Deo influente: sed causa determinans ad agendum, dat actionem, quia ei tribuitur ut determinanti: ergo potius Deus recipit actionem à creatura, quàm hæc à Deo. Restat igitur, quòd recipere actionem à Deo, in quo stat subordinatio creaturæ agentis, sit non solum quòd actio sit à Deo effective, sed determinative, ut à primo determinante. Quod cum non salvetur per merum concursum simultaneum, oportet concedere prævium.

§ 2. Ad secundum fundamentum positum num. 28. Negamus prædeterminationem esse superfluum in causis necessarijs, nam illius necessitatem ostendimus § 6. & §. 7. præcipue à num. 46. Nec urget ratio contraria, primò, quia posito in igne v.g. quidquid requiritur ad agendum, ignis ex sua natura, est determinatus ad operandum, & sine ulla indifferentia: at hoc idè, quia jam est prædeterminatus physice, & moraliter à Deo Creatore ignis, qui nedum dedit ei formam, & naturam, sed inclinationem, & pondus in talem actionem determinatam; quod pondus est quædam prædeterminatio inanimatorum, ut explicatum est nunc citato. Hinc est, quòd argumentum contrariorū est fallax, dū negat prædeterminationem, supponendo jam ignem prædeterminatum. Et redargue contrarios. sic. Ideò positus in igne omnibus requi-

requisitis ad agendum, ignis non eget determinati, quia per illa requisita est jam prædeterminatus, ut num. 46. probatum est: sed ex quo causa prædeterminata non egeat prædeterminari, non bene, sed fallaciter probatur prædeterminationem non esse necessariam: ergo sic probantes non bene probant.

Nec exemplum lapidis valet. Nam lapis in aere suspensus, ibi habet à creatore formam gravitatis, & inclinationem consequentem formam: ergo habet jam suam prædeterminationem, consistentem in ea inclinatione, & appetitu tendendi deorsum, ut probatum est num. 46. Quid mirum si lapis prædeterminatus non egeat iterum prædeterminari? considera, ut bene arguas, lapidem in aere suspensum; sed vel sine forma gravitatis, vel sine inclinatione sequuta ad illam formam. Lapis ille eget non solo concursu simultaneo, sed prævio, dante scilicet inclinationem ad centrum, & tendendi deorsum. Sed age, ne contendamus, an illa inclinatio sit prædeterminatio, vel non sit, quod forsan negabis. Alia via clariori ostensa est, & probata necessitas prædeterminationis.

Lapis, ignis, & quæcumque causa necessaria, licet supponatur completa, & cum omnibus requisitis ad agendum sub ratione talis entis, numquam potest agere suam actionem sub ratione entis universalissima, ut probatum est à num. 35. Quare licet sit causa suæ actionis, & principalis causa sub ratione talis en-

tis, est merum, & rigorosum instrumentum suæ actionis sub ratione entis universalissima. At instrumentum rigorosum eget elevatione, motu, aut impulsu causæ principalis agentis: ergo quæcumque causa naturalis, etsi per naturam determinata ad agendum sub determinata ratione entis, eget prædeterminari ad agere sub ratione entis universalissima, sub qua nedum non habet virtutem determinatam, sed nec indifferentem, quia ad illam rationem universalissimam nullam habet virtutem, sed est merum instrumentum.

Nec contra hoc facit disparitas assignata ab arguente, inter instrumenta naturalia, & artificialia. Nam relatè ad rationem universalissimam entis, omnis creatura est rigorosum instrumentum, sicut ferra respectu artificis. Dicitur autem creatura instrumentum naturale Dei, quoniam habet naturalem virtutem ad agendum sub ratione talis entis, quam non habet ferra ad effectum artificiosum. Ceterum in reliquis conveniunt ferra relatè ad artificem, & creatura ad Creatorem agentem sub ratione entis universalissima. Accidens autem instrumentum substantiæ, non est instrumentum, sed virtus instrumentaria, ut dicunt Thomistæ. Dato esse instrumentum, elevatur intransitivè, ut dictum est q. 10. num. 37. Sed ex nostris principijs ibi datis dicendum est, quod accidens non est instrumentum, nec virtus substantiæ, habens à substantia quidquam transitive, vel intransitive, sed à Deo, cui

jus est participatio formalis virtutis, agendi effectum substantialem. Vide ibi dicta.

83 Ad confirmationem positam num. 28. respondemus Deum præparantem suum concursum simultaneum causis creatis, illum præparare juxta earum naturam. Fatemur etiam causas creatas necessarias per sui naturam, esse *exactive* ad unum determinatas, sed *formaliter* sic determinari per pondera illa explicata num. 46. unde Deus præparans eis suum concursum, eis præparat concursum ad unum determinatum. At in hoc, quod nobiscum docent contrarij, latet discrimen maximè notandum. Nam ipsi docent, quod concursus Dei ex se est indifferens, & determinatur, & particularizatur à creatura cooperante, ut vidimus num. 12. Nos autem cum Thomistis tenemus determinari à voluntate Dei, volente agere talem effectum in consortio agentis creati. Vnde primam determinationem ponimus à Deo; contrarij autem primam à creatura. Et licet ponant pro signo actus primi Deum determinantem dare suum concursum: at determinat dare concursum indifferentem, determinabilem pro posteriori à creatura: quare Dei determinatio est dandi concursum, non autem est determinatio concursus.

Quidquid sit de hoc. Demus Deum præparasse suum concursum ad unum determinatum, & determinatione à Deo facta; fatemur tunc nullam determinationem esse neces-

sariam ex parte Dei. Negamus autem non esse adhuc necessariam determinationem ex parte creaturæ. Nam licet creaturæ sit determinata per suam naturam, & inclinationem sequentem naturam, ad agendum sub ratione talis entis, nullam habet virtutem, nec inclinationem ad agendum effectum, & actionem suam, sub ratione universalissima entis: ergo ut illam efficiat sic, debet à Deo elevari, moveri, & determinari, ut instrumentum movetur ab agente, cujus est instrumentum. Motio ista est prædeterminatio, nec stat cū solo concursu simultaneo, ut vidimus §. 6. Nec urget ultima paritas. Fatemur quod si prædeterminatio constitueret actum primum agendi, non esset necessaria ulterior determinatio. Negamus quod sic se habeat forma naturalis in causis necessarijs. Disparitas est, quod prædeterminatio elevat creaturam ad actionem sub ratione universalissima entis, quod non facit forma naturalis agentis creati, quæ cum non sit omne ens, sed tale, solum dat virtutem ad agendum sub ratione talis entis: ergo posita forma naturali, adhuc est necessaria prædeterminatio elevans; secus posita ex parte actus primi prædeterminatione.

Dices: ergo prædeterminatio nostra elevat, & dat virtutem ad agendum sub ratione entis universalissima. Ergo constituit actum primum, & datur ad posse, non ad agere. Quod est contra sententiam prædeterminantium. Respondeo prædeterminationem non eleva-

elevare virtutem creaturæ, nec dare ei virtutem; sed elevare actionem creaturæ; ut attingat effectum etiam sub ratione universalissima entis. Instrumenta rigorosa elevantur sic, quia non debent præcontinere in actu primo effectum, nam hoc soli causæ principali convenit; sed in actu secundo attingunt effectum causæ principalis, pro quo sufficit quod actio instrumenti elevetur à causa principali. Hæc elevatio non est actus primus, sed secundus, vel prævia ad actum secundum. Vide dicta de instrumenti quest. 11. §. 2.

84. Ad tertium fundamentum contra Prædeterminationem ad causas liberas, positum num. 19. unicè respondeam juxta principia nostræ sententiæ. Et nego primò, auctoritatibus Scripturæ impugnari prædeterminationem, ut à nobis positam; imò eis confirmatur, ut patebit explicando omnes, à contrarijs adductas. Prima Apostoli, hortantis nos, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus, intelligitur de prædeterminatione morali; & pia cogitatione, quam possumus recipere in vacuum, ei dissentiendo. Intelligitur etiam de prædeterminatione physico-morali ad actus externos, hoc est de primo velle, quod possumus recipere in vanum, si per illud non facimus quod possumus, & petimus quod non possumus. Nec enim ponimus prædeterminationem moralem, infallibiliter connexam cum velle nostro; nec nostrum velle infallibiliter connexam cum nostro facere: sed dependenter

à Scientia Dei, & voluntate ejus, habet prædeterminatio nostra infallibilitatem, ut dicemus quest. sequenti.

Ad alias auctoritates dicimus eas intelligi de prædeterminatione morali, qua Deus pulsat ostium nostræ voluntatis, non autem de physica: nam hæc consistens in actione Dei jam explicata, supponit consensum negativum, aperiens januam. Vnde per prædeterminationem physicam non pulsat Deus, sed intrat. & sic verba illa: *Sto ad ostium &c.* non intelliguntur de prædeterminatione physica. Idè de verbis Christi *D. Quoties volui congregare &c. & nolui.* Nam hic est sermo de voluntate Dei antecedenti, cui potest voluntas resistere, & vi ejus datur motio moralis resistibilis. Non est sermo de voluntate Dei consequente, cui juxta Scripturam nemo resistit; de qua dixit M. P. Augustinus, *volenti saluum facere, nullum hominis resistit arbitrium.* In vi hujus datur prædeterminatio physica ad velle. Ceterum hæc est irresistibilis, & nemo illam recipiens, est nollens: unde de illa non sunt verba allegata intelligenda. Ad idem verba *Isayæ. Quid ultra debui facere, & non feci?* Intelligantur de motione morali, quam Deus dat, paratus dare effectivam, si creatura consentiat morali. Quod si non dat effectivam, culpa nostra est, qui non consensimus morali.

85. Ad rationes subillatas ex textibus, quæ sunt etiam contra nos, quate-

quatenus ponimus necessariam physicam prædeterminationem ultra moralem. Respondemus, quod licet sit impossibile conversio nostra sine physica prædeterminatione; & Deus aliquando non det illam, non idè vocat nos ad impossibile; quia vocando per motionem moralem, cui possumus consentire; & in manu nostra posito consensu; per illum habemus prædeterminationem physicam nobis possibilem, & re ipsa conferendam, si consentiamus. Nec Deus vocat nos ad conversionem ponendam sine prædeterminatione, quia hoc esset vocare ad impossibile. Sed vocat ad conversionem ponendam dependentem à Deo prædeterminante, sed parato sic prædeterminare, si voluntas consentiat vocanti. Quod si non dat physicam motionem, non est culpa Dei vocantis, sed nostræ voluntatis resistentis, aut se impediens.

Ad secundam rationem dic, quod Deo pulsati per vocationem, possumus sine prædeterminatione respondere negativè, & hoc modo appetere, ut dictum est num. 60. ex B. Aegidio. Non possumus respondere positivè, quia nullam actionem possumus habere sine influxu Dei; & hic influxus Dei in actionem nostram, est physica prædeterminatio, ut constat ex dictis. Quare ad respondendum negativè Deo vocanti, non est necessaria prædeterminatio physica, bene autem ut respondeamus positivè per actum, quo volumus converti ad Deum.

Ad confirm. 1. concedo pri-

mam auctoritatem M. P. Augustini, concedo etiam prædeterminationem physicam esse in se irresistibilem quoad operari, nam semel posita influenza Dei in actum, nequit voluntas impedire ejus influxum. At illa influenza est impedibilis, & resistibilis quoad esse; quia non existit prædeterminans, nisi voluntas consentiat motioni morali prævia; ergo cum possit ei dissentire, potest suo dissensu impedire, ne existat actio Dei prædeterminans physicè. Nota quod non est sermo de existètia actionis Dei absolutè, quia hæc est æterna ut Deus. Sed de existètia actionis ut prædeterminantis, quia sic solum existit quando prædeterminat, nec semper, & æternè prædeterminat, sed temporaliter, dum voluntas consentit Deo vocanti, & excitanti.

86. Nego autem consequentiam illatam, nempe quod prædeterminatio ad materiale peccati faciat nos cedere sine peccato, eò quod est irresistibilis. Nam cum sit resistibilis quoad esse, ut explicatum est, potuit voluntas dissentiendo suggestioni tentationis, se impedire ne Deus prædeterminaret ad materiale peccati. Imò cum Deus, quando tentatio urget, sit fidelis; nec sinat unquam nos tentari supra id quod possumus, ut dicitur ad Corinth. 10. semper excitat, & moraliter movet ad actum bonum, paratus prædeterminare physicè ad illum, si voluntas consentiat excitationi sanctæ; ergo si in eo conflictu volun-

tas nostra obturat aures, ne Deum audiat, & consentit diabolo suggerenti; culpa ejus est, quod ad malum prædeterminetur physicè, modo infra explicando. Casus autem alter de eo quod voluntas velit ambulare, & Deus neget prædeterminationem ad ambulandum, est implicatorius in nostris principijs; nam prædeterminatio ad actus imperatos est velle nostrum, à Deo datum: ergo si voluntas vult ambulare, jam habet prædeterminationem ad ambulandum. In actibus supernaturalibus est alia ratio: nam quando velle non sufficit pro actu efficiendo, sufficit ad orandum majus velle, ut dictum est num. 70.

Ad 2. confirm. ex autoritatibus D. Thomæ, respondemus cum contextu autoritatum, quæ pro nobis adduximus. Ad primam dic. S. Doctorem ibi contraponere causam liberam necessariam, quæ non habet actum ex propria determinatione, sed agerante dante formam, ad unum determinatam, ut legenti articulum constabit: ergo dum negat quod determinatio actus voluntatis sit ab alio determinante, hoc negat de determinante per modum naturæ. At Deus prædeterminans voluntatem, non determinat sic, sed medio judicio indifferenti. Ad secundam dic determinationem esse in potentate voluntatis, quatenus Deus non prædeterminat physicè, nisi præcedat consensus negativus voluntatis motioni morali. Ad tertiam dic influentiam causæ primæ deter-

minari objective, & occasionaliter; non absolute, & subjective, ut dictum est num. 75.

87 Ad quartum fundam. positum num. 30. dic juxta nostra principia, quod prædeterminatio physica non requiritur ad posse, licet requiratur præviè ad operationem. Nam requiritur, ut causa creata, quæ est completè potens ad actum sub ratione talis entis, elevetur ad productionem actus sub ratione entis universalissimæ. Hæc elevatio non est virtutis, sed actionis creatæ: unde non dat virtutem, nec posse, sed dat actu operari instrumentaliter sub ratione entis universalissimæ. Nec negamus quod illa prædeterminatio tollat libertatem ad actum sub ea ratione sub qua est prædeterminatio; imò negamus suppositum; nam cum creatura nullam habeat potentiam ad actum sub ratione universalissimæ, nullam habet libertatem ad actum sub ea ratione; nam libertas non solum dicit potentiam, sed indifferentiam; nec stat indifferentia sine potentia. Ergo prædeterminatio non tollit libertatem quam non supponit. Vide dicta num. 43. de mente B. Ægidij, & D. Thomæ. At quia forsitan contendit argumentum, quod voluntas prædeterminata ad actum sub ratione universalissimæ, non manet libera ad eum sub ratione talis entis; ideò respondeo aliter.

Et nego majorem argumenti, nempe quod prædeterminatio requiratur ex parte actus primi, & ad posse. Ad 1. probationem majoris nego

quod omne prævium requisitum, requiratur ut sit causa potens operari. Christus D. dixit Apostolis Matthæi 26. *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* En Apostoli habebant plenum posse ad non intrandum in tentationem; & tamen jubentur orare, & petere: ergo ultra posse, aliquid erat necessarium ad vincendam tentationem, quod esset prævium; & supponens posse. Patet consequentia, quia oratio signum est indigentia, ut ait M. P. Augustinus, nam *Nemo petit id quod habet.* Ergo si habentes posse, jubentur orare, aliquid non habebant, quod erat requisitum præviè ad victoriam, nec tamen requirebatur ad posse. Rursus, in actibus imperatis. Ut ergo ambules liberè, requiritur quod velis ambulare. Et tamen velle tuum prævium ad ambulationem, non requiritur ad posse ambulare; nam sine velle habes potentiam ambulandi plenè expeditam.

Ad 2. probationem nego antecedens. Nam deficiente concursu Dei, vel Deo illum suspendente, deficiet mea operatio, sed non mea potentia operandi. Hæc manet non quia sit potentia ad operandum sine concursu Dei; nam sic operari est implicatorius, sed non est implicatorium, quod sine concursu Dei maneat potentia operandi. Hic est fallacia à sensu composito ad divinum. Nam sensus compositus potentia operandi cū carentia prædeterminationis, est verus: quia stat potentia divisa à prædeterminatione. Sed quia non

stat, nec potest, operatio sine prædeterminatione, sensus compositus operationis, & carentia concursus Dei, est implicatorius. Vide Thomistas prolixè agentes de sensu composito, & diviso.

Ad 3. probationem nota quod est duplex applicatio, una causæ ad causam; hæc constituit posse, & actum primum. Tales sunt, quæ in argumento obijciuntur. Applicatio ignis ad passum, est applicatio causæ efficientis ad causam materialem. Cognitio objecti, & motio moralis per cognitionem, sunt applicatio causæ formalis, & finalis ad causam efficientem: unde se tenent ex parte actus primi, & ad posse. Ceterum influentia Dei, & physica prædeterminatio non est applicatio causæ ad causam, sed causæ ad effectum, vel operationem: unde supponit plenè actum primum, & est applicatio de linea actus secundi. Actio autem, qua Deus ut causa applicatur voluntati ut causæ, est actio Dei dans virtutem voluntati. Prædeterminatio non dat virtutem, sed applicat eam ad operationem.

Ad ultimam probationem, quæ non tam probat, quam interrogat, respondemus, quod inter requisita ad operandum quædam sunt requisita ex parte actus primi; & hæc sunt omnia, quæ vel dant posse, vel expediunt posse. Alia sunt requisita ex parte actus secundi, & hæc dant actu operari, vel deserviunt pro actu operari. Suppone in me plenam potentiam, & expeditam

ad ambulandum liberè; non ambulo, nisi velim. Ergo, meum velle requiritur præviè ad ambulationem; nec sufficit potentia expediri ambulandi. Hoc velle est requisitum ex parte actus secundi, quia non requiritur ad posse ambulare, nec dat posse, sed illud supponit. Dat autem actu ambulare, & requiritur ad actualem ambulationem. Hoc docent Thomistæ de sua prædeterminatione, & hoc dicimus nos evidentiùs, cum prædeterminatio ad ambulandum sit ipsum velle ambulare, ut dictum est in nostra conclusione secunda.

Ad confirmationem positam num. 30. dicimus nullum argumentum ex doctrina Augustiniana desumi posse, ad urgentius probandum quòd prædeterminatio constituit posse. In nostris principijs casus est impossibilis, nempe quòd ego velim currere, & Deus neget mihi prædeterminationem ad cursum. Nam cum prædeterminatio nostra ad cursum sit nostrum velle, implicat me velle currere, & non habere prædeterminationem ad cursum. Casus autem possibilis in nostris principijs est, me velle currere, & Deum negare mihi concursum simultaneum ad cursum. Sicut igni Babilonico inclinato, & prædeterminato per eam inclinationem ad comburendum pueros sanctos, Deus negavit concursum simultaneum, & pueros non ussit. Et generaliter, si Deus suspendat suum concursum, & latentem operationem,

nulla creatura operabitur, quantumvis inclinata, & determinata ad operandum, ut patet ex M. P. Augustino supra num. 2.

At hic casus possibilis probat etiam contra D.D. Societatis, nam probat quòd concursus Dei simultaneus dat posse; cum probet quòd deficit posse ex solo defectu concursus simultanei. Et probatur sic. Ex duplici tantum capite potest oriri quòd ego non curram, vel quia non possum, vel quia nolo. Sed in casu quòd me volente currere, mihi Deus denegat concursum simultaneum, non curram; nec carentia cursus oritur ex nollione mea; ergo oritur ex impotentia currendi. At tunc nil deficit mihi, nisi concursus simultaneus Dei; ergo hic constituit meum posse. Quòd quàm factum sit, inde patet, quia concursus simultaneus juxta ipsos est cursum, & actio mea; actio autem mea non constituit, sed supponit potentiam expeditam, & completam ad agendum.

Directè respondeo M. P. Augustinum loqui juxta ordinem naturalis providentiæ, in quo carentia mei cursus non habet aliam causam, nisi vel nolle meum, vel non posse. Casus datus est miraculosus, & præter naturalem ordinem; quare loquendo de Potètia Dei absoluta, nullo ordine alligata, potest meus cursus deficere ex triplici capite, nempe vel quia nolo vel quia non possum, vel quia mihi potenti, & volenti currere, Deus denegat concursum ad currendum, quem tantùm miraculosè potest denegare.

Sed

Sed dices: M. P. Augustinus in de Gratia, & libero arb. cap. 17. loquens de illo amore, quo Petrus in nocte Cœnæ dixit Christo Domino *Animam meam pro te ponam*, dicit fuisse charitatem parvam, à Deo tamen in ejus corde productam; & subdit: *Putabat enim se posse (nempe mori pro Christo) quòd se velle sentiebat.* Ergo: cum non bene Petrus sic putaverit, dicendum est habuisse velle mori pro Christo; nec tamen habuisse potentiam expeditam ad moriendum pro illo. Aliquid ergo defecit pro expedito posse. Vel ergo defecit concursus Dei, vel quid aliud. Non concursus: quia hic non negatur volenti agere juxta nostram doctrinam, nisi negetur miraculosè; nec Deus potest facere miracula, ut sequatur peccatum, fecisset tamen, si negasset suum concursum miraculosè Petro volenti mori, cum timore mortis negaverit Christum. Ergo aliud defecit, quòd non erat concursus Dei. At hoc non erat potentia physica moriendi, quia hæc est in quolibet mortali. Nec voluntas se offerendi liberè pro Christo, quia *se velle sentiebat.* Erat ergo prædeterminatio distincta à velle Petri, necessaria Petro, ob cujus defectum ei defecit potentia expedita ad se offerendum morti.

Respondeo, quòd Petrus sic volens mori, habebat posse mediatum, non immediatum ad moriendum pro Christo. Ibi docet M. P. August. quòd *Qui vult facere Dei*

mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam, & invalidam, poterit autem cum magnam habuerit, & robustam. Parva fuit in D. Petro, dum timore Deum negavit; nam si fuisset robusta, non timuisset, quia, ut ibi M. P. Augustinus cum Joanne dicit: *Charitas perfecta foras mittit timorem.* Et quia Petrus cum illo amore parvo poterat petere majorem amorem, & robustum, quo plene posset mori pro Christo, ut postea Romæ fecit, idè cum illo amore parvo habuit posse mediatum, licet non habuerit immediatum. Et dum queris, quid Petro defecit? Respondeo, quòd pro posse mediatò nihil, ut constat ex dictis. Sed pro posse immediato defecit Petro illud velle robustum. Nec idè sequitur, quòd prædeterminatio constituat posse, & actum primum. Nam hoc posse est potentia antecedens; & hæc Petro non defecit. Defecit autem ei potentia consequens conjuncta cum effectu, pro qua necessaria est prædeterminatio, quæ quoniam defecit ob defectum robusti velle, Petro etiam defecit posse consequens ad moriendum pro Christo.

Ex tota doctrina data colliges illud principium sententiæ contrariæ, nempe *Omne requisitum ad actum, inaccessibile per ipsum actum, constituit potestatem proximam ad actum, unde illo deficiente, deficit potentia proxima.* Hoc ergo principium verum non est absolutè; quia philosophicè instatur in nostro velle, quòd requi-

requiritur ad liberè ambulare. nec est acquisibile per actum ambulandi; & tamen non constituit potentiam liberam ambulandi. Theologicè instatur multis. Nam cum merita nostra sint dona Dei; & omne donū supponat donationem, vel voluntatē liberam donantis; ad omne meritum nostrum requiritur prævia libera donatio Dei. Hæc non est acquisibilis per nostrum meritum, sed prior nostro merito; & tamen non constituit potentiam liberam ad nostrum meritum: ergo falsum est, quod omne requisitum &c. Adde hoc principium cōtra nostram sententiā non esse, quia prædeterminatio physica ad nostrum velle, licet non possit acquiri per nostrum velle, quod est posterius, acquiritur tamen per consensum nostrum negativum, præstitum motioni morali. Vnde jam est saltem negativè in nostra potestate.

90 Pro solutione quinti fundamenti, positi num. 32. Oportet explicare sensum compositum, & divisum. Vberriam explicationem invenies apud Thomistas, sicut & folia multiplicata ad nauseam usque, impugnationibus, & solutionibus hujus distinctionis, quas consulere omittimus. Sicut enim dum sedeo, habeo potentiam ad standum; non quidem in sensu composito sessionis, quia stare simul, & sedere implicat; sed in sensu diviso, quia cum actuali sessione retineo potentiam standi: sic prædeterminatus ad amorem, non habeo potentiam ad odium in sensu composito prædeter-

minationis; quia sicut nequeo conjugere amorem, & odium, sic nequeo conjugere odium cum prædeterminatione ad amorem. Ceterum sicut dum amo, habeo potentiam ad odium in sensu diviso, id quod amor non incompatitur cum potentia ad odium; sic cum prædeterminatione ad amorem, manet potentia ad odium in sensu diviso prædeterminationis.

Hæc distinctio alijs terminis explicatur, nam potentia ad sensum compositum, dicitur *potentia simultatis*; potentia in sensu diviso, dicitur *simultas potentia*. Hoc idem, quia cum amore, & potentia amandi, retineo potentiam ad odium, & sic est simultas potentia. At quia non possum simul ponere odium, & amorem, non datur ad id potentia simultatis.

Alijs etiam terminis explicatur, nempe potentia in sensu diviso, dicitur *potentia antecedens*; potentia in sensu composito, dicitur *potentia consequens*. Quidquid ergo possum in re ponere, & in sensu composito, possum potentia consequenti. Et quia in instanti mei amoris non possum ponere odium conjunctum cum amore, idem non possum ad odium potentia consequenti. Bene tamen potentia antecedenti, quia amor non excludit à me potentiam ad odium, & hæc erat antecedens tum ad amorem, tum ad odium; quia ante omne exercitium liberum præcedit potentia expedita ad utrumque.

91 His notatis observa, totum argu.

argumentum nil probare contra nostram prædeterminationem ad actus imperatos, nam hæc est nostrum velle, à quo possumus desistere, & sic non est prædeterminatio illa irresistibilis. Rurtus, loquendo de prædeterminatione nostra ad primum velle, nil probat contra motionem moralem, cui possumus resistere. Vnicè probat contra motionem physicam, consistentem in actione Dei, qua causat nostrum velle, & hæc actio est irresistibilis, nec in sensu composito ejus possumus ponere oppositum. De hac intellectu toto argumento,

Ad illud, concedo quod voluntas non potest frustrare prædeterminationem; & illam frustraret, si in sensu composito ejus ad amorem, poneret odium: quare prædeterminata ad amorem, nequit ponere odium in sensu composito prædeterminationis. At quia potest illud ponere in sensu diviso; idem manet cum potentia ad odium, & sic est libera in amando. In forma dist. maj. voluntas prædeterminata ad amorem, nequit non amare, potentia consequenti, simultatis, & in sensu composito, concedo: potentia antecedenti, in sensu diviso, & similtate potentia, nego. Nec ista est potentia ad frustrandam prædeterminationem: nam cum solum frustratur per sensum compositum, & non per divisum; potentia ad oppositum in sensu diviso prædeterminationis, non est potentia ad frustrandam prædeterminationem.

Ad 1. probationem dic, quod potentia ad conjungendum odium cum amore, vel prædeterminatione ad amorem, est potentia ad chimæram; quia talis conjunctio impossibilis est; unde talem potentiam non habet voluntas prædeterminata. At pro sua libertate habet potentiam ad odium in sensu diviso prædeterminationis ad amorem, & hæc potentia non est ad chimæram. Quod patet. Nam chimæra est idem ac impossibile. Sed odium in sensu diviso prædeterminationis ad amorem non est impossibile: ergo non est chimæricum. Ergo potentia ad illud sic, non est potentia ad chimæram.

Ad 1. confirmationem concedo primum syllogismum, nempe quod amare sine prædeterminatione, est chimæra; & quod voluntas non habet potentiam ad chimæram: quare non habet potentiam ad amandum sine prædeterminatione, nec ad hoc est libera. Nego autem consequentias subillatas; nempe, quod carens prædeterminatione, non erit liber ad amandum, nec peccabit omittendo amorem. Nam ut peccet, sufficit posse liberè amare; & ut sic possit, non eget prædeterminatione, nam hæc requiritur ad actualem amorem, non autem ad potentiam amandi. Ergo deficiente prædeterminatione, deficit potentia consequens, non antecedens, & in hac stat libertas. In nostris principijs clariùs peccat non amans, quia licet careat prædeter-

minatione, sua culpa ea caret, quia noluit consentire Deo moraliter vocanti ad amorem.

Ad confirmationem respondent Thomistę sub distinctione; & admisso syllogismo ab arguente posito, concedunt creaturam non posse falsificare aliquam ex præmissis ob rationem datam ab arguente. Dicunt tamen quod Petrus potest falsificare illam conclusionem nempe: *Ergo Petrus consensit*, non quidem absolute, sed dependenter à Deo, prius falsificante aliquam ex præmissis. Nam cum Deus prædeterminans possit non prædeterminare, potest falsificare minorem illam, nempe *Petrus est prædeterminatus*. Quare creatura potest per dissentium falsificare conclusionem, sed dependenter à Deo, prius falsificante aliquam ex præmissis. Hoc sufficit pro libertate creata, quæ non prima, sed secunda, & dependens à Deo primo libero.

Solutio est optima, sed nobis non est necessaria; quia creatura potest falsificare unam ex præmissis, non quidem positivè, sed negativè, quia potest se impedire non consentiendo motioni morali Dei; & hoc posito, non prædeterminatur physicè à Deo. Quare illa minor, *Sed Petrus est prædeterminatus*, potest falsificari à Deo positivè, & à creatura negativè. Quod sufficit, ut conclusio sit libera Petro. Hinc patet illud principium Societatis. *Quod sequitur ex inimpedibili, est inimpedibile*. Nihil probare contra nos, qui ponimus

prædeterminationem quoad esse impedibilem à nostra voluntate. Sed quia dabimus quæst. sequenti Decretum prædeterminativum, quod nec negativè potest impediri à nobis; idem contra nos est illud principium. De illo ibi erit sermo. Interim observa quod Thomistę contendunt illud principium continere propositionem Petri de Rivo, damnatam ab universitate Parisiensi, & à Sixto IV. anno 1473.

92 Sed dices. Distinctio sensus compositi, & divisi, & exemplum sessionis, & stationis, quo explicatur, non sunt ad rem pro prædeterminatione: ergo ineptus est recursus ad eam distinctionem. Probatum antecedens. Illa distinctio solum valet ad explicandum necessitatē consequentem, cum qua stat libertas; sed necessitas, quam inducit prædeterminatio, non est consequens, sed antecedens: ergo &c. Major patet ipso exemplo. Qui sedet, necessariò sedet, nam. *Quidquid est, eo ipso quod est, necesse est esse; eò quod impossibile est rem simul esse, & non esse*: ergo qui sedet, eo ipso quod sedet, necessariò sedet. Hæc necessitas non opponitur libertati, nec tollit potentiam ad standum in sensu diviso, eò quod est necessitas consequens, nempe orta ex nostro actu nobis libero. Tolleret autem libertatem, & potentiam ad oppositum in sensu diviso, si esset necessitas antecedens, hoc est orta ex aliquo antecedenti ad nostrum actum.

Hoc expressè docuit S. Anselmus

in Libro *Cur Deus homo?* cap. 18. explicans utramque necessitatem, & dicens: *Est namque necessitas præcedens, quæ causa est, ut sit res; & est necessitas sequens, quæ in res facit. Præcedens, & efficiens est, cum dico Cælum volvi, quia necesse est volvatur. Sequens verò est, quæ nihil efficit, & sic est cum dico, te ex necessitate loqui, cum loqueris*. Et concludit necessitatem antecedentem tollere libertatem: Vnde jam dogma Theologicum est, voluntatem antecedenter necessitatam, non esse liberam.

Atqui necessitas, quam infert prædeterminatio, non est consequens ad nostrum actum, sed antecedens nostrum velle, & est effectiva nostri velle: ergo est necessitas, quæ non relinquit potentiam adhuc in sensu diviso, sed plene tollit libertatem. Hæc si applices ad Decretum prædeterminativum sunt contra nos; & respondemus sicut Thomistę. Si autem ad prædeterminationem temporalem, respondemus aliter.

Respondent Thomistę, quod prædeterminatio est necessitas consequens, quia subsequitur ad libertatem nostram, non in se formaliter, quia sic omnis actus liber creaturæ est effectus prædeterminationis Dei; unde ad illum sic non sequitur prædeterminatio. Sequitur autem ad nostram libertatem eminenter. Quia sequitur ad libertatem Dei, in qua nostra continetur eminenter.

Nos autem pro prædeterminatione temporali non urgemur hoc argumento. Quia, ut diximus, præ-

determinatio physica ad velle, supponit motionem moralem, & nostrum consensum negativum: ergo prædeterminatio licet effectiva nostri velle, est necessitas consequens nostram libertatem; non quidem libertatem positivè exercitam, sed negativè. Quod sufficit pro concilianda solutione argumenti cum replica posita ex Anselmi doctrinâ.

93 Ad ultimum fundamentum positum num 33. dicimus illud esse difficile in principijs RR. Thomistarum, ut patet ex dictis num 69. Solutio, quæ ab eis datur, posita est num. 34. & ut eam vindicent à replicis, & instantijs adversariorum, prolixam nimis quæstionem instituunt de prædeterminatione ad materiale peccati. Hanc non possumus hic expendere; sat erit juxta nostra principia argumentum factum dissolvere.

Et quidem cum peccatum possit esse vel in primo velle inordinato, vel in actibus sequutis ad velle: id certum est de utroque peccato, nempe quod ante ipsum præcedit tentatio, quæ est moralis motio diaboli, vel concupiscentiæ suadentis, & allicientis ad actum prohibitum. Deus autem non potest movere sic moraliter ad malum; nam ut ait Jacobus Apost. Epist. sua cap. 1, *Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat. Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illeceus*. Errat manifestè, ait Apostolus, qui cum tentatur, dicit, quod à Deo tentatur. Ergo motio moralis

illiciens ad actum peccati, à Deo non est, sed à concupiscentia nostra, & dæmone commovente sensus, species, p[er]siones, & appetitus.

Hæc tentatio, & moralis alligantia in peccatum, permittitur à Deo, ut humiliemur, pugnemus, & vincamus. Quare à Deo temperatur, ne sit supra vires nostras. Ob id 1. ad Corinth. 10. dicitur: *Fidelis autem Deus, non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum;* nempe immitendo sanctas cogitationes, inspirationes, & motiones morales, ut vincamus tentationem. Unde dicit D. Thomas ad illa verba Apostoli: *Non enim Deus fidelis videretur, si nos vocaret ad societatem Filij Dei, & nobis denegaret, quantum in ipso est, ea, per quæ ad ipsum pervenire possumus.* Dat ergo Deus urgente tentatione in malum, sanctam motionem moralem in bonum, paratus dare physicam ad bonum, si voluntas consentiat, nec se impediat, dissentiendo Deo vocanti ad bonum, & consentiendo concupiscentiæ allicienti ad malum.

94 His notatis, ad argumentum respondeo, quod ad primum actum inobedienciæ Luciferi, & ad primum Adami, Deus prædeterminavit physicè tantum, non moraliter; imò moraliter movebat ad actum obedientiæ. Et licet ante primum peccatum nullum aliud præcesserit, in cuius pœnam Deus deseruerit Angelum, & hominem, præcessit tamen impedimentum, quod uterque

posuit prædeterminationi ad bonum, & expeditio, qua se præparavit prædeterminationi ad malum; quia dissentiendo motioni Dei, se impedivit ad gratiam; & consentiendo motioni tentatrici, se expedit pro motione ad malum, illam suo consensu exigens à Deo authore universalis. En causa prædeterminationis ad materiale peccati ex parte creature, quam Deus numquam deserit, nisi ab ipsa prius deseratur, ut docet Trident, sess. 6. cap. 11. ex S. P. August. lib. de Natura & Gratia cap. 26. & 4. confes. cap. 9. dicente, Deum alloquens: *Te non amittit, nisi qui te dimittit.*

Deus sic prædeterminans ad materiale peccati, causat entitatem bonam, quæ est ens, & natura realis; non malitiam, aut vitium talis entitatis. Quare Pelagius non discernens, unum ab alio, reprehenditur a M. P. Augustino in supplemento 1. cap. 66. ut *Non habens exercitatos sensus ad separandum bonum à malo.* & lib. 2. cap. 88. *Si malum vitiorum, quod nisi in aliquo bono esse non potest, à naturarum bonitate discernas, nec excusabis diabolam, nec accusabis Deum.* Quare discernendo inter entitatem, & malitiam, dicemus Deum prædeterminare ad solam entitatem, ut eum non accusemus, ut authorem malorum; diabolum autem accusabimus ut peccati authorem; quoniam sub specie bonitatis utilis, vel delectabilis, movet moraliter ad malum; ut malum, & prohibitum. Hinc Pelagianas suscipere

pere partes videtur, qui vel contendit Deum utrumque efficere, & ad utrumque prædeterminare, vel ad nihil, nolens unum ab alio discernere.

Quoniam Deus in nostris principijs movet physicè, & moraliter ad actum bonum, causat bonitatem physicam, & moralem actus. Sed à contrario, quoniam ad actum peccati non movet moraliter, sed purè physicè, ideò solum causat entitatem physicam, non malitiam. Sic docuit D. Thomas in 2. dist. 37. q. 2. art. 2. dicens: *Ad primum dicendum, quod Deus est causa bonarum actionum, non solum quantum ad essentiam actus, sed etiam quantum ad perfectionem, secundum quam bonæ dicuntur. Utrumque enim agenti influit ut agat, & ut bene agat* (quia nempe ut agat influit physicè, & ut bene agat influit moraliter, alliciendo ad bonum). *Sed in malis actionibus quamvis sit causa earum quantum ad essentiam, non tamen quantum ad defectum.* Quia nempe non movet ut male agant, imò allicit ad oppositum. Et ad id (concludit S. D.) *absolutè dicendum est causa bonarum operum, non tamen peccatorum.*

95 In forma ad argumentum, nego quod Deus pro suo libito, & sine ulla causa ex parte creature prædeterminet ad materiale peccati. Jam data est causa; & ostensum, quod contra suam voluntatem signi, moraliter allicientem ad bonum, prædeterminat ad actum malum, ne deficiat muneri universalis Providen-

tiæ, vi cuius debet prædeterminare creaturam, ad quemcunque actum sit moraliter inclinata. Cumque inclinata sit à concupiscentia illiciente in malum, prædeterminat ad entitatem actus mali. Sic in sententia contraria Deus non est author mali, quia agit malum, ut determinatus à creatura. Nos non concedimus Deum à creatura determinari, sed dicimus quasi determinari, ne prædeterminet ad bonum, & prædeterminet ad malum, per prævium consensum negativum creature diabolo tentanti. Vide illam quasi determinationem ex D. Thoma supra num. 75.

Nego etiam consequentiam argumenti, quam non convincunt probationes, ut dicamus Deum authorem peccati. Non prima, quia Adamum peccare, non est tantum ponere comestionem vitiam in circumstantijs prohibitionis; si enim hoc fecisset sine advertentia legis, aut sine deliberatione, non peccasset. Ergo peccatum ultra comestionem vitiam dicit advertentiam, & deliberationem, quæ est attentio ad rationes hinc inde moventes moraliter. Deus autem non prædeterminavit moraliter, ut se averteret à rationibus retrahentibus, & se converteret ad illicite attrahentes, imò movit moraliter ad oppositum: ergo licet prædeterminaverit ad entitatem, non ad malitiam actus. Clarius. Peccatum Adami non fuit comestio physicè sumpta, sed moraliter accepta; at Deus non fuit causa comestionis moraliter sumptæ, quia moraliter movit

movit ad oppositum : ergo solum prædeterminavit ad entitatem.

Ad 2. probationem consequentia dic, quod si Deus per impossibile posset esse author peccati, non solum moveret physicè ad entitatem, sed moraliter ad malitiam, ut diabolus facit nunc. Ergo quoniam solum moveret physicè prædeterminans, idè solum est author entitatis.

Ad 3. dic, quod Deus est author obedientia Michaelis, quia movit eum physicè ut ageret, & moraliter, ut bene ageret; ut ex D. Thoma dictum est. Ergo cum prædeterminas ad malum, moveat physicè ut agat, sed non ut malè agat, imò allicit in contrarium; non est author malorum.

Nec contra dicta urgent replica positæ num. 34. Omnes supponunt, quod Deus pro suo libito, & nulla data causa ex parte creaturæ, prædeterminat ad malum, & ob id arguens dicit: *Quod Deus vult creaturam ponere entitatem actus mali &c.* Hoc sonat, quod positivè vult, & pro suo libito. Ceterum in nostris principijs non dicitur sic. Quia Deus occasionatus à creatura, & ab ea desertus, & sua morali motione ad bonum frustrata, quasi invitus prædeterminat ad materiale peccati. Hoc non est velle formalem malitiam, sed est velle non deficere suo muneri universalis Providoris, administrando motus, etiam dum ini-

qui justos exercere permittuntur, ut ait P. Augustinus ubi supra laudatus num. 2.

96 Dices. Si Deus est causa prima tam efficiens, quàm finalis, & ob id prædeterminatio est physico-moralis ad omnes actus; quomodo nunc dicimus, quod solum prædeterminat physicè, non autem moraliter? Respondeo nos hinc locutos de motione immediata Dei, quæ solum est physica, influendo immediatè in nostrum actum malum, sed non movendo moraliter ad illum. At quia concupiscentia tentans, movet sub ratione boni, licèt apparentis, in qua reservatur ratio universalis boni, quod est Deus; idè mediatè Deus ut bonum universale movet finaliter; & sic etiam prædeterminatio Dei ad actum pravum est physico-moralis. Ceterum cautè explicanda, quia numquam concedi potest Deum moraliter movere ad malum, nisi cum addito, nempe mediatè: & sub ratione universalis boni. Vide dicta à nobis quæst. 14. num. 12. ubi explicatur hoc. Et consule D. Th. q. 22. de veritate art. 2. ubi inter alia dicit: *Sicut secundarium agens non agit nisi per virtutem primi agentis existentem in eo. Ita secundarius finis non appetitur, nisi per virtutem finis principalis in eo existentem.* Vide etiam supra q. 12. num. 18. multa ex S. P. Augustino.

QUESTIO XVIII.

In quo consistat concursus prævius ad actus etiam salutare, præsertim de mente M. P. Augustini?

§ I.

Quædam notantur, tum pro questione, tum pro Parentis nostri mente percipienda.

EX dictis questione præcedente satis constat nostra sententia circa necessitatem concursus Dei ad actus supernaturales, meritorios vitæ æternæ, qui vocantur salutare. Eam in præsentia questione confirmare contendimus auctoritate M. P. Augustini, ut quicumque Augustinianæ Scholæ discipulatu gloriamur, pro illa stemus, pugnemus, & Deo favente vincamus. Pro cuius expositione.

Notandum primò, quod concursus Dei prævius, qui ad actus naturales dicitur prædeterminatio, vocatur gratia efficax relatè ad actus supernaturales. Dicitur *Gratia*, quia gratis datur; & datur gratis, quia cum omne supernaturale superet naturam, & sit supra omnem exigentiam naturæ, est indebitum naturæ: ergo dum datur, non debetur, & sic datur gratis; alioquin gratia non esset gratia, si daretur secundum debitum, ut arguit Apostolus Paulus ad Rom. 11. Dicitur autem efficax, quia per illam fit id, ad quod datur. Vnde illa sola est gratia efficax, quæ semper, & reipsa conjungitur cum

actu, vel opere, ad quod datur.

Hinc patet quid sit gratia inefficax, ea nempe, quæ datur pro aliquo efficiendo, sed non semper conjungitur cum effectu. Sic juxta M. P. Augustinum lib. de Corr. & Gratia cap. 11. Adam habuit gratiam ad perseverandum in justitia originali, sed non perseveravit actus; quare ejus gratia non fuit efficax, sed inefficax, ibi: *Quid ergo Adam non habuit gratiam? imò habuit magnam, sed disparem.* Hinc benè dicitur de mente S. P. quod gratia efficax dat actu agere, & actu velle; sed inefficax dat posse, ibi: *Acceperat posse quod vellet, sed non habuit velle quod posset; nam si habuisset, perseverasset.*

Genium utriusque gratia ibidem explanavit S. P. August. gratiam vocans adjutorium, quia per illam adjuvat nos, ut possimus, & ut operemur. Dicit sic cap. 12. *Ipsa adjutoria distinguenda sunt: aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium quo aliquid fit.* En duplex auxilium, vel adjutorium; unum vocatur *sine quo non*, & hoc dat

dat posse: aliud vocatur auxilium quo, & hoc dat agere, & velle. Quare cum aliquando detur posse, & non detur agere, ut in Adamo: in eo fuit auxilium sine quo, & gratia inefficax, sine auxilio quo, & gratia efficaci. Ibi cap. 11. *Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam (intellige efficacem) in bono recipiendo, & perseveranter tenendo, non solum posse, quod volumus, verum etiam velle quod possumus: quod non fuit in homine primo, unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit.*

De utroque adiutorio fuit concertatio N. P. Augustini cum Pelagianis, utrumque negantibus: ceterum, ut bene observant Theologi, eorum Sectatores in quarto statu suæ heresis dicti Semipelagiani, admittentes necessitatem auxilij sufficientis, dantis posse, sed negantes necessitatem auxilij efficaci, dantis velle, & agere; quæstionem devolverunt ad solam necessitatem auxilij quo, & gratiæ efficaci; unde contra eos M. P. Augustinus scripsit librum de Corr. & Gratia. Vide N. Laffosse tom. 4. suæ Theologiæ speculo 2. & speculo 3. cap. 4. sed præ ceteris testibus unus oculatus Augustinus lib. 1. de Gratia Christi cap. 3. cujus verba dedimus quæst. præcedente num. 51.

2 Notandum secundò, in principijs Augustinianis aliud esse agere, aliud velle agere. Quod à pluribus non observatur, & idè doctrina S. Parentis, ac concertatio ejus cum Pelagio, non bene percipitur. Id di-

ligenter notavit S. P. lib. 1. de Gratia Christi cap. 3. dicens: *Ecce totum dogma Pelagij in libro ejus tertio pro libero arbitrio, his omnino verbis diligenter expressum, quo tria ista, unum quod est posse, alterum quod est velle, tertium quod est esse, idest possibilitatem, voluntatem, & actionem, tanta subtilitate curavit distinguere &c. & ibidem. Nam cum tria constituat, atque distinguat, quibus Divina mandata dicit impleri, possibilitatem, voluntatem, & actionem, possibilitatem scilicet, qua potest homo esse justus, voluntatem qua vult esse justus, actionem qua justus est &c. Qua distinctione approbata, Pater noster unice damnat errorem Pelagij dogmatizantis, possibilitatem, vel potentiam volendi, & agendi esse à Deo; velle autem, & operari, non esse à Deo, sed à nobis.*

Hujusmodi discrimen inter velle, & agere, observavit P. N. cum pro disputatione cum Pelagianis, sic subtiliter distinguentibus, tum pro explicanda gratia Dei necessaria ad utrumque, quia teste S. P. Augustino, aliter Deus sua gratia facit nos velle, aliter facit nos facere. Audi S. Doctorem lib. 3. de Gratia, & libero arb. cap. 12. dicentem: *Certum est nos velle, cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo scriptum est, Deus est qui operatur in nobis & velle. Certum est nos facere, cum facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati. En aliter facit nos velle, aliter nos facere; facit velle, dando velle, & operando*

dando in nobis nostrum velle, ut docet Apostolus. Facit nos facere, non dando facere, aut operando nostrum facere, sed præbendo vires efficacissimas voluntati.

Ob id ibidem cap. 17. in eadem persistens distinctione, concursus Dei ad nostrum velle vocat Dei operantis, sed concursus ad nostrum facere dicit esse Dei cooperantis, ibi: *Vt ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur. Tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis studia nihil valeamus. Hoc discrimen Augustinianum plenè explicavit B. Ægidius in 2. dist. 26. art. 3. sed expressiùs D. Thomas 1. 2. q. 111. art. 2. in corpore, ubi velle dicit esse actum imperij, & facere esse omnem actum imperatum à voluntate, sive sit actus voluntatis, sibi imperantis, sive alterius potentia sequentis. Et tale velle à D. Thoma vocatur actus interior; sicut omnis actus imperatus, dicitur exterior. Vide dicta q. præcedente num. 52.*

At pulsat dubium, quomodo ut velimus, operatur Deus in nobis sine nobis? Nam velle, est actus vitalis nostræ voluntatis, quo vivit anima nostra; vivere est operari, quia vita est motus à se, & in se: ergo dum volumus, vivimus, & operamur. Quid operamur, nisi nostrum velle? ergo Deus illud operans in nobis, non operatur in nobis sine nobis, sed nobiscum; unde non tam

operatur, quam cooperatur, ut velimus. Pro hujus decisione ad mentem S. P. Augustini,

3 Nota tertio, quòd in doctrina Augustiniana causa efficiens non dicitur, quæ facit, sed quæ facit ex libera sui determinatione, vel quæ se determinat ad faciendum. Unde bruta, quæ non agunt ex propria determinatione, non tam agunt, quam aguntur, & idè à S. Parente non computantur inter causas efficientes. Ipsum audi lib. 5. de Civit. Dei cap. 9. disputantem contra Ciceronem, & dicentem: *Causa atque rerum, quæ facit, & non fit, Deus est. Alia verò causa & faciunt, & fiunt, sicut sunt omnes creati spiritus, & maxime rationales. Corporales autem cause, quæ magis fiunt, quam faciunt, non sunt inter causas efficientes enumeranda, quoniam hoc possunt, quod ipsi faciunt spirituum voluntates.*

Ob id S. P. probat quòd primum velle Angelorum fuit à Deo, creante eos cum amore casto, & bona voluntate, qua Deo adhærent; eò quòd Angeli, non potuerunt efficere illud primum velle, ad quod efficiendum oportebat dare aliud primum velle, & hoc est implicatoriù. Dicit sic lib. 12. de Civit. Dei cap. 9. *Nam & hoc discutiendum est, si boni Angeli ipsi in se fecerunt bonam voluntatem, utrum aliqua eam, an nulla voluntate fecerunt? Si nulla? utique non fecerunt.* (Nota causalem, quia sola causa efficit, quæ propria voluntate se determinat ad faciendù.) *Si aliqua? Vtrū bona, vel mala? si mala?*

Quomodo esse potuit mala voluntas bonae voluntatis effectrix? si bona? jam ergo habebant. Et istam quis fecerat nisi ille, qui eos cum bona voluntate, id est cum amore casto, quo illi adhaerent, creavit, simul in eis condens naturam, & largiens gratiam. Unde sine bona voluntate, hoc est sine Dei amore, numquam Sanctus Angelos fuisse, credendum est.

Hic clarè vides, quòd sola causa, quæ volens operatur, & ex propria determinatione suæ voluntatis, illa sola efficit, & inter efficientes computatur; quæ verò agit ex aliena determinatione, illa non agit, sed agitur, non facit, sed fit. Cùmque in Angelis ante primum velle bonum, nulla præcesserit volitio, qua voluerint velle bonum, & qua se determinaverint ad velle bonum; idèò Angeli non fecerunt in se illud primum velle, sed à Deo factum est; unde fuit à Deo operante in Angelis sine eis operantibus. Reliqui autem actus Angelòrum, quoniam supponebant primum velle, revera effecti sunt ab Angelis, & à Deo cooperante. Sic cessat replica facta, nam licèt vivere sit actio, & effectio, at non est effectio libera, & ex propria determinatione, quare viventia irrationalia in doctrina Augustini non computantur inter causas efficientes. Loquitur ergo S. P. Augustinus de primo nostro velle, ad quod nulla præcedit volitio nostra, qua illud velimus, unde non est à nobis efficientibus propriè, sed à solo Deo operante. Thomistæ hoc explicant dicentes, quòd illud velle primum

est à nobis elicivè, sed non applicativè. Sic dicunt de Angelo impeccabili in primo instanti.

4 Nota quartò ex proximè dictis, quòd hoc nomen voluntas non semper sumitur pro potentia volitiva, sed interdum pro actione ejus. Id Theologi observant post D. Thomam in P. Augustino, & alijs antiquis, apud quos nomen volitio non erat in usum, forsan, quia barbarum putabatur, sicut & volutum. Ob id promiscuè pro potentia, & actu, usurpatum est nomen voluntas, ut satis constat ex S. P. Augustino ubi proximè, dicens: *Qui eos cum bona voluntate, hoc est cum amore casto.*

His notatis, nostra quæstio non est de gratia inefficaci, sufficiente, aut auxilio sine quo, sed de auxilio quo, & efficaci. Nec quærimus an sit necessarium ad actus salutare; nam hæc quæstio est Theologica, nec de illa licet Philosophis agere; satis tibi constabit aliquando quid teneamus circa actus salutare, ex dictis quæstione præcedente circa actus naturales, & ex eis, quæ hic obiter insinuabimus. Supposita ergo Theologorum sententia de necessitate auxilij efficaci ad actus salutare, quærimus in quo consistat auxilium efficax? Hæc quæstio est philosophica, ut testantur quotquot ut philosophicam renuunt illam discutere in Theologia. Ceterùm quàm utilis sit pro theologicis dogmatibus, ex ipsa patebit.

Omisso errore Pelagianorum, constituentium gratiam in sola lege, & do-

doctrina; & Semipelagianòrum; admittentium quidem necessitatem gratiæ interioris, sed talis, ut daretur in præmium fidei nostræ, ex solis naturæ viribus inchoatæ, ut patet ex Epistolis Prosperi, & Hylarij ad M. P. Augustinum: solas Catholicas sententias hic referemus, & in sequentibus expendemus, ut veram Augustinianam pro tenuitate nostra proponamus.

5 Prima sententia, inter Thomistas communior, docet auxilium quo, & gratiam efficacem à S. P. Augustino propugnatam, consistere in qualitate fluida, quæ quando datur ad actus salutare, est qualitas supernaturalis. Secunda sententia aliquorum Thomistarum negat qualitatem istam, & tenet efficacem gratiam, activè sumptam, consistere in actione immanente Dei, qua causat nostrum actum; passivè autem consistere in ipso actu causato. Vide dicta q. præcedente num. 4. & 6, ubi utraque sententia explicata est.

Tertia sententia negans prædeterminationem physicam, & solum propugnans moralem, docet auxilium quo consistere in vocatione, & tractione morali ex parte finis, quæ fit medijs actibus indeliberatis intellectus, & voluntatis, ut infra amplius constabit.

Quarta, quæ est omnium ferè DD. Societatis, negans omnem gratiam ab intrinseco efficacem, docet auxilium quo consistere in concursu Dei entitativè indifferenti, sed determinato à creatura cooperante:

unde in hac sententia auxilium quo non differt entitativè, & intrinsecè ab auxilio sine quo, sed merè extrinsecè, quia redditur efficax à consensu creaturæ.

Quinta sententia est Cornelij Jansenij Iprensis Episcopi, distinguentis cum S. P. Augustino lib. de Corr. & Gratia statum naturæ innocentis, & lapsæ. Vi cujus distinctionis dicit, gratiam efficacem in statu innocentie, esse efficacem ab extrinseco, ut dicitur in quarta sententia Societatis. Sed in natura lapsa est efficax ab intrinseco, ut docent Thomistæ: ob idque Gonettus de Jansenio conqueritur; quòd læva manu disperferit lapides, quos dextera colligit, dum in statu innocentie admittat scientiã mediam, quam acriter evertit pro hominibus lapsis.

Sexta sententia est nostri Lasse tom. 4. suæ Theologiæ, & eam vocat characterem Scolæ Augustinianæ. Hæc ponit decretum efficax ab intrinseco in utroque statu, per quod ab utroque relegat scientiam mediam. Sed cùm in natura lapsa ponat auxilium quo intrinsecè efficax, ut Thomistæ; at in natura innocente non ponit hoc auxilium necessarium, sed solum auxilium sine quo. Hoc auxilium dicit fieri efficax ab extrinseco; at non efficacia sumpta à consensu creaturæ, ut docent DD. Societatis, sed efficacia supra à decreto Dei, cõnotatè sanitate arbitrij innocentis.

Nostra sententia distinguens inter velle, & facere, & ad utrum-

que exigens auxilium quo, & gratiam ethicam ab intrinseco, non absolutam, sed respectivam, dicit auxilium ad velle consistere in motione physico-morali, quæ fit per vocationem ex parte finis, & actionem Dei causantis nostrum velle. Auxilium autem requisitum ad facere, consistit in velle ipso. Antequam nostram sententiam proponamus, & probemus, oportet aliquantulum reliquas expendere ad mentem unius M. P. Augustini. Pro quo sit.

§ II.

Expenditur sententia docens gratiam efficacem consistere in qualitate fluida.

Communior sententia Thomistarum constituens efficacem gratiam per qualitatem fluidam supernaturalem, probatur à PP. Salmanticensibus ex M. P. August. libro de Gratia, & lib. arb. cap. 16. dicente: *Certum est nos servare mandata, si volumus; sed quia preparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus.* Certum est nos velle, cum volumus; sed ille facit ut velimus bonum, de quo scriptum est: *Deus est, qui operatur in nobis, & velle.* Certum est nos facere cum facimus; sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati. Ex his ultimis verbis arguunt sic.

Voluntas non potest habere

vires efficacissimas ad volendum, nisi per aliquam qualitatem intrinsecam, cum omnis virtus voluntatis ad volendum sit qualitas: Sed juxta M. P. Augustinum istas vires accipit voluntas pro priori ad suam determinationem, ut velit: ergo voluntas pro priori ad actum suum recipit gratiam, & auxilium consistens in qualitate.

Hoc confirmat Magister Sancto Thoma in Philosophia q. 25. art. 2. & q. 12. de appetitu loco motivo, ex varijs locis D. Thomæ præsertim quæst. 3. de potentia art. 7. ad 7. ubi docet, quod *id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agit, est ut intentio sola habens esse quoddam incompletum per modum que colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento.* Et 1. 2. q. 110. art. 2. dicit: *Quod istud auxilium non est qualitas, sed motus quidam animæ, quia motus moventis est in moto.* Vbi S. D. negat quidem esse qualitatem permanentem, ut sunt potentia animæ, habentes esse firmum, & ratum; sed statuit esse qualitatem fluidam, transeuntem, & vialem.

In hoc sensu explicat illa verba M. P. Augustini q. 2. ad Simplicianum dicentis: *Non disuisse Deo modum, quo mentem Esau ad credendum applicaret, voluntatemque conjungeret.* En manus gratiæ, & auxiliij, applicare, & conjungere potentiam actui: ergo nec est virtus, nec actio, sed quid medium applicans virtutem ad agendum; quod nequit esse, nisi quaedam vialis & fluida qua-

qualitas applicativa.

A ratione id probatur. Nam motio ista, & applicatio virtutis ad agendum, consistit in aliquo intrinseco, & prævio ad operationem; at hoc prævium non est ipsa operatio nostra, cum illam præcedat; nec est virtus agendi, cum potius sit applicatio virtutis: ergo est quid medium inter virtutem, & operationem, & est quid intrinsecè receptum in creatura; quod nequit esse nisi qualitas, ut patet discurrendo per omnia prædicamenta. Major probatur. Nam motio illa movet voluntatem intrinsecè, & ante operationem: ergo consistit in aliquo prævio, & intrinseco, alioquin nec intrinsecè, nec præviè moveret.

Antecedens quoad intrinsecum probatur. Quia si solum moveretur extrinsecè, maneret voluntas intrinsecè indifferens, ut antea: ergo intrinsecè indeterminata, nec posset determinatè operari; cum ab indifferenti, ut indifferenti, non possit exire aliqua determinatio. Rursus, in principio intrinsecè indifferenti non continetur actio determinata: ergo nisi voluntas intrinsecè determinetur per auxilium, nequit in actum determinatum exire. Tandem operari est elicere unum actum præ alio: sed voluntas intrinsecè indifferens ad omnes actus, non continet unum præ alio: ergo debet determinari intrinsecè à Deo, ut in actum possit exire.

Quod autem hæc determinatio debeat esse prævia, & ante ope-

rationem, patet: quia voluntas determinatur ad operandum: ergo ante operationem determinatur. Sicut quia ad operandum requiritur virtus, virtus est prævia ad operationem. Huc spectant aliæ rationes Thomisticæ, suadentes necessitatem physicæ prædeterminationis ad operandum, quæ probant etiam gratiam Dei ad actus salutes, consistere in aliquo prævio, & intrinseco. Eas vide quæst. antecedenti à num. 14. in toto illo §. 4.

Nulla sententia ex allegatis evidentius impugnatur autoritate M. P. Augustini; quam hæc de auxilio, consistente in qualitate prævia. Audi S. Doctorem lib. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 17. dicentem: *Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur, quid aliud deprecamur, nisi cognitionem, & amorem?* Ergo quia auxilium Dei non consistit in qualitate prævia ad nostros actus intellectus, & voluntatis, sed in ipsis actibus; alioquin non eos actus, sed qualitatem præviæ deprecamur, dum à Deo petimus illius adjutorium.

Rursus, tractatu 26. in Joannem dicit: *Amore, & delectatione trahuntur homines:* ergo non trahuntur qualitate illa emortua, & non vitali, sed actibus ipsis vitalibus intellectus, & voluntatis. Rursus, serm. 13. de verbis Apostoli: *ad illa verba: Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei,* quæ de gratia auxiliante ab omnibus Theologis intelliguntur, ait: *Qui aguntur à Spiritu, amore aguntur.*

aguntur. Ergo non aguntur qualitate prævia ad amorem, sed ipso amore: unde non aguntur ut nihil agant, sed ut agant, cum per amorem, quo vivunt, & agunt, agantur à spiritu agente, & movente, ut S. P. observat.

Ad idem lib. contra duas Epist. Pelagianorum ostendens, quomodo Deus transtulit cor Regis Allueri de ira in lenitatem, dicit Deum hoc fecisse, Operando in corde Regis, quid aliud, nisi voluntatem, quæ jussit, & factum est, quod Regina poposcerat. *ly voluntatem*, ut diximus num. 4. significat volitionem, & velle. Ergo non operatus est Deus qualitatem præviã ad velle, sed unicè volitionem Regis. Sic loquitur lib. de Corr. & Gratia cap. 14. explicans quomodo Deus adduxit Bellatores Israel, ut constituerent David in Regem, dicens: *Intus egit, corda tenuit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit.* Ergo non traxit eos qualitate prævia ad volitiones eorum, sed operando in eis volitiones, quibus voluerunt David Regem constituere.

Sic loquitur Gratiæ defensor, quia sic loquutus est Gratiæ Magister, & Doctor Apost. Paulus ad Philippenses 2. dicens: *Deus est qui in nobis operatur velle, & perficere;* non quid prævium ad velle, sed ipsum velle, quia hoc est motus voluntatis nostræ. Unde M. P. Augustinus lib. de Gratia, & lib. arb. cap. 22. *Agit omnipotens in cordibus ho-*

minum, etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit.

9 Eisdem verbis hoc docuit D. Thomas 1. 2. q. 110. art. 2. in corpore dicens: *Dupliciter homo ex gratuita Dei voluntate adjuvatur; uno modo in quantum anima ejus movetur ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum, & hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam anime; actus enim moventis in moto est motus.* Ad idem q. 22. de verit. art. 8. dicit quod Deus voluntatem movet ad aliquid volendum sine hoc quod aliquam formam imprimat voluntati. Ergo non imprimat illam qualitatem, quæ sine dubio est forma informans voluntatem, si imprimatur ei.

Scimus Salmanticenses, & alios, exponere D. Thomam de qualitate permanente, quam negat, non de viali, fluida, & transeunte. Ceterum cum textum habeamus expressum in D. Thoma, quem non habent contrarij, non multum curamus de eorum interpretationibus, maxime cum quæstio ista præcipue instituta sit pro mente unius Augustini exponenda. Vide Palanco in tom. de Providentia quæst. 14. ubi varias D. Thomæ autoritates adducit opportunè; opportunè & importunè redarguit solutiones, datas à Thomistis pro qualitate ista.

10 Ratione id suaderetur. Qualitas illa non est applicatio passiva voluntatis; nam sic voluntas applicatur per suum velle, & suos actus qua-

qualitas illa non est actus, sed prævia ad actum voluntatis. Rursus, non est applicatio activa voluntatis; cum talis sit actio Dei applicans; qualitas illa non est actio Dei, ut concedunt Thomistæ: ergo qualitas illa non est applicatio voluntatis, sed inutilis, ut per illam voluntas applicetur.

Dices: Non est applicatio formalis, sed causalis. Contra. Quod applicat causaliter, applicat causando actum, quo voluntas applicatur formaliter: Sed qualitas illa non causat actum, & applicationem formalem voluntatis: ergo non est applicatio causalis. Probatur minor. Si causaret, esset vel per modum principij, vel per modum actionis, vel per modum puræ applicationis. Non enim est alius modus causandi. At qualitas illa non causat per modum principij; quia se teneret ex parte actus primi, quod negant Thomistæ. Nec per modum actionis, quia illa non est actio nostra, sed præcedit actionem; nec est actio Dei, quia Deus juxta Thomistas non agit nisi per actionem secum identificatam, ut vidimus q. 16. §. 4. Nec per modum puræ applicationis: quia pura applicatio est conditio pura, non causa, ut patet in igne, cujus combustio pendens ab applicatione ignis, non est effectus applicationis. Ergo si gratia consisteret in qualitate purè applicante, opera nostra bona non essent effectus gratiæ, nec penderent à gratia, ut à causa, sed ut à mera conditione, quod est hæ-

reticum, vel ad minus parum tutum si locutiones Scripturæ, Conciliorum, & PP. observentur: ergo qualitas illa non nisi repugnanter est applicatio causalis.

Præterea, tam certum est in D. Thoma, quod solus Deus potest subjective movere voluntatem, quam quod solus Deus potest creare. Vide dicta quæst. præced. §. 6. ex D. Thoma, & B. Egidio. At nulla creatura juxta Beatos Doctores nostros potest assumi ut instrumentum creationis: ergo nulla potest adhuc instrumentaliter assumi à Deo ad movendam subjective, & efficienter voluntatem. At qualitas illa est quid creatum, & sic est creatura: ergo non potest adhuc instrumentaliter movere voluntatem. Hanc rationem latius prosequeremur, si brevitatis, quam optamus, non retraheret.

Præterea: Quia Deus movens creaturas ad operandum, se attemperat naturis rerum; res autem aliæ agunt necessariò, aliæ contingenter, idè juxta D. Thomam. *Quibusdam aptabit causas necessarias, quibusdam contingentes.* At qualitas illa Thomistica, non est causa contingens sed est forma ad unum infallibile determinata: ergo, inepta juxta Thomam ut per ipsam moveatur causa contingens, & libera. Vide in Palanco efficaces rationes, quibus suadet qualitatem istam tollere libertatem.

Dices: Hæc qualitas, licet ad unum determinata, non tollit libertatem,

tatem, quia datur tum ad actum, tum ad libertatem ejus; & hoc idem, quia descendit à Deo prima causa nostri actus, & nostræ libertatis; unde est veluti instrumentum Dei moventis ad actum liberum. Contra. Nam sine judicio indifferenti non stat libertas apud omnes. Et tamen eadem doctrina possem ego dicere, quòd judicium determinatum non tollit libertatem; quia nempe descendit à Deo, qui est causa nostri actus, & nostræ libertatis. Hoc nequit sustineri; nec tale judicium, semel libertati sit contrarium, potest descendere à Deo causa nostræ libertatis, sed à Deo causa nostræ necessitatis: ergo qualitas illa libertatis inimica, quoniam est forma ad unum determinata, non venit à Deo causa libertatis nostræ, sed à Deo necessitante, unde tollit libertatem.

11 Nec urgent fundamenta contraria, posita num. 6. Nam auctoritas adducta P. Augustini contra ipsos producentes est. Ibi S. Doctor distinguit velle, & facere, ut aliter Deus faciat nos velle, aliter nos facere. At contrarij non distinguunt, nec est eis necessarium, quia ad eos facit nos velle, dando quantitatem, facit nos facere, dando qualitatem. Imò nec eis opus est distinguere modum quo Deus applicat virtutem, à modo quo Angelos, & homines: nam equè eos applicat per qualitatem impressam; & si quæ est differentia, illa tantum est ex parte actus primi, & judicij indifferenti.

tis. Ergo dum M. P. Augustinus distinguit velle à facere, & laudat Pelagianam, subtiliter sic distinguentem, ubi supra num. 2. contra Doctores istos, aut præter eorum mentem loquutus est.

Rursus, M. P. Augustinus, ibi dicit Deum facere nos velle, dando ipsum velle, nam *ille facit ut velimus, de quo scriptum est, Deus est qui operatur, & velle.* Ergo contra mentem Augustini est, dicere Deum facere, ut velimus, dando qualitatem præviam ad nostrum velle.

Præterea. Deus juxta S. P. Augustinum facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati; sed *ly voluntati* non intelligitur de potentia volitiva, sed de actuali volitione: ergo non intelligitur de qualitate impressa potentie ad volendum, sed de gradu intensiōis amoris, addito volitioni. Probatur minor. Vires additæ voluntati potentie, essent ut voluntas vellet, non ut faceret; unde essent ad volendum, ut arguunt Thomistæ ubi supra, non ad faciendum: sed juxta textum Augustini Deus dat vires illas voluntati, non ut velimus, sed ut faciamus, ait enim: *Facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati:* ergo non loquitur de qualitate, & viribus additis potentie, sed volitioni.

Ob id docens in laudatis verbis, quas vires dat Deus; & cui docet, & auget vires, dicit. *Ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus, notandum tantum velimus, ut videas, quòd*

quòd non quodcumque velle sufficit ad facere, sed tantum, & tale hoc est in tali, vel tali intensiōis gradu. Ergo vires auctæ, non augentur voluntati potentie, sed amoti, & volitioni. De quo vide quæstione præcedente num. 64. & redibit sermo in expositione nostræ sententiæ. Hinc ad rationem Thomisticam nego minorem, quia vires, de quibus loquitur M. P. Augustinus, non dantur voluntati, ut velit, sed ut faciat; quod constat ex littera Augustiana.

12 Ad Authoritates D. Thomæ, dicimus secundam esse pro nobis, quia expressè docet motionem Dei non esse qualitatem, sed motum animæ. Motus animæ est actio ejus, non quid prævium ad actionem: ergo auxilium Dei juxta D. Thomam consistit in actibus nostris, ut à Deo movente per illos, non in aliquo prævio. Nec prima autoritas est contra nos, ut patet ex quæst. præcedente num. 4. & 36. Ibi dictum, quòd instrumenta non eleuantur media qualitate, addita virtuti in actu primo; sed instrumentalis actio intransitive elevatur à causa principali, utente actione instrumenti assumpti. Hoc & nil aliud docet D. Thomas loco citato: Unde nihil de qualitate prædeterminante. Vide dicta quæst. 11. §. 2. de modo quo instrumenta eleuantur sine receptione qualitatis &c.

Ad rationes positas num. 7. dicimus probare quòd prædeterminatio Dei, & auxilium quo, se tenent ex parte actus primi, & dant posse, aut

præcontinentiam unius præ alio. Hoc est contra mentem Thomistarum, qui renuunt ponere prædeterminationem ex parte actus primi, ne lædat libertatem, quam læderet, si ita daret posse, & constitueret actum primum. Vide dicta in quæst. præcedente num. 30. & num. 79. in fine.

Directè respōdeo, quòd Deus movet nos intrinsecè ad agendum; at non movet nos transitive per aliquod intrinsecum prævium ad nostrum agere; sed movet nos intransitive per ipsum agere nostrum. Sic voluntas movetur à fine ad volendum finem, sed non movetur, nisi intransitive per ipsam volitionem finis. Intellectus movet voluntatem ad amandum; voluntas etiam movet intellectum ad intelligendum, nec se mutuo moventes; sibi imprimunt qualitates, sed intransitive movent per ipsum actum potentie motæ. Id clarè constat in ipsa voluntate, dum ex intentione finis se movet ad eligenda media; tunc enim nullam sibi imprimi qualitatem: ergo cum magis habeat Deus in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi suas, ut docet S. P. Augustinus, & sic intimior intimio nostro; poterit sine qualitate movere voluntatem, dando ipsum velle, ut ex P. N. dictum est.

§ III.

Expenditur sententia de auxilio constituto per actionem immantem Dei.

13 S Ecunda sententia negat qualitatem præviam ad actum,

actū, & ponit gratiam efficacē, & auxilium quo in actione immanēti Dei, qua causat nostros actus. Hęc sententia probatur à Magistro Palanco ex M. P. Augustino locis datis supra num. 8. Rursus, quia dum S. P. Augustinus distinguit auxilium quo ab auxilio sine quo, semper huic contraponit operationem Divinam, qua in nobis operatur, & velle: ergo sentit, quod auxilium quo consistit activè in operatione Divina, & passivè in velle nostro, vel actu, à Deo causato. Præterè, nam M. P. Augustinus, & Theologi cum eo probant auxilium hoc efficax, ex verbis Apostoli ad Philip. 2. *Deus operatur in nobis & velle.* Sed illud testimonium non intelligitur de Deo operante nostrum velle media qualitate, sed immediatè causante nostrum velle: ergo quia auxilium quo nõ consistit in qualitate prævia, sed in Dei actione qua nostros actus causat. Probatur minor: nam eo testimonio probant Theologi contra Pelagium, & Durandum, concursum Dei immediatum in nostros actus: ergo intelligitur de actione Dei, & concursu Dei immediato.

Confirmat hoc ex D. Thoma locis datis supra num. 9. & præcipuè ex 3. cõtra gētes cap. 153. ubi ait: *Cum dicimus hominem indigere ad perseverandum sine altero auxilio gratiæ, non intelligitur quod super gratiam habituatam prius infusam, alia desuper infundatur ad perseverandum, sed intelligimus, quod habitis omnibus gratuitis, adhuc indiget homo Divina providen-*

tia auxilio exteriori gubernantis. En agit de auxilio quo, nam agit de requisito ad perseverandum ab habente auxilium sine quo, & posse per gratiam habituatam. Negat hoc auxilium esse infusum: ergo negat esse qualitatem intrinsecam, quæ sine dubio infunderetur, si daretur. Dicit autem auxilium requisitum esse extrinsecum, & Providentię exteriori gubernantis: ergo loquitur de actione Dei nobis extrinseca, qua causat in nobis perseverantiam.

A ratione id probat multis; sed cum faciant pro explodenda qualitate prævia, eas omittimus. Directè probat consistere in actione Dei; nam est causa omnis actus nostri Deus per actionem secum identificatam: ergo operatio nostra supponit actionem Dei, & Deum præoperantem: ergo prædeterminantem prædeterminatione consistente in actione Dei. At prædeterminatio est auxilium quo, & Deus per tale auxilium dicitur causa omnis actus nostri, illumque in nobis operatur: ergo &c. Vide hanc rationem quæst. præcedente num. 25. quæ videtur sumpta ex D. Thoma 3. p. q. 19. art. 1. in corp. ubi ait: *Ubi cumque sunt plura agentia subordinata, inferius movetur à superiori, sicut in homine corpus movetur ab anima, & inferiores vires à ratione: sic igitur actiones inferioris principij sunt magis operata quadam, quàm operationes. Id autem quod pertinet ad supremum principium, est propriè operatio.*

14 Hęc sententia, quatenus negat

gat qualitatem præviam, nobis infusam, est plene Augustiniana: unde si bene perpendas fundamēta quæ pro se adducit, non probant nisi hanc partem negativam. Quod asserit de actione immanente Dei, si applicetur ad actus imperatos, & secutos ad primum velle, plene aberrat à mente Augustini. Docet S. D. quod Deus facit nos facere non per actionem immanentem, qua causat nostrum facere, sed per amorem in nobis causatum, dum fecit nos velle. Vide dicta num. 11. Ergo auxilium quo ad nostrum facere, non est actio immanens Dei, nec nostrum facere ab ea causatum, sed est nostrum velle, quo volumus, & tantum volumus, ut volendo faciamus.

Præterè: Ad faciendum debemus orare Divinum auxilium. Quid ergo oramus? An ne actionem immanentem Dei, qua causat nostrum facere? Neutiquam, sed ut ait M. P. August. ubi supra, *Ab eo petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus.* Ergo auxilium quo requisitum ad facere, & ad omnes actus, secutos ad primum velle, non est actio Dei, sed ipsum velle nostrum, jam causatum à Deo in nobis sine nobis.

Vide omnes textus num. 8. adductos cõtra qualitatem præviam: omnes probant cõtra actionem Dei immanentem. Nam licet ad nostros actus sit necessarius concursus Dei immanens; at in eo non consistit auxilium quo necessarium. Patet breviter sic, Deus prædeterminavit bella-

tores Israel ad constituendum David in Regem. In quo stat hęc prædeterminatio? Anne in actione immanente, qua Deus causavit actus bellicorum, coronantium Regem? Minimè; sed in voluntatibus eorum, quas antea causavit in eis, ut vellent ipsum coronare, ut patet ex textu. Ob id dicit S. P. libro de Gratia, & lib. arb. cap. 21. *Agit omnipotens in cordibus hominum, etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit.* Ergo dum vult nos jejunaire, castos esse, &c. ejus auxilium non est actio immanens, causans nostrum jejunium, castitatem, &c. Sed amor, & motus voluntatis nostræ, à Deo causatus.

Quantum autem ad primum velle, sententia ista de actione immanente, est vera; sed diminuta. Consistit auxilium quo requisitum ad nostrum velle, in ea actione, sed non in illa nuda, ut probabimus explicando nostram sententiam, sed in illa, & vocatione morali ex parte finis. Hoc constat ex ipso S. P. Augustino tractatu 26. in Joannem, ubi docens quod *amore, & delectatione trahuntur homines*, non tantum meminit actionis Dei causantis nostrum velle, & nostrum amorem, sed præsertim explicat motionem ex parte finis exemplo ovis, cui monstratur ramus viridis, & trahitur; & pueri, cui nuces monstrantur, & trahitur. Ergo pro nostro velle non sola Dei actio requiritur, sed finalis, & moralis motio.

15 Quod patet à ratione, nam
Q 2 Deus

Deus ut causa prima, adjuvat securi-
das, & maximè ad actus supra totam
naturam: ergo cum sit causa prima
tam efficiens, quàm finalis, utroque
modo auxiliatur nobis. At per actio-
nem immanentem solum dat auxi-
lium efficienter: ergo ut auxilietur
moraliter, debet moraliter, & finali-
ter movere. Imò cum motio, & au-
xilium efficiens pendeant à consensu
negativo nostro, præstito motioni
finali, præcipua pars auxiliij requisiti
ad velle, non est actio immanens, sed
moralis vocatio. Vide dicta in quæst.
præced. num. 60. & quæ pro nostra
sententia allegata sunt.

Præterea M. P. Augustinus di-
stinguit auxilium quo ab auxilio sine
quo in lib. de Corr. & Gratia, cap.
12. & ibi negat Adamum inno-
centem indignuisse eo adjutorio quo
ad perseverandum, dicens: *Ille* (idest
Adamus) *non opus habebat eo adjuto-
rio, quod implorant Sancti, cum dicunt,
video aliam legem in membris meis &c.*
Sed si auxiliū quo consisteret in actio-
ne immanente Dei, eo auxilio indi-
guisset Adamus innocens; cum nulla
possit esse actio creaturæ innocētis,
aut lapsæ, quæ nõ sit effectus actio-
nis immanentis Dei: ergo juxta S. P.
Augustinum, eo præsertim loco ubi
distinguit auxilia, auxilium quo non
consistit in actione immanente Dei.

Rursum, juxta N. P. Augustinum
auxilium Dei, & ejus gratia efficax
non est absoluta, sed respectiva; ut
patet in gratia, quam habuit D. Pe-
trus, dum promissit se mori pro
Christo; hæc enim nulla adstante

tentatione fuit efficax, sed adveniēte
tentatione in atrio Pontificis, fuit
inefficax. Sed si consisteret in actio-
ne Dei immanente, illa esset efficax
absolutè, & tam fortis in conspectu
tentationis, quàm extra: ergo gratia
juxta P. Augustinum non consistit in
actione Dei. Vide S. P. lib. de Gra-
tia & lib. arb. cap. 17.

Et urgetur. Nam juxta S. P.
& communem Ecclesiæ doctrinam,
urgente majori tentatione, debemus
orare, & petere majorem gratiam; &
quòd Deus liberet nos à majori ten-
tatione, est majus beneficium, pro
quo debentur majores gratificatio-
nes: ex parte etiam nostri est major
victoria, cui correspondet majus præ-
mium. At nil horum stat in sola
actione immanenti Dei, quæ relatè
ad quamcumque tentationem est ea-
dem, nec major, aut efficacior nunc
quàm antea: ergo idem.

16. Tandem juxta M. P. Angu-
stinum 4. de Trin. cap. 12. Diabolus
tentat homines, ut peccent, per hoc
quòd *sua societati malignos affectus
inspirat.* Cui consonat Ven. Beda su-
per acta Apost. cap. 6. dicens: *Dia-
bolum animam in affectum malignum
trahere.* Sed expressiùs modum ten-
tandi expressit S. P. August. lib. 83.
quæst. dicens, eum tentare, *Quatenus
serpit hoc malum per omnes aditus sen-
sibiles, dat se figuris, accomodat se co-
loribus, adheret sonis, infundit se sapa-
ribus.* Sed si gratia consisteret in
actione immanente Dei, frustra, &
stultè tentaret nos, & si quem pos-
set, & deberet tentare, Deum debe-
ret

ret tentare, non nos: ergo cum hoc
sit absurdum, tenendum non est gra-
tiam consistere in actione immanen-
te Dei.

Probatur hæc minor. Nam in
sententia, quam impugnamus, tentet
Diabolus quantum potest, si tamen
adest nobis actio Dei, causans no-
strum velle, & nostrum facere, nil
obtinere tentatio. E contra sistat Dia-
bolus à tentatione, deficiat tamen
actio Dei pro nostris meritis, aut sit
actio Dei ad actus peccaminosos; se-
quitur ex primo infallibilitè pecca-
tum omissionis, & ex secundo pecca-
tum commissionis. Ergo Diabolus
tentans nos, & non Deum, stultus
est, nec aliquid sua tentatione ob-
tinet. Utinam ita accideret!

Accedit D. Thomas quodlib.
1. q. 1. ad 1. dicens: *Quòd virtus
rationalis se habet ad opposita: & ideo
sic Deus movet mentem humanam, ad
bonum, quòd potest huic motioni resiste-
re.* At Deus movet nos ad bonum
per gratiam efficacem, nec actioni
immanenti Dei possumus resistere, si-
cut nec Divine voluntati: ergo gra-
tia efficax non consistit in actione
immanente Dei juxta D. Thomam.
Vide S. Doctorem quæst. 6. de veri-
tate art. 3. in corpore, ubi certitudi-
nem, & efficaciam Prædestinationis,
non collocat in unico auxilio, sed in
multis adminiculis, ibi ait: *In eo quem
Deus prædestinat, tot alia adminicula
præparat, quòd vel non cadat, vel si
cadit, resurgat.* Sed actio Dei omni-
potentis non eget his adminiculis: er-
go in ea non consistit juxta D. Tho-

mam gratia efficax, quæ datur præ-
destinatis.

17. Adfunt contra sententiam
istam rationes urgentes. Prima, quia
aliter est effectus Dei vocatio Pauli,
ac proditio Judæ, ut contra Luthe-
ranos blasphemantes, & facientes
Deum authorem peccati, definit Cõ-
cilium Tridentinum: sed si auxilium
quo unicè consistit in actione imma-
nenti, qua causat nostros actus, non
stat alienas inter meritum, & actum
peccati: ergo &c. Probatur minor,
quia tam effectus actionis Dei est
actus proditionis Judæ, quàm meri-
tum Pauli, maximè juxta admittentes
prædeterminationem ad materiale
peccati: ergo si purè consistit auxi-
lium in actione immanenti Dei &c.

Secunda. Auxilium sine quo, &
dans posse, non est actio Dei imma-
nens, nobis extrinseca, sed effectus
actionis, nempe aliquid creatum
supernaturale infusum in anima: er-
go auxilium quo, dans actu operari,
non est mera actio Dei immanens,
nobis extrinseca, sed quid creatum
intrinsicum. Patet consequentia: pri-
mò, quia si P. Augustinus distinguens
adjutoria, putaret quòd auxilium
quo est plene extrinsecum, clarè do-
cuisset discrimen dicens, unum esse
intrinsicum, aliud extrinsecum. At
hujus discriminis nec verbum habet
lib. de Corr. & Gratia cap. 12. ubi
utrumque auxilium contradistinguit:
ergo sentit, quòd sicut auxilium sine
quo est quid intrinsicum; ita auxi-
lium quo. Secundò, nam non minus
gratia efficax est creata, quàm inef-
ficax,

ficax, & utraque est effectus gratiæ incréata Dei: ergo sicut auxilium *sine quo*, non est actio immanens &c. Tertiò. Per gratiam purè extrinsecam nequit constitui creatura intrinsecè potens, nec intrinsecè operans: ergo sicut auxilium *sine quo* dans posse, nequit esse actio immanens, ita nec auxilium *quo* dans agere, potest consistere in pura actione immanenti.

Dices, totum esse verum, sed non contra hos Doctores, qui docent tale auxilium *passivè* sumptum, consistere in ipso velle, nobis intrinsecò: quare non negant omne intrinsecum, sed unicè qualitatem præviã intrinsecam, ut dictum est §. 2. Contra: nã hoc velle nequit esse auxilium *quo* requisitum ad velle: ergo vel debes dare aliud intrinsecum, vel purè das auxilium *quo* extrinsecum ad velle. Probarur antecedens. Velle nostrum est effectus gratiæ efficacis, & auxilium *quo*, dati ad velle: sed nostrum velle nequit esse effectus sui ipsius: ergo nostrum velle nequit esse auxilium *quo*, requisitum ad velle.

Ob hæc nostra sententia infra explicanda, quæ negat qualitatem præviã ad nostrum velle, & admittit actionem immanentem Dei esse causam effectivam immediatè nostri velle: non tenet quòd auxilium *quo* unicè consistit in actione immanente; nobis extrinseca, sed in aliquo etiam intrinsecò, quod non est qualitas, supra impugnata; sed sunt illi actus indeliberati intelle-

ctus, quibus Deus ostendit nobis suam bonitatè, finaliter moventè; & voluntatis, indeliberatè delectatè in bonitate proposita. His actibus tangitur; & si eis non resistat, tunc actio Dei immanens causat in nobis primum velle. Sic docet S. P. August. lib. 2. de Peccatorum meritis, & remiss. cap. 17. dicens: *Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum est, sive quia non delectat.* Et infra: *ignorantia enim, & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum bonum.* Intellige etiam ad volendum facere bonum. Et infra: *Vt enim innotescat quod latebat* (en actus intellectus) *& suave fiat quod non delectabat* (en actus indeliberatus voluntatis) *gratiæ Dei est* (intellige actualem, & initiativè efficacem) *quæ hominum adjuvat voluntatem.* Vide S. D. lib. 1. ad Simplicianum q. 2. prope finem.

18. Nec contra doctrinam nostram urgent fundamèta posita num. 13. Nam authoritates P. Augustini allegatæ suadent oppositum, ut dictum est. Nec quando M. P. Augustinus contraponit auxilium *quo* auxilio *sine quo*, unicè contraponit actionem Divinam, sed effectum actionis Divinæ, & omnia, quæ præcedunt influxum actionis Divinæ in nostrum velle. Vt enim actio Dei causet nostrum velle, debet primò voluntas vocari, & moveri moraliter per actus indeliberatos intellectus, & voluntatis. Non enim facit Deus nos velle objectum incognitum, & latens, nec objectum non suavè, aut non delectans;

ctans; quia primum est impossibile, & secundum repugnat libertati. Ergo ante influxum actionis Dei in nostrum velle, jam *innotescit quod latebat, & suave fit quod non delectabat.* En adminicula, quibus juxta D. Thomam num. 16. allegatum, motus Dei, & auxilium fit efficax per actus indeliberatos intellectus, & voluntatis præcedentes nostrum velle, & trahentes voluntatem, ut sinat se moveri ab objecto trahente. Quò factò, actio Dei consummat opus, efficiens nostrum velle.

Ad authoritatem D. Thomæ, dic eam satis excludere qualitatem præviã ad nostrum velle, quæ est gratia infusa, & forma licèt vialis, animæ impressa juxta suos Doctores. At non excludit omne intrinsecum, nec unicè exprimit actionem intrinsecam. Imò non dicit D. Thomas quòd habens gratiam habitualem indiget sola externa gubernatione Providentiæ, sed quòd indiget auxilio providentiæ exterius gubernantis. Atqui Providentiã Dei petit ante influxum actionis ejus in nostrum velle, ea adminicula nuper explicata: ergo eis indiget homo, & sic non sola actione Dei extrinseca. Nec ista adminicula sunt gratia infusa juxta phrasim D. Thomæ, quia sunt actus vitales intellectus, & voluntatis, licèt indeliberati; & hi non infunduntur, sed ad eos se habet activè, & elicitivè anima nostra.

Ad rationem dicimus, quòd Deus per actionem immanentem est causa efficiens nostri velle; quare vel-

le nostrum non est purè operatio, sed relatè ad Deum est effectus, & quoddam operatum, ut ibi docet D. Thomas. At quoniam Deus non solum est causa efficiens nostri velle, sed finalis; & per actionem immanentem solum causet efficienter; idè ut causet etiam finaliter, illuminat mentem, & afflat voluntatem: ergo prædeterminatio, & auxilium *quo*, nota consistunt unicè in actione Dei; sed in ea, & illuminatione afflatu, jam explicatis. Quare non est purè extrinsecum auxilium Dei *activè* sumptum, sed partim intrinsecum; imò pars ista intrinseca est initium efficacis gratiæ; & vocationis, à quo dependet influxus actionis Dei, qui non datur, nisi voluntas consentiat motioni morali, ut dictum est quest. præcedente num. 60. de quo iterum infra, in fine quæstionis, vide ad §. IV.

§. IV.

Expenditur sententia de auxilio *quo*, movente solum moraliter.

19. HÆC sententia, ut bene Araujo Dominicanus 1. 2. q. 111. art. 5. dub. 6. ubi illam mordicus defendit, non negat quòd auxilium *quo*, vel gratia efficax distincta à sufficienti, sit entitativè quid physicum; admittit enim sanctas inspirationes, & illuminationes, quæ sunt actus indeliberati intellectus, & voluntatis; & sic quid entitativè physicum; & physicè à Deo in nobis causatum. Docet tamen quòd hoc phy-

physicum non movet physicè, & efficienter voluntatem nostram, sed solum moraliter, & finaliter, invitando, suadendo, alliciendo, & unicè ex parte finis vocando. Quare auxilium quo, & efficacia gratiæ consistit in hac sententia in sola vocatione, tractione, & morali illicientia, qua Deus summum bonum per se, vel per bonitatem creatam, vocat nos, trahit ad se, allicitque ad suum amorem, & ad actus sequentes ad amorem Dei in se.

Hæc sententia, quam expressè tradit Joannes Driedo lib. de Concordia liberi arbitrij 2. p. cap. 3. & si credimus prælaudato Magistro, fuit omnium antiquorum, cui assentitur N. Villanova in Philosophia, citans pro ea plures ex nostris, videtur probari expressè ex Sacris litteris, quibus efficacia gratiæ reducitur vel ad solam vocationem, vel ad illuminationem, & inspirationem: quæ omnia nil amplius suadent, quam moralem motionem.

Apostolus ad Rom. 8. dicit: *Quos vocavit, hos & justificavit.* En auxilium quo inducens ad justificationem, est in sola vocatione. Apoc. 3. dicitur: *Sto ad ostium, & pulso.* Joann. 13. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Quod versans M. P. Augustinus tractu 26. in Joannem, unicè exponit de finali, & morali motione. Joann. 6. *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* En sola illuminatione. Hieremix 31. *Postquam ostendisti mihi, percussisti semper meum.*

Psal. 93. *Beatus, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Osee 2. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Hæc omnia vocationem, tractionem, illuminationem, inspirationem, & alia similiter innuunt, quæ non physicam movent, di virtutem, sed moralem insinuant. Ergo auxilium quo juxta Scripturas consistit in sola morali motione.

20. Quantum ad mentem S. P. Augustini, ferè non est dubium, cum ipse S. Doctor lib. de Prædest. Sanctorum cap. 4. moneat fratres suos, & nos omnes, ut si verum sensum doctrinæ ejus, & quid senserit noscere cupiamus, videamus quid scripserit lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. atqui in dicta quæstione, totam efficaciam gratiæ ponit in vocatione sancta, nec alterius meminit, licet plura Scripturæ loca opportunissimè adducat: ergo secundum veritatem Scripturarum, teste S. P. Augustino, dicendum est, auxilium consistere in sola vocatione, & motione morali. Minor probatur ab Araujo integra quæstione ad Simplicianum transcripta, quam non licet hic iterum à nobis transcribi. Aliqua tantum adducemus fragmenta.

Ibi S. P. dicit: *Non igitur idè dictum esse putandum est, non volentis, neque currentis sed miserentis est Dei, quia nisi ejus adjutorio non possumus adipisci quod volumus, sed idè potius, quia nisi ejus vocatione non volumus. Sed si vocatio ista est effectrix bonæ voluntatis, ut omnis ea vocatus sequatur, quomodo verum erit multi vocati, pau-*

et electi? En vocatio juxta M. P. Augustinum est causa effectrix bonæ voluntatis nostræ, hoc est nostri boni velle: at auxilium quo, est causa nostri velle, & est quo Deus facit nos velle: ergo auxilium quo juxta S. Parentem consistit in vocatione, unde non physicè, sed moraliter movet.

Et confirmatur. Nam quia vocatio ista non est irresistibilis, idè multi vocati non sequuntur eam; & de illis dictum est, *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Quod S. Parens intendit conciliare cum certitudine, & infallibilitate prædeterminationis. Sed sola motio moralis est fallibilis, & resistibilis, motio autem physica infallibilis, & infrustrabilis, atque idè cum motione physica nulla est difficultas conciliandi infallibilitatem prædeterminationis: ergo S. P. Augustinus hanc difficultatem hic versans, sentit auxilium quo movere moraliter, & resistibiliter, non physicè, & irresistibiliter.

Confirmatur 2. Quia M. P. Augustinus ibi docet, illos infallibiliter sequi vocationem, qui congruenter vocantur, secus qui incongruenter; unde concludit; *Nullius Deus frustra miseretur: cujus autem Deus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantè non respuat.* Ergo efficacia gratiæ nõ est physica, & absoluta, sed moralis, & respectiva, ut respectu unius hominis sit efficax, respectu alterius inefficax, & incongrua: unde ut infallibiliter quis vocetur, pendet hoc à Scientia Dei vi-

dentis congruitatem vocationis cum hoc subjecto vocato. *Sic vocat* (ait S. Parens) *quomodo scit ei congruere.*

Confirmatur 3. ex S. P. dicente ibi. *Cum ergo alius sic, alius sic moveatur ad fidem, eademque res alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat; quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esai ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Iacob justificatus est?* En sermo de auxilio quo efficaci applicativo mentis, & voluntatis ad fidem justificantem. Sed in quo consistit? certè in eo, quod res speciali, & opportuno modo dicta moveat, & congrua sit subjecto, cui dicitur. At res dictæ movent solum moraliter: ergo efficacia gratiæ est purè moralis juxta S. P. & est respectiva, cum una, & eadem res sic dicta unum moveat, alium non moveat.

Confirmatur 4. Quia hæc, & in fine quæstionis concludit Deum Omnipotentem posse quamcumque creaturam convertere, quia non deficit Omnipotenti modus congruus vocandi, ibi: *Quis etiam dicat, modum quo ei persuaderetur, defuisse Omnipotenti?* Ergo cum S. Parens non recurrat pro emolliendis induratis ad motiones physicas irresistibiles, sed ad modos congruos vocandi possibili Omnipotenti, sentit expressè efficaciam gratiæ non esse physicam, & absolutam, sed moralem, & respectivam.

21. Ob id libro 1. contra duas
R
episto.

epistolas Pelagianorum cap. 19. dicit: *Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari.* Si enim efficacia gratiæ esset physica, & absoluta, non traheretur homo miris modis, sed unico Thomistico, nempe vel qualitate prævia homini infusa, vel actione immanente Dei causante in homine velle, & operari. Sic etiam loquitur lib. de Spiritu, & litt. cap. 34. dicens: *Iam si ad illam profunditatem scrutandam quisque nos coarctat, cur illi ita suadeat, ut persuadeat, illi autem non ita &c.* En efficacia gratiæ consistit in vocatione persuadente. At suadere, & persuadere, est moraliter, non physicè movere: ergo auxilium quo juxta S. P. consistit in motione morali.

Id ipsum docet S. Pater tractatu 26. in Ioan. ad illa verba Christi Domini, *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Vbi exemplo pueri tracti nucibus demonstratis, & ovis tractæ à ramo viridi ostenso, docet sic nos trahi ad Christum ostensione bonitatis ejus, & veritatis, qua fortius nihil anima desiderat. Ibi solvit quomodo tractio ista stat cum libertate, imò cum voluntate. De quo vide dicta quæst. præcedente num. 7.

Confirmatur ex D. Thoma quæst. 1. de potentia art. 2. ubi ait. *A Deo moventur quedam efficacius, quedam minus efficaciter.* Et ut videas in quo stat efficacia, quæ ex textu adducta constat non esse absolutam, sed respectivam, & gradualiter ma-

jorem, aut minorem, dicit sic in 4. sent. dist. 17. q. 1. art. 1. *Vocatio quedam interior est, & hæc quandoque quidam non pergit ad finem suum ex vocati defectu.* En efficacia motionis in vocatione, quæ quoniam est respectiva, & congrua huic, non alteri, idè interdum ex vocati defectu redditur inefficax. Hæc, & non alia est Augustini doctrina. Ob id Cayetanus 1. p. q. 19. art. 8. vocat illam moralem; & pro eadem sententia citat Arado Conradum, Alvarez, Albeldam, & alios.

22 A ratione suadet. Quia Tridentinum docet de hoc auxilio non tollere libertatem, contra Lutheranos, eò quòd homo potest illi dissentire si velit, & juxta Concilium Senonense possumus resistere Divinis inspirationibus. At dissensus propriè convenit motioni morali suadenti resistenti inspirationibus moraliter trahentibus; motioni autem physicæ nec possumus resistere, aut dissentire, nec dissensus, aut resistenti ex vocis proprietate ei adaptatur: ergo docent Concilia auxilium quo esse purè morale.

Secundò. Nam si efficacia gratiæ esset physica, frustra Deus moveret, vocaret, illuminaret, inspiraret, & cetera hujusmodi. Probatur sequela. Nam his positis, si non adit auxilium quo physicum, nihil Deus obinet. Si tamen det auxilium physicum ad velle, etiam si alia de sint, sequitur velle infallibiliter: ergo ad nihil deserviant illa quæ motionem moralem constituunt.

Tertiò

Tertiò. Sequeretur, quòd conversio majoris peccatoris non peteret plura, & majora auxilia, quàm conversio minus peccantis. Hoc esse falsum testantur Scripturæ, & experientie. Sequela probatur. Nam posito auxilio physico in quocumque magis, vel minus implicito peccantis, æqua infallibiliter sequitur conversio: ergo conversio majoris peccatoris, non peteret &c.

Quartò. Deus pulsans ostium animæ per motiones morales, si eis non posset convertere nos absque auxilio physico, fictitiè pulsaret, & fraudulenter. Nam absque collatione auxilij physici non possumus aperire: ergo si ille qui tale auxilium habet in manu, non dat illud, & pulsat ostium, perinde est, ac si quis habens clavem portæ clausæ, qua sola aperiri potest, pulsaret, nec daret clavem. Hoc indignum est credere de Deo.

Quintò. Deus movet creaturas juxta earum naturam: sed natura hominis est moveri per apprehensionem; sicut natura lapidis est moveri per impulsus: ergo licet Deus lapides, & insensibilia moveat qualitate impellente, creaturas rationales non sic, sed apprehensione bonitatis attrahente. Hæc autem est sola motio moralis, non physica.

23 Hæc sententia ex parte vera, quoniam motionem moralem dicit necessariam; ut negat necessariam motionem physicam, & physicam Dei efficientiam, nec vera, nec Augustiniana est. Fatemur in Scripturis

Sanctis sæpè commendari motionem moralem; at ibi etiam astruitur physica, ut inde videas auxilium quo, & gratiam efficacem non esse purè physicam, nec purè moralem, sed Physico-moralem, ut infra dicemus. En textus pro motione physica. Ezechielis 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in justificationibus meis ambuletis.* Nota ly *faciam*, quod sine dubio dicit efficientiam, & non suasionem, aut allicientiam. Isaia 51. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* En iterum efficientiam. *Operatus es in nobis.* Ad Philip. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere.* Quibus sæpè utitur S. P. Augustinus, ut influxum Dei in nostra opera, præsertim meritoria, quæ sunt efficienter à gratia efficaci, probet contra Pelagianos.

Sic etiam de Gratia Dei loquitur sæpè S. Pater, ut in lib. de Gratia & libero arb. cap. 21. *Agit Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum.* Et ibi cap. 16. *facit ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati.* Et 3. lib. de Gratia, & lib. arb. cap. 17. *Vt ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur. Tamen sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis studia nihil valemus.* Ergo sine gratia physicè operante, & movente physicè, nihil possumus teste P. N. quare gratia solum movens moraliter, inutilis est, & ex se inefficax.

Confirmatur urgentissimè ex

Parente nostro, qui lib. i. operis ultimi contra Pelagianos, testatur Pelagium admisisse motiones, & gratiam moraliter moventem. Dicit sic cap. 95. nomine, & verbis Pelagij. *Quod bonæ voluntati innumeras adiutorij Divini adesse species, non denegamus.* Eas amplius explicat lib. de Gratia Christi cap. 7. ubi ait: *Adjuvat nos per doctrinam, & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, ne presentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi, & inefabili dono gratiæ Cælestis illuminat.* En Pelagius gratiam moraliter moventem talibus depinxit coloribus, ut à nemine melius possit describi.

Sed audi S. Parentem, eam ut insufficientem exprobrantem, ibi: cap. 24. dicit: *Intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrina insonante forinsecus, sed interna, atque occultata, mirabili, atque inefabili potestate, operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates. Intellige volitiones.* En Deus operatur non solum veras revelationes, quod potest ad moralem motionem applicari, sed etiam agit nostros actus voluntatis. Et hoc agit in cordibus mirabili potestate, nempe Omnipotentia, quæ est mirabilis virtus Dei effectiva. Sentit ergo S. Pater quod motio moralis sine physica est insufficientis: & eam tantum cum Pelagio concedens, non recedit ab ejus errore de gratia consistente in sola lege, & doctrina;

24. Confirmatur egregio S. P.

testimonio lib. de Gratia Christi cap. 45. ubi cum retulisset verba S. Ambrosij dicentis. *Quos Iesus respicit, plorant delictum.* Ut accidit, D. Petrus negante, & postea flente. Dicit sic P. N. *Legant isti Evangelium, & videant. Dominum Iesum tunc intus fuisse, cum à Sacerdotibus, & Principibus audiretur: Apostolum verò Petrum foris, & deorsum in atrio cum servis ad focum, nunc sedentem, nunc stantem, sicut verissima, & concordissima Evangelistarum narratione monstratur. Unde non potest dici quod corporalibus oculis cum Dominus visibiliter admonedo respexerit. Et ideo quod ibi scriptum est. Respexit eum Dominus, intus actum est, in mente actum est, in voluntate actum est. Misericordia Dominus latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiori gratia sua visitavit Petrum, interioris hominis usque ad lacrimas movit, & produxit affectum.*

Nota hic *ly actum est in mente, actum in corde, & quod gratia interioris hominis movit, & produxit affectum;* ut videas efficientiam gratiæ: sed quoniam non sola efficientia fuit, sed moralis etiam motio, dicit quod Deus *cor tetigit, memoriam revocavit;* per inspirationes, & illustrationes verborum, quæ Petro dixit in Cæna. Sentit ergo P. N. gratiæ efficaciam non esse purè moralem, nec tantum physicam, sed mixtam, & physico-moralem.

25. Nec favet D. Thomas gratiæ purè morali. Nam 1. p. quest. 106. art. 2. quærit utrum Angelus moveat voluntatem alterius? concedit

de motione morali, & negat de physica, quam dicit esse propriam Dei. & 1. p. q. 111. art. 2. quærit, An Angeli possint immutare voluntatem hominis? Et concludit articulum dicens, quod *solus Deus potest movere voluntatem efficaciter* (hoc est efficienter, & physice) *Angelus autem, & homo per modum suadentis*: id est moraliter. Rursus, q. 22. de veritate art. 9. quærit, Vtrum creatura possit immutare voluntatem, & imprimere in ipsam? Respondet distinguendo duplicem immutationem, unam ab objecto, alteram *ab aliquo per modum causæ efficientis.* Et concludit quod solus Deus potest efficienter immutare voluntatem, nam solus Deus est causa efficiens voluntatis.

Et quidem S. Doctor non solum tenuit ubique Deum movere physice voluntatem, sed varijs terminis explicuit munera motionis physice, contradistinctæ à morali. 1. quia per illam Deus non solum est causa disponens, sed perficiens. 2. Quia per illam immutatur voluntas per modum causæ efficientis. 3. Quia per illam directè immutatur voluntas. 4. Quia non est motio tantum ex parte objecti, sed ex parte potentie. 5. Quia non est motio tantum extrinseca, sed intra voluntatem. 6. Quia est motio, qua nullus Angelus, etiam superior, movere potest. 7. Quia est motio, qua voluntatem potest transferre de uno in aliud. 8. Quia est motio, quæ non est inferior ad virtutem, quæ dedit vim volendi. Vide Dominicanum Mausolie tomo 1. de

Motione Divina disert. 1. q. 7. art. 4. ubi loca D. Thomæ invenies, quibus tradit discrimina hinc allegata motionis physice à morali. Accedit ratio efficax. Deus est causa nostri meriti non solum indirecta, sed directa & per se talis; sed si solum moveret moraliter, solum esset causa indirecta nostri meriti; ergo ut sit directa, debet movere physico-moraliter. Probatur minor. Quia Diabolus movet ad peccatum moraliter tantum, & per modum suadentis, ideo non est per se, & directè causa nostri peccati, ut docet & probat D. Thomas 1. 2. q. 80. art. 1. quod etiam docuit q. 79. art. 1. ergo si Deus moveret solum moraliter ad meritum nostrum &c.

Confirmatur. Deus est causa nostri meriti non solum moralis, sed physica: ergo cum titulo causæ primæ moveat, movet sub utraque ratione causæ efficientis, & moralis; sed per motionem purè moralem non explicat nisi munus primæ causæ finalis: ergo ut moveat sub munere efficientis, debet etiam movere physice, & efficienter.

26. Nec urgent fundamenta contraria, posita num. 19. Nam licet inter ceteris purè fiat mentio motionis moralis, in alijs quàm multis exprimitur motio physica, & effectiva, ut patet ex num. 23. Apostolus ad Rom. 8. post vocationem ponit justificationem, quia utitur compendiosa brevitate, plura silens, quæ præcedunt justificationem, ut sunt actus prænitentis, disponentes ad gratiam,

ad quos non sola vocatio moralis, sed physica, & effectiva motio præcedit, cum nullus sit actus noster, qui non sit effectus Dei immediate efficientis, ut contra Durandum dictum est q. 16. ergo sub nomine vocationis intelligenda est non sola motio moralis, sed physica, & effectiva.

Ad ea quæ dicuntur num. 20. dicimus Parentem Augustinum monere nos bene perpendere quid scripserit lib. 1. ad Simplicianum q. 2. ut ejus mentem percipiamus. At in qua materia? ipse S. Parens se exponit ibi, & lib. 1. Retractationum cap. 23. se loqui tantum de initio fidei nostræ, non de omni gratia requisita ad fidem, & alia opera salutaria. Tenuit S. P. recenter conversus, & in Sacris litteris parum versatus, fidem esse ex nobis. Sic dixit supra Epist. ad Rom. Eo testimonio Semipelagiani protegebantur, ut initium fidei tribuerent homini ex viribus naturæ. Ut ergo doceat oppositum, & quid sentiat, demonstret; eos, & nos remittit ad prælaudatam quæstionem libri 1. ad Simplicianum, quæ tota est de initio fidei nostræ, nempe de vocatione ad fidem, ostendens eam esse à Deo, non à nobis. Vnde concludit sic.

Quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est aliqua verum testificatione tangatur? Quis habet in potestate sua tali viso attingit mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? aut quis habet potestatem, ut vel occurrat quod cum delectare possit, vel delectet cum occur-

rerit? Cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc, & perhibetur gratia Dei, non nutu nostro, & industria, aut operum meritis comparatur: quia ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studij, ut sint opera charitate ferventia, ille tribuit, ille largitur, id est Deus.

En S. P. tota illa quæstione non disputat de omni gratia requisita ad fidem, sed de initio fidei, vel de gratia requisita ad initium, quæ est sola vocatio congrua, quam non respuit vocatus ad fidem: ergo quicumque non agnoscunt aliam gratiam pro totali fide, quam istam, quæ unice deservit ad initium, manifestè hallucinantur. Restat ergo quòd ex prælaudata Augustini quæstione non potest dignosci mens ejus, circa plenum, & adæquatam gratiæ efficacis constitutum, sed circa inadæquatam, nempe circa initium gratiæ, quæ incipit à vocatione, & motione morali, ut dicemus infra, & tenuimus quæst. præcedente num. 53.

Hinc patet omnia ex P. Augustino allegata nil probare, nisi quòd motio moralis, & vocatio requiritur; & hoc ut verissimum fatemur. Sed quòd in ea sola stet gratia totalis, requisita ad fidem, & meritum; hoc negamus, nec apparenter inde probatur. Quædam tamen observanda sunt pro intelligentia doctrinæ Augustinianæ, quæ tangam breviter.

27 Dicit S. P. in prima auctoritate, quòd *vocatio est effectrix bonæ voluntatis*. Vel quia objectum propositum voluntati, eam vocans, con-

currit effectivè cum potentia volitiva ad suos actus, ut defensivimus de mente M. P. Augustini, D. Thomæ, & B. Ægidij quæst. 1. 2. §. 2. vel quia disponit voluntatem, ut consentiat negativè, & ex isto consensu sequitur influxus Dei in nostrum velle, qui est effectivus bonæ voluntatis, ut diximus ex B. Ægidio quæst. præcedente num. 60. Ipsa autem vocatio, nisi uno ex modis dictis, non est effectrix nostri velle, sed unice causans moraliter alliciendo, & trahendo.

Ad 1. confirmationem dictum esse verum, sed præter rem. Quia cum S. P. Augustinus non loquatur de completo auxilio ad fidem, sed de incompleto, & initiativo, requisito ad initium fidei, hoc est tantum morale, & resistibile. Ob id solvit difficultatem conciliandi hoc eum infallibilitate prædeterminationis. Si tamen loqueretur de completo auxilio quo, non adesset illa difficultas, cum hoc sit infrustrabile, & teste S. P. Augustino à nullo duro eorde respuitur. Idem dic ad 2. confirmationem, in qua est sermo de auxilio tantum initiativo, & hoc solum est efficax, quando est congruum.

Ad 3. dic. ibi esse sermonem de auxilio quo incompleto, & initiativo, & hoc movet tantum moraliter. Completur autem per motionem physicam, quando voluntas vocationi consentit negativè, ut dictum est. Ad 4. dic. Deum esse Omnipotentem, quia potest quemcumque convertere, & liberè convertere. Ut liberè quis cõ-

vertatur, debet vocari, & consentire liberè vocationi. Ergo licet Deus sit efficacitatis infinitæ, si tamen non haberet intra Omnipotentiam modum vocandi, cui creatura consentiret, non converteret illam liberè, & volentem, sed renuentem, & dissentientem. Quare ut ostendatur Omnipotens ad liberè convertendum, non tam recurrit S. P. Augustinus ad efficaciam effectivam, quam ad moralem vocandi congruenter.

Ad auctoritates adductas num. 21. dic. eas procedere contra constituentes auxilium quo in sola motione effectiva, qualitatis fluidæ, aut actionis Dei extrinsecæ, secus contra nos, qui prædeterminationem constituimus ex morali, & physico. De mente D. Thomæ constat ex dictis num. 25. Nec ea, quæ hic objecta sunt suadent, nisi quòd vocatio est respectiva, aliquando efficacior, aliquando impedibilis à vocato: Unde de ejus efficacia est solum moralis. Ceterum in ea sola non stat auxilium quo, ut dictum est.

28 Ad rationes positas num. 22. omisa solutione Thomistarum RR. respondemus ex nostris principijs, quòd homo potest resistere, dissentire reque Deo vocanti, excitanti, & inspiranti, nec se habet merè passivè ejus inspirationem recipiens, quippe qui illam abijcere potest, ut ait Trident. sess. 6. can. 5. & 4. contra Lutheranos. Et quia sic resistens, impedit se, ne Deus illam moveat physicè; ideo potest resistere etiam motioni physicæ quoad esse, non quoad operari. Vnde

de quæst. præcedente num. 85. Hæc resistentia benè vocatur *dissensus*, quia est orta ex resistentia Divinæ vocationis, & hæc propriè vocatur *dissensus*.

Ad 2. rationem dic, non frustra poni motiones morales ante physicam, & dependenter istam ab illis; deserviunt ut voluntariè moveatur physicè, & ut delectabiliter, & non coactè moveatur. Ob id P. Augustinus vocat gratiam istam *vittricem delectationem*, nam componitur ex morali delectante, & trahente, & ex physico vincente. Si autem Deus unicè moveret physicè, nos moveret infensibilium modo, non rationali, & libero. Vide quintam rationem, quæ solvit hanc secundam; sicut secunda quintam.

Ad 3. dic, probare contra Thomistas RR. qui non ponunt motionem physicam, dependentem à consensu nostro, præstito motioni morali. At nos, qui eam ponimus dependentem, dicimus, quod major peccator indiget majoribus auxilijs; nam cum non possit moveri physicè, nisi consentiat motioni morali, ut ita consentiat indiget majoribus auxilijs: ergo ut absolutè moveatur physicè, & cum effectu convertatur, indiget majori copia auxiliorum.

Ad 4. dic, illa urgeri RR. Thomistas, qui docent motionem physicam dari vel negari unicè pro arbitrio Dei. At nos, qui Deum paratum dicimus movere efficienter quæcumque consentientem motioni morali; facile ostendimus Deum non

frustra pulsare vocatione Sancta, nec fictitiè, sed serio volens dare clavem motionis physicæ, si consentiamus vocationi, & pulsationi. Ob id Concilium Senonense in Decreto fidei cap. 15. dicit: *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio; cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidam prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset.* Pulsat, ut nobis non repugnantibus, ipse manum nostram moveat ad aperiendum, & sic intret habitare in nobis per gratiam.

Ad 5. constat ex dictis pro secunda. Movet quidem Deus nos juxta nostram naturam: sed quia natura nostra non solum petit agere cū cognitione, sed cum præoperatione Dei, probata à nobis quæst præcedente; idè utroque modo movetur, nempe finalitèr, & efficienter; quod totum est motio physico-moralis.

§ V.

Expenditur sententia de solo concursu indifferenti.

29 **S**Upræ quæst. præcedente à num. 11. explicata est sententia ista, pro qua quantum ad actus supernaturales, nihil designat ultra auxilium *sine quo*, dans posse, nisi solum concursum Dei paratum, indifferentem tamen ad concurrendum cum creatura ad quodcumque ipsa se determinaverit. Hic concursus, cum sit ad actus supernaturales, est supernaturalis, & indebitus. Datur tamen

Ex gratia Dei, imò est ipsa gratia, & auxilium quò Augustinianum. Ceterum ejus efficacia non est ante determinationem creaturæ, sed post ipsam; quare attento illo concursu ex parte Dei, est plenè indifferentis ad bonum, & malum, licèt Deus semper veilet esse ad bonum; at id non determinat, sed relinquit determinandum à creatura, quam fecit liberam, nec staret libertas ejus, nisi concursus Dei oblatus, esset intrinsecè indifferentis.

Probatur hæc sententia ex Scriptura 1. ex Ecclesiastici 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui &c. Apposuit tibi ignem, & aquam, ad quod volueris porrige manum tuam.* Idem habetur Deuteronomij 30. En concursus Dei indifferentis, & indifferenter oblatus pro igne charitatis, aut aqua peccati, extinguentis charitatem: En etiam determinabilis à creatura porrigente manum ad quodcumque voluerit. Nec aliter esset libera, si ei offerretur concursus ad unum determinatus.

Rursus, Zachariæ 5. dicitur: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Et Apoc. 3. dicitur, *Sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Isaie 30. *Expectat Dominus, ut misereatur vestri.* En post oblatum nobis concursum indifferentem, expectat Dominus, quod nos determinemus illum ad bonum; quod januam aperiemus salutis tali determinatione nostrâ, & ad illam

hortatur nos, dicens *convertimini ad me.* Quo facto à nobis per bonam determinationem nostram, Deus suo concursu, à nobis determinato, convertitur ad nos, dando nobis meritum, & præmium.

Virginius hoc probatur ex illo Christi Domini Matthæi 11. & Lucæ 10. ubi dicit Christus Judæis: *Væ tibi Corazaim, & tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* En Dominus objurgat Judæos, quia non egerunt pœnitentiam, quam egissent Gentiles cum eisdem auxilijs. Ergo quod illi acturi essent pœnitentiam, isti non egerint, non nascitur ex auxilio, sed ex determinatione Gentilium ad pœnitentiam, & nõ determinationem Judæorum. Patet consequentia: Quia nisi illi, & isti ponatur cum eodem auxilio, non erit objurgatio justa; quæ petit in utroque extremo equalitatè. Posito in utrisque eodem auxilio, hoc debet esse indifferentis ad bonum usum in Gentilibus, & malum in Judæis. Ergo quod re ipsa usus Judæorum fuerit malus, Gentilium verò futurus bonus, non ex auxilio, sed ex determinatione oritur Gentilium, & Judæorum. Ob id illi laudantur, isti objurgantur à Christo Domino.

30 Accedit M. P. Augustinus gratiæ efficacis defensor, & nominis hujus inventor, teste P. Suario in brevi resolutione controversiæ de auxilijs. Nam juxta S. P. gratia efficax nihil addit supra auxilium sufficiens,

nisi vocationem Dei congruam, ei collatam ex speciali affectu, & proposito dandi fidem, vel gratiam. Hoc est datam eo tempore, & modo, quo Deus novit accommodatam, ut homo re ipsa consentiat, licet possit dissentire. Vnde lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. ait: *Cujus Deus miseretur (en affectus, & propositum Dei circa hominem) sic vocat, quomodo scit congruere, ut vocantem non respuat.* En medium, & auxilium, situm in sola congruitate vocationis; ex se tamen est indifferens, & pendet à determinatione creaturæ consentientis vocationi. Hanc vocationem vocat S. P. *altam, & secretam* lib. de Gratia, & lib. arbitrio cap. 5. & q. citata ad Simplicianum. Et q. 68. libri 83. quæst. & tractatu 26. in Ioan. & lib. de Gratia, & libero arb. cap. 16.

Ob id S. P. libro de Deo per Reverentiam cap. 14. ex eo quod Tyrj converterentur visis miraculis Christi, quod non fecerunt Iudæi, dicit: *Habere quosdam in ipso ingenio naturaliter munus intelligentia, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant dicta, vel signa respiciant.* Et libro 12. de Civitate Dei cap. 6. 7. 8. & 9. docet cū equalibus auxilijs, aut forsan majoribus, hunc cadere, alium stare. Sed hæc stare non possunt, nisi auxilia sint in omnibus indifferentia ex se, reddanturque efficacia in hoc, non in illo, ex hujus determinatione, & non illius: ergo juxta S. P. auxilium *sine quo*, & gratia efficax, consistit in concursu Dei indifferenti, & congrua voca-

tione, determinabili à creatura consentiente. Vide plura alia ex M. P. Augustino, & D. Thoma quæst. præcedente num. 29.

31 A ratione multis probatur hæc sententia. Primò, quia ultra auxilium sufficiens, & concursus Dei simultaneum, ex se indifferentem, à nobis determinabilem, nihil aliud requiritur: ergo auxilium quo Augustinianum, nil dicit supra auxilium *sine quo*, nisi solum concursus Dei indifferentem. Antecedens probatur. Nam quidquid ultra requiritur est sola prædeterminatio, quæ in causis necessarijs est superflua, in liberis est repugnans, & tollit libertatem. Rursus, cum eadem sit ratio ponendi hanc prædeterminationem ad actus malos, illa repugnat Sanctitati Dei. Vide omnia hæc fundamenta in nostra quæst. præcedente à num. 26. & seqq.

Secundò probatur. Vrgentissima ratio sic. Ille, qui habet auxilium *sine quo*, dans posse, vel habet gratiam sufficientem ad implendam legem Dei, vel non habet. Si habet sufficientem? ergo nulla alia gratia distincta entitativè requiritur ad operandum, sed unicè, quod bene utatur creatura illo auxilio *sine quo*, illud determinans ad opus, & reddens auxilium *quo*. Patet hæc consequentia quia si ultra auxilium sufficiens nequit aliud requiri, alioquin primum non fuisset sufficiens. Si autem habens auxilium *sine quo*, dans posse, non habet gratiam sufficientem: ergo habens solum illud auxilium, & alijs carens,

carens, non peccat, etsi non impleat præcepta Dei. Patet consequentia, quia non impletio legis solum est peccatum in eo qui potest implere, & non implet: sed carens gratia sufficienti ad impletionem, reverà non potest implere: ergo non implens, non peccat. Hoc esse falsum constat, quia inde sequeretur nullum dari peccatum; cum homines, vel habent gratiam prædeterminantem, & tunc infallibiliter implent legem Dei. Vel non habent, & tunc excusarentur ob impotentiam, cum non haberent gratiam sufficientem.

Si dicas cum Thomistis, quòd ille per auxilium *sine quo* haberet auxilium sufficiens ad posse, sed non ad agere, quia ad hoc requiritur auxilium *quo*. Peccaret tamen, quia *potenti facere, & non facienti, peccatum est illi*. Si hoc dicas. Contra: Nam Deus suis præceptis non præcipit posse, sed agere: ergo si habens auxilium *sine quo*, non habet gratiam ad agere, non habet gratiam sufficientem ad implendum præceptum; unde ob impotentiam excusabitur.

Præterea: Vel auxilium *sine quo* dat posse purè antecedens, vel consequens, & jungibile cum effectu. Si primum? est plenè inutile: quid enim mihi deservit posse speculativum, si cum effectu non valeo implere legem Dei? Si est posse consequens? ergo cum sola determinatione nostra sine additione novi auxilij implebo legem Dei. Ob id S. P. Augustinus lib. de Gratia Christi cap. 15. adducens illa verba Pauli

2. ad Corinth. cap. 13. *Oramus autem Deum, ne quid faciatis mali.* Observat, quòd Apostolus non dixit, *ut non possitis nihil mali facere, sed ne quid faciatis mali: nec ut possitis bonum facere, sed ut bonum faciatis.* Ergo solum posse consequens, cum effectu conjungibile, est posse proficuum ad implendam legem Dei. Hoc datur à Deo per auxilium *sine quo*, & sufficiens; alioquin non esset sufficiens.

32 Hæc sententia, quatenus ponit initium auxilij Dei tum ad fidem, tum ad reliquos actus salutares in sola vocatione Dei congrua, & accommodata genio, tempori, & occasionibus creaturæ vocatæ, est verissima, & Augustiniana, tradita à S. P. Augustino, & comprobata quæst. laudata ad Simplicianum, & locis allegatis num. 30. In hoc etiam convenit plenè cum tertia sententia de prædeterminatione morali, supra explicata §. præcedente. A qua differt, quòd illa omnem gratiam constituit per auxilium purè morale, ut vidimus: hæc autem ultra morales illustrationes, & inspirationes, & auxilium *sine quo*, dans posse ad actus supernaturales; admittit aliquid physicum, & de genere efficientis, nempe concursus Divinæ Omnipotentia ad nostros actus: quare auxilium *quo* juxta DD. Societatis, non est purè morale, nec purè physicum, sed mixtum, & physico morale.

Ad hoc physicum, nempe concursus Dei paratus, non bene ponitur, nec ad mentem M. P. Augustini, nam ponitur plenè indifferens ad bonum,

bonum, vel malum; nec ponitur determinabilis à Deo, sed unicè à creatura. Quare contra istam positionem procedunt Thomistæ urgentissimè pluribus rationibus, sumptis ex parte Dei, quia est contra Omnipotentiam ejus, determinari à creatura; contra ejus dominium, subijci creaturæ determinationi; contra ejus libertatem, quæ cum prima sit, debet primò determinate; contra ejus providentiam, cum expectare debeat determinationem creaturæ, nec ante eam possit quidquam decernere. Ex parte etiam creaturæ id probant, quoniam debet esse Deo subordinata, nec erit, si sit primam determinans. His, & alijs titulis positio ista impugnatur, quos in præsentem non possumus examinare.

Nos autem cum M. P. Augustino hanc positionem impugnabimus ex sola oratione Dominica, ubi petimus, *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Vt enim ait S. P. libro de Dono perseverantiæ cap. 7. *Etsi alia documenta non essent, Dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sufficeret.* Et paulò infra: *Prorsus in hac re, non operosas disputationes expectet Ecclesia, sed attendat quotidianas orationes suas.*

33 Probatur 1. ex Sacra Scriptura eis locis, quibus docet nos orare. Psalm. 84. *Converte nos Deus salutaris noster.* Psalm. 79. *Domine Deus virtutum converte nos.* Item alibi: *Converte nos Domine, & convertemur.* Matthæi 28. *Vigilate, & orate, ne intre-*

tis in tentationem. Et antea: *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Item in oratione Dominica oramus omnes: *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo,* id est à peccato, quod est malum unicum simpliciter tale. His, & alijs passim obvijs in Scriptura, edocemur, quòd ultra auxilia sufficientia, quibus possumus converti ad Deum, servare legem, evadere tentationem, debemus orare Deum, ut convertat nos, ut nos non inducat in tentationem, ut liberet nos à malo: sed teste Augustino Parente, nemo nisi stultè orat id, quod habet in sua potestate; ait enim lib. de natura & Gratia cap. 18. *Quid stultius, quàm orare, ut faciat, quod habes in potestate?* & lib. 4. ad Bonifacium cap. 18. *Prorsus non oramus, sed orare nos fingimus, si petimus quod credimus esse in nostra potestate.* Ergo per solùm auxilium sine quo, & concursum indifferentem non habemus quidquid requiritur ad opera salutaria, sed aliquid ultra necessarium est, & hoc oramus.

Vergetur. Ex verbis suprà datis Apostoli: *Oramus ne quid faciatis mali.* Vbi observat M. P. Augustinus, non dixisse Apostolus: *Oramus Deum ut non possitis nihil mali facere, sed ut non faciatis, nec ut possitis bonum facere, sed ut faciatis.* Ergo non petimus à Deo auxilium sine quo, dans posse, sed eo supposito, ultra petimus auxilium quo dans agere: *Oramus, ut bonum faciatis:* Sed si posito auxilio dante posse, tunc in nostra est potestate illud determinare, & agere, frustra, stultè, & irriso.

Irriusè petimus à Deo, quòd det nobis agere bonum, ut patet ex S. P. Augustino. Ergo juxta sensum Scripturæ explicatè à P. Augustino, auxilium quo non consistit in solo dante posse, & in concursu indifferenti Dei, nobis oblato, & à nobis determinabili.

Explicatur. Accedente tentatione, debemus orare Divinum auxilium, docente Domino Apostolos, & totam Ecclesiam: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Ergo vel auxilium dans posse, vel auxilium dans agere. Non primum, quia tentatio supponit posse nostrum ad eam vincendam, teste Apost. ad Corinth. 10. *Fidelis autem Deus non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* Præterquam quòd debemus sine intermissione orare, teste eodè Apostolo; & non semper caremus auxilio dante posse. Ergo adhuc cum auxilio dante posse debemus orare Divinum adjutorium, & hoc semper sine intermissione, inquit Apostolus, *orate.* Ergo oramus auxilium quo dans agere. At quòd in nostra potestate est, non potest seriò peti: ergo auxilium quo non est solùm dans posse, aut indifferens ut à nobis determinetur: nam hoc totum in nostra potestate est, sed est quid aliud, dandum à solo Deo, pro quo Deum debemus exorare.

Hoc argumento sæpè usus est S. P. Augustinus lib. de Dono Perseverantiæ cap. 2. & de Gratia, & lib. arbitrio cap. 4. quòd etiam usurpatum est à PP. Concilij Cartaginensis in Epist. ad Ianoentium pri-

mum his verbis. *Quis non videat à Domino inaniter peti, & fallaciter orari, cum orando poscitur, quòd natura nostra jam ita condita sufficientibus viribus, obtinent: nec debuisset dicere Dominus, vigilate, & orate, sed tantummodo vigilate, ne intretis in tentationem.* Et quidem Apostoli in orto, sufficientes habebant vires, ne intrarent in tentationem, tum quia auxilia habebant sufficientia, & concursum Dei paratum, cum paulò ante suscepissent primi Eucharistiæ Sacramentum. Tum quia si non habuissent sufficientes vires, sua culpa non caderent, ut ait M. P. Augustinus lib. de Correptione & Gratia: *Auxilium quippe defuisset, sine quo permanere non possent.* Ergo si pro vincenda tentatione sufficientebat determinare concursum Dei ad victoriam, quòd erat in potestate Apostolorum, Christus diceret unicè *vigilate, ne intretis in tentationem,* non diceret *orate.* Patet consequentia: nã nemo petit seriò id, quòd est in sua potestate. Debebant autem vigilare ad usus suæ potestatis determinativæ auxilij, & concursus Dei. Orare autem non debebant, nec nisi irrisoriè poterant.

34 Hæc sufficiat attingisse ex sola oratione Dominica, ut videas quòd auxilium quo Augustinianum, est id quòd à Deo petimus, dum imploramus sine intermissione illius adjutorium. Quare cum juxta DD. quos impugnamus auxiliatur quo nihil addat supra auxilium sine quo, dans posse, nisi meram determinationem concursus indifferentis Dei, quæ est in nostra

nostra potestate; dicendum est; vel quod oramus id quod in nostra potestate est; vel quod non egemus orare auxilium quo, semel habito auxilio sine quo. Primum est orare stultè, & irrisoriè: secundum est contra Scripturam, & doctrinam Ecclesię. Ergo tenendum est, quod auxilium quo, & gratia efficax non consistit in sola vocatione congrua, & concursu Dei indifferenti.

Hunc concursum indifferentem, quo Deus concurrat nobiscum, sed taliter ut determinatio incipiat à nobis, non à Deo; quare in tali concursu nos sumus priores, imò unici determinantes, hunc ergo concursum explofit S. P. Augustinus lib. de Prædestinatione SS. cap. 10. dicens: *Si faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant, non illi faciunt ut ipse faciat.* Quod probat ex Ezechielis 30. *Faciam ut in justificationibus meis ambuletis.* Si autem cõcursus Dei est indifferens, nec illum determinat Deus ad faciendum, sed creatura determinat illum, creatura facit Deum facere bonum, non autem Deus facit, ut creatura faciat.

Rursus, lib. 2. ad Bonifacium cap. 9. ait: *Avertat ergo Deus hanc dementiam à cordibus nostris, ut in donis ejus nos priores faciamus, posteriorem Deum; quoniam misericordia ejus prævenit me;* ut dicitur in Psalm. *At in usu concursus Dei nos facimus priores, si nos primi, imò unici, determinamus ejus indifferentiam ad bonum usum; ergo talis concursus in-*

differentis, unicè determinabilis à nobis, vel non est de mète P. Augustini, vel saltem pertinet ad merum auxilium sine quo, non autem ad auxilium quo, quod in præsentì noscere optamus. Vide S. Prosperum contra Collatorem cap. 9. hoc damnantem in Semipelagianis. Et tene cum Concilio Arauxicano can. 9. hanc veritatem, ut definitam: *Quoties boni aliquid facimus, Deus in nobis ut operemur, operatur.* Quo vides Deum priorem, & præoperantem in nobis; quia operatur, ut operemur, non operatur, quia operamur; unde concursus Dei operantis non determinatur à nobis, sed à Deo; alioquin operaretur Deus, quia nos operamur, & volumus.

35 Hic observa, nostram sententiam in aliquo etiam convenire cum ista, quam hic impugnamus. Convenit, quia constituimus auxilium quo ex morali vocatione, & concursu Dei physico, quare tale auxilium est physico-morale. Convenit, quia initium auxilij ipsi, & nos ponimus in vocatione congrua, congruitate suprâ explicata de mente S. P. Augustini. Convenit etiam, & hoc bene perpende, quia ipsi, & nos ponimus concursum physicum Dei, post consensum nostrum præstitum vocationi morali. Quare nisi consentiamus Deo vocanti, numquam Deus concurrat efficienter ad nostrum velle. In his nostra, & illorum sententia convenit.

Sed ecce discrimen. Consensus noster vocationi non est actus physicus, & positivus, sed negativus, explicatus

catus cum B. Ægidio quæst. præced. num 60. consistens in hoc præcisè quod voluntas sinat se moveri à Deo vocante, & pulsante. In sententia autem Societatis non est tantum hoc, sed quid positivum, nempe illa positiva determinatio, qua creatura determinat concursum Dei indifferentem, sive sit per actum quo vult reflexè se velle, sive per actum priorem distinctum.

Rursus. Licet Deus vocans, offerat nobis suum concursum physicum ad velle, & agere; at in sententia Societatis offert illum indifferentem; in nostra autem offert illum determinatum ad bonum: nam vocans nos ad fidem, offert concursum determinatum ad fidem, non indifferentem ad fidem, & perfidiam. Nam sic concursus Dei non est gratia, cum gratia non possit influere in actum prævium, sed unicè in bonum. Quo fit, quod concursus nostræ sententiæ potest inadæquatè constituere gratiam physico-moralem; secus concursus sententiæ Societatis, qui cum sit indifferens ad influere in actum peccati, nequit esse gratia, nec supernaturalis; quia implicat principium supernaturale influens in peccatum.

Tandem. Cum concursus nobis oblati, sit determinatus ad bonum; Deus illum offerens, est unicus determinans illum concursum: secus in sententia Societatis. Quo fit, ut in omni genere causæ ponimus Deum priorem, & creaturam posteriorem. In genere finali, incipit Deus vocans, & nos sequimur vocationem.

sic ponunt etiam Iesuitæ: & idè convenimus in hoc. Sed in genere causæ efficientis, illi docent, quod creatura determinat se, & concursum Dei indifferentem. Nos contra, dicimus quod Deus dans concursum determinatum ad bonum, seipsum determinat, & efficienter determinat nos, quia efficit nostrum actum, qui nos formaliter determinatur.

Accedit, quod concursus Dei in nostra sententia; est actio Dei immanens, cum Deo idemificata, & sic unicè determinabilis à Deo. In sententia autem Societatis concursus Dei est actio creata, imò est ipsa actio creaturæ, ut videbis suprâ quæst. 16.

§. 4.

36 A ratione breviter impugnatur hæc sententiæ de concursu indifferenti. Et omisissis rationibus Thomisticis, quas vide apud ipsos, en ista Augustiniana, qua S. P. probat, quod Angelus dum primò creati sunt, habuerunt à Deo non solum posse amare, sed ipsum amorem actualem, quæ à seipsis non potuerunt habere. Id probat Pater noster, sic lib. 12. de Civ. Dei cap. 19. Angelus non potuerunt seipsos facere meliores, quam à Deo facti sunt: at melior est natura actualiter amans Deum, quam non amans, aut merè potens amare, cum actus, & ita nobilis, ut amor, sit perfectior sua potentia: ergo non tantum Angelus receperunt à Deo posse amare, sed ipsum amorem, alioquin si istum receperunt à se, & non à Deo, seipsos fecissent meliores, quam à Deo facti sunt; & hoc absurdum est.

Argue

Argue sic contra concursum in differentem. Deus per istum concursum dat posse velle bonum, imò posse indifferens ad velle bonum, & ad velle malum; non autem dat actu velle bonum, nec id habet creatura, nisi ex determinatione ad volendum bonum, quam non accipit à Deo, sed habet à seipsa: ergoposito tantam isto concursu indifferenti, creatura facit seipsam meliorem, quam à Deo facta est. Patet consequentia, quia melior est creatura actu volens bonum, quam potens velle, & indifferens ad volendum bonum, & malum, ut patet. Sed per concursum indifferentem solum fit creatura potens velle bonum, & potens indifferenter velle bonum, aut malum; à se autem, & ex propria determinatione fit actu volens bonum: ergo facit seipsam meliorem, quam à Deo facta est. Quod planè est absurdum.

Imò ut absurditas illativè crearetur, creatura non solum facit seipsam meliorem, sed ipsum Deum, & ejus concursum facit meliorem, quam à Deo datus, & oblatus sit. Probatur sequela. Concursus Dei ut à Deo, est indifferens ad bonum, & malum; sic enim offertur creature juxta hos DD. Imò & Deus ipse paratus concurrere, est indifferens ad bonum, & malum. Ceterum ex determinatione creature habet Deus, ex ejus concursus influere determinatè, in bonum. At melior est concursus determinatè influens in bonum, quam indifferens ad bonum, & malum; melior etiam est causa determinatè influens in actum

supernaturalem, quam indifferens ad influendum in meritum, & peccatum. Ergo creatura non solum meliorat seipsam, sed Deum, ejusque concursum.

37 Dices. Etiam in nostra sententia urget hoc argumentum. Nam creatura ut à Deo, est indifferens ad consentiendum, vel dissentiendum Deo vocanti. Ipsa autem consentiens facit seipsam meliorem, cum melior sit consentiens vocationi, quam potens consentire: ergo tenemur eodem argumento, ac DD. Societatis. Respondemus disparitatè nostræ sententiæ à sententiâ Societatis esse, primò quòd juxta illos creatura se determinat, & Deum positivè; unde facit se positivè consentientem. In nostra non sic, sed merè negativè, non ponendo obstaculum, nec contradicendo; unde merè negativè se facit meliorem. Præterquamquod adhuc hæc melioritas negativa non est à creatura sola, sed ab ipsa gratia vocante, & misericordia Dei præveniente. Solutio est D. Thomæ, qui tenet nostram sententiam, ut infra videbimus, & contra se opponit hoc argumentum, & dat solutionem istam.

Audi S. Doctorem supra Epist. ad Hebræos cap. 12. lect. 3. ubi post doctrinam nostram de gratia effectiva, quæ datur omnibus non ponentibus obstaculum Divinæ vocationi, arguit sic cõtra se. *Si gratia non datur ex operibus, sed tantum ex hoc quòd aliquis non ponit obstaculum: ergo habere gratiam dependet ex solo libero arbitrio, & non ex electione Dei: quòd est*

est error Pelagij.

Respondet sic: *Dicendum, quòd hoc ipsum quòd aliquis non ponit obstaculum, ex gratia procedit. Unde si aliquis ponat, tamen moveatur cor ejus ad removendum illud, hoc est ex dono gratiæ vocantis per misericordiam suam. Hoc donum gratiæ non est gratum faciens. Et infra: Quòd ergo à quibusdam removetur hoc obstaculum; hoc est ex misericordia Dei: quòd autem non removetur, hoc est ex justitia ejus.* Est hæc solutio ipsissima Augustini doctrina: nam ex misericordia Dei venit, quòd det nobis vocationem congruam; *Cujus enim miseretur, sic vocat, quomodo scit congruere, ut vocantem non respuat.* En nõ respuere vocationem, à nobis est, sed non à nobis primò, sed à Deo miserente, qui ideò dedit nobis congruam vocationem. Quando autem non miseretur, dat incongruam, & illam respuimus: sed dat illam ex justitia, quia non debet, nisi vocare sufficienter; & talis est vocatio incongrua; unde datur ex justitia. Vide P. August. q. 2. ad Simplicianum, & D. Thomam in Epist. ad Rom. cap. 10. lect. 3. ubi habet eandem doctrinam.

Non quiescimus. Nam etiam DD. Societatis dicunt creaturam se facere meliorem ex gratia vocationis congruæ, datæ ex misericordia Dei præveniente. Ergo vel malè impugnantur à nobis; vel tenemur eodem argumento. Respondeo negando consequentiam. Nos ponimus ex gratia vocante venire consensum nostrum negativum; ipsi ponunt ex sola gratia

vocante consensum positivum, & positivam determinationem concursus Dei. Primum stat; quia pro consensu negativo, qui non est actus, sufficit vocatio, nec requiritur gratia effectiva. At pro consensu positivo requiritur gratia nõ solum moralis, sed physica, & effectiva, ut probatum est supra num. 23. At hæc non datur juxta hos DD. qui totam efficientiam ponunt in concursu indifferenti, hic autem non est causa concursus creature, & determinationis ejus, sed potius effectus, quia creatura determinat concursum Dei: ergo dum creatura se facit positivè consentientem, se facit & à seipsa meliorem, non à gratia Dei.

38 Nec urgent fundamenta contraria posita num. 29. Ea enim exponit D. Thomas 3. contra Gentes cap. 90. expressius 1. p. q. 22. art. 2. ad 4. ubi docet Scripturam sic loqui, ut ostendat hominem esse liberi arbitrij, nec habere virtutem ad unum determinatam, sicut alia agentia naturalia. At non dereliquit hominem ita in manu consilij sui, ut illum substraxerit à Divina providentia. Est ergo sub Divina providentia per hoc quòd à Deo incipiat omnis illius determinatio, & opus bonum. Ergo dato quòd pro posse Deus dederit suum concursum indifferentem; at pro agere, debet Deus dare concursum determinatum, ut hic probatum est.

Ad auctoritatem ex Zacharia; respondemus cum B. Ægidio in 24 sent. dist. 26. q. 2. art. 3. ubi conciliat duos textus Scripture contra:

rios, nempe *Convertimini ad me*, & ego convertar ad vos, dicit Dominus. Iac. 1. *Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Trenorum ultimo. En conversio jam primò à nobis, & ob id hortamur à Deo, ut convertamur; jam autem primò à Deo, & ob id illam oramus, & petimus. Prima conversio est imperfecta, in cujus primum datur à Deo perfecta: unde prima est à nobis, sed non à nobis per naturalia, sed à nobis adjutus gratia vocationis Dei hortantis, invitantis, & dicentis: *Convertimini à me &c.* Quare Deus sua vocatione allicit nos ad consensum negativum, qui est conversio imperfecta; & eo posito Deus per gratiam effectivam facit nos velle, & converti perfectè, & positivè ad Deum per amorem. Autoritas de Deo pulsante ostium, intelligitur de gratia vocante, quæ pendet à nobis negativè, ut dictum est.

Ad auctoritatem Isaia dicimus catholicè intelligi de consensu nostro negativo, quem Deus vocans expectat, ut nostrum velle positivum sua gratia efficiat. Sic illam exponit S. P. Augustinus lib. 83. qq. quæst. 68. & D. Thomas supra Apoc. cap. 3. *Quòd Deus postquam pulsat sua gratia excitante, expectat ut aperiatur sibi:* nempe per consensum negativum, qui non petit gratiam effectivam, sed merè moraliter vocantem. At contrarij, volunt Deum semel vocantem, expectare nostrum velle, nostram determinationem, & consensum positivum. Ceterum hoc non potest sustineri, quia ut erroneum dam-

natum est à Concilio Arauxicano 1. can. 4. contra Semipelagianos, ibi: *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus per Sancti Spiritus infusionem, & operationem, in nobis fieri constituit; resistit Spiritui sancto, per Salomonem dicenti, preparatur voluntas à Domino, & Apostolo salubriter predicanti, Deus est, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Vide vel ex hoc tantum, quantum distat nostra sententia de consensu negativo, expectato à Deo vocante, à sententia Societatis, docente Deum vocantem expectare nostrum velle, & consensum positivum.

39 Ad argumentum delumptum ex verbis Christi, exprobrantis Iudæos, quod difficile est in sententia Thomistica, ut videbis apud ipsos in nostra facile solvitur. Nam exprobratio petit æqualitatem, vel quòd culpa unius extremi non detur æqualitas. Tiriij converterentur visis miraculis Christi; at non sola morali gratia miraculorum, sed etiam per gratiam effectivam sui velle; quam si non habuerunt Iudæi, culpa eorum fuit, qui posuerunt obstaculum dissentiendo vocationi Christi Domini, quod non ponerent Tiriij, sed negativè consentiendo, reciperent gratiam effectivam, & physicam. Res ergo sic se habebant in providentia Dei, nobis manifestata per Filium ejus. Visio miraculorum Christi, erat vocatio congrua Tirijs non Iudæis; quare illi posuerunt impedimentum resistendo,

stendo, quod non ponerent Tiriij. Et cum Deus det gratiam effectivam nostri velle, omni non resistenti vocationi; idè Tirijs dedisset gratiam, & pœnitissent visis miraculis Christi, Iudæi autem non pœnituerunt, sed indurati sunt.

Hoc non infert, quòd pro pœnitentia sufficiat sola vocatio, & gratia moralis determinabilis à nobis; sed probat, quòd licet ad pœnitentiam sit necessaria gratia etiam physicè prædeterminans; hæc non est data Iudæis ob eorum culpam, qua Spiritui Sancto vocanti resistenterunt: daretur tamen Tirijs non resistentibus. Quòd autem miracula Christi essent vocatio congrua Tirijs, secus Iudæis, non facit illos inæquales ad excusationem, quia sua culpa Iudæi fecerunt eam incongruam, suis peccatis præcedentibus, quibus indurati sunt. Unde ex justitia Dei data est illis hæc vocatio, ut dictum est cum D. Thoma. Sunt tamen inæquales ex beneficentia Dei Tirijs, quibus daret vocationem congruam ex misericordia, si dedisset: unde deberent reddere Deo, sic vocanti, speciales gratias.

40 Ad ea, quæ adducuntur num. 30. ex M. P. Augustino, dicimus falsum esse quòd auxilium quo unice addat supra auxilium sine quo, solam vocationem congruam. Contrarium à nobis probatum est supra num. 22. & 24. ex S. P. Augustino, reprehendente Pelagianos, solam vocationem congruam admittentes. Ponit enim S. P. ultra, gratiam physicè effecti-

vam nostri velle. Sed quia ista datur non ponenti obicem, & consentienti vocationi; idè quasi ad radicem recurrens efficacis gratiæ Dei, eam tribuit congruitati vocationis, sine qua non stat noster consensus negativus; nec efficientia nostri velle, quæ solùm conceditur sic negativè consentientibus. Ex duplici capite pendet conversio nostra, nempe ex gratia effectiva, & ex gratia excitante, & vocante: & quia effectiva non datur nisi consentienti vocationi; idè radix conversionis nostræ est vocatio congrua: ergo quando M. P. Augustinus locis datis à DD. Societatis discernit consentientem à non consentiente per solam vocationem congruam, & incongruam; dat discrimen radicale, non totale. Quare non solùm discernit nos Deus vocans, sed etiam efficiens, quia est causa prima hujus discretionis non solùm moralis, sed efficiens, & determinans, teste Apostolo dicente: *Quis enim te discernit?*

Doctrina P. Augustini de illis, qui cum minoribus auxilijs conversi sunt, alijs induratis, qui majora auxilia receperunt, est vera de gratia, & auxilijs moralibus, secus de physicè effectivis; cum actio Dei causativa nostri velle, semper sit efficax. Efficit tamen nostram conversionem, quòd consensimus vocationi morali. Et potest accidere quòd vocatio sit major, & respuatur ab hoc, cū tamen aliam minor ab altero suscipiatur. Id docuit Christus Dominus Lucæ 11. & Matthæi 12. exprobrans Iudæorum danti-

tiem, qui, prædicante Domino, conversi non sunt, cū tamen ob prædicationem Ionæ Prophetæ viri Nini-vitæ egerint pœnitentiã; & ecce plusquam Ionas hic. Ergo stat, ut vides, cum minore vocatione Dei, conversio, quæ interdum non datur cum majori. Hoc provenit, vel à naturali genio, quod per peccatum originale non fuit ita deformatum in quibusdam, ac in alijs stupidioribus; & hoc etiam est gratia Dei, cohibens, & præservans naturam à majori stoliditate; vel potius à gratia præservante nos à peccatis, quibus induramur, ne sentiamus vocationem, aut eidem resistamus.

Hic vides DD. Societatis veram pro se Augustini doctrinam allegare, sed insufficientem pro suo cōcursu simultaneo indifferenti pro ut à Deo. Nam Augustinus loquens de efficacia prædeterminationis, eam reducens ad congruitatem vocationis, non dat causam adæquatam, sed radicalem, & verissimam. Quare loquitur de auxilio quo incompleto, non de completo. Et sicut Thomistæ unicè curant de auxilio physico, & ob id difficulter salvant libertatem nostram, & sensum doctrinæ Augustinianæ; sic DD. Societatis, non agnoscentes gratiam physicè prædeterminantem, sed solam moralem congruam, detrahunt gratiæ Dei munus præcipuum, & premuntur auctoritatibus Scripturæ, Conciliorum, & Patrum. Nostra autem sententia facilius, verius & solidius Dei providentiam in vocando congruenter, expli-

cat; nostram libertatem in consentiendo vocationi; & Dei efficaciam in causando nostrum velle, quasi digito demonstrat, constituendo auxilium quo per vocationem congruam, & gratiam effectivam nostri velle, dependentem quoad esse à nostro consensu negativo, ut dictum est q. præced. num. 85. & amplius in seqq.

41 Ad rationes positas num. 31 respondemus, negando nil ultra requiri præter vocationem congruam, & concursum indifferentem, ut patet ex hic dictis. Concedimus ultra requiri prædeterminationem physicam, consistentem in actione immanenti Dei, qua causat nostrum velle. Ejus necessitas probata est quæst. præcedente ad actus omnes naturales. Ad actus autem supernaturales novo titulo est necessaria, nempe ex super-naturalitate; quoniam sunt actus supra totam naturam: ergo si ad naturales est necessaria, potius ad supernaturales. Ex infirmitate contracta per peccatum originale, per quod liberum arbitrium nõ est extinctum, sed mansit homo semivivus, vel semimortuus, ut dicitur Lucæ 10. de illo qui descendebat à Hierusalem in Hiericò, & incidit in latrones. Quare cū, teste Tridentino, homo per peccatum sit *spoliatus gratis*, & in *naturalibus vulneratus*, indiget gratia Christi non solū vocante, sed efficiente, & prædeterminante ad opera salutaria. Quæ in contra arguunt DD. Societatis quæst. præced. à num. 26. soluta sunt ibidem à num. 80. & ideo nil in præsentia.

Ad argumentum, desumptum ex sufficientia auxilij sine quo dantis posse, agrè respondent Thomistæ RR. ut patet ex dictis inter arguendum. Et quod miretis magis, eodem argumento premuntur DD. Societatis. Nam si auxilium sine quo est gratia plenè sufficiens, ita ut nulla alia requiratur: ergo habens auxilium dans posse, non eget orare Deum pro ulteriori auxilio. Quod absurdum est, ut à num. 43. hic probavimus. Ergo vel tale auxilium non est sufficiens, & tunc habens hoc tantum, excusatur à lege ob impotentiam consequentem; vel si est sufficiens, non erit necessaria oratio pro implementatione præceptorum Dei, contra expressa verba Christi Domini, & Apostoli, monentium nos semper sine intermissione orare.

42 Hos scopulos vitat sententia nostra, docens, quòd Deus dans auxilium sine quo, & posse, dat initiativè auxilium quo ad agere, quia paratus est dare auxilium effectivum omni consentienti auxilio morali, & non se impediendi. Hoc est, quantum ad primum velle. Quare, qui vocatus à Deo, non recipit gratiam physicam, culpa illius est, qui se impedit; Unde cum sola morali non habet sufficientem; sed non excusatur, quia culpa sua illam non habet, nempe quia non consentit negativè Deo vocanti, & offerenti gratiam effectivam sui velle, sed se impedit. Solutio est D. Thomæ quæst. 3. de malo. Et 3. contra Gentes cap. 159. ubi ait,

Licet aliquis per motum liberi

arbitrij Divinam gratiam nec promereri, nec acquirere possit; potest tamen seipsum impedire ne eam recipiat. Dicitur enim de quibusdam Job. 21. Dixerunt Deo, recede à nobis scientiam viarum tuarum nolumus. Et Job. 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini. Et cum hoc sit, in potestate liberi arbitrij impedire Divinæ gratiæ receptionem, vel non impedire; non immeritò imputatur ei, quòd impedimentum præstat gratiæ receptioni. Deus enim quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare, vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur 1. ad Timotheum. Sed illi soli gratia privantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant. Sicut sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur; licet videre non possit, nisi lumine solis præventus.

Idem docuit D. Thomas in Epist. ad Hebræos cap. 12. lect. 32 explicans verba Apostoli *Contemplantes &c.* & utitur eodem exemplo solis, quo utitur etiam M. P. Augustinus pro eadem doctrina tractatu 12 in Ioannem ad illa verba: *Et lux in tenebris lucet.* Quapropter Magister Lemos egregius Romæ decertator pro Gratia Dei in Congregationibus de auxilijs, sic dissolvit hoc argumentum de sufficientia gratiæ tom. 4. lib. 4. tractatu 3. cap. 6.

43 Hæc doctrina aliquas patitur difficultates; hic obiter insinuas. Prima, inde sequi, quòd nos possumus reddere gratiam efficacem, nam redditur efficax, quando non ponimus

ponimus impedimentum: sed in libertate nostra est non ponere impedimentum: ergo in potestate nostra est reddere gratiam efficacem. Hoc docent DD. Societatis, quos impugnamus.

Secunda. DD. Societatis pro libertate ponunt concursum Dei indifferentem, quo Deus paratus est agere, si velimus, vel non agere, si nolimus: at nos ponimus Deum paratum dare gratiam efficacem, si non impediamus; vel non dare, si impediamus: ergo re ipsa admittimus concursum Dei indifferentem, determinabilem ab arbitrio nostro impediēte, vel non impediēte.

Tertia. In nostris principiis discretio consentientis à non consentiente oritur à creatura, non à Deo, quod est contra Apostolum Paulum dicentem: *Quis enim te discernit? Quid habes, quod non accepisti: ergo nostra principia non sunt Augustiniana, sed contraria Augustino, & Paulo. Probatur antecedens. Consentientis discernitur à non consentiente per consensum, qui est effectus gratiæ efficacis: at gratia efficax in nostris principiis datur non ponenti impedimentum: ergo cum non ponere impedimentum, oriatur à libertate creata, hæc erit radix prima discretionis consentientis à non consentiente.*

Quarta. Cum Deus det gratiam efficacem consentienti, & neget dissentienti, oportet scire quis consentit, quis non consentit, ut det, vel neget: ergo ab æterno id scit, ut ab

æterno decernat dare, vel negare. In quo medio, & in qua scientia id scit? Nulla apparet, nisi scientia media, quam toto tractatu intendimus vitare.

Ad primam respondemus cum D. Thoma 1. 2. q. 111. art. 3. quod creatura ex se potest impedire receptionem gratiæ; sed non ex se, sed ex gratia Dei vocantis congruè, potest non impedire. Verba D. Thomæ sunt: *Defectus gratiæ prima causa est in nobis: sed collationis gratiæ prima causa est à Deo, secundum illud Osæ 3. Perditio tua ex te Israel; tantummodo in me auxilium tuum.* Vide dicta num. 37. expressis verbis S. D.

Ad secundam, dicimus in nostris principiis numquam Deum dare, vel offerre concursum indifferentem, sed determinatum ad bonum, ut dictum est num. 35. ubi probatum est, sic dari determinatum. Vnicè potest dici, quod juxta nostra principia Deus vocans in signo vocationis, est quasi indifferentis dare, vel non dare, cum expectet nostrum consensum negativum pro efficiendo nostro velle, ut dictum est num. 38. Hæc indifferentia non est concursus Dei, sed Dei offerentis concursus. Imò nec Deus tunc est indifferentis in se: quia si dat vocationem congruam, eam dat ex proposito dandi auxilium efficacem; si dat vocationem incongruam, eam dat ex reprobatione, aut ex alio proposito, pertinente ad justitiam. Quare cum vocatio in electis supponat propositum, in reprobis justitiam supponit. jam Deum determinatum dare, vel

vel non dare gratiam efficacem. Hæc determinatio est Dei in se. At considerato Deo sub munere tantum vocantis per generalem voluntatem salvandi omnes; sic in signo vocationis est indifferentis ad dandam, vel non dandam gratiam, Hæc indifferentia tollitur per consensum, vel dissentium negativum creaturæ. At non tollitur positivè, sed negativè; nec æqualiter est potens creatura ex se ad utrumque, sed ad dissentium ex se, ad consensum per gratiam, ut in 1. dictum est.

Ad tertiam dic. Quod creatura se impediens dissentiendo, se discernit, & ex se à consentiente; at non se impediens, cum id habeat à gratia, ut dictum est, ab eadem habet se discernere à non consentiente. Hoc docet Apostolus, & hoc M. P. Augustinus dicens: *Liberum arbitrium ad malum sibi sufficit, ad bonum non, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.* Ad quartam patebit solutio in fine quæstionis, ubi erit sermo de Scientia Dei juxta hæc principia.

44. Actum est de sufficientia gratiæ quantum ad velle, nunc restat dicere de gratia sufficiente quantum ad agere. Hæc gratia, quæ datur ad facere, est ipsum velle, ut dicemus in secunda conclusione nostra. Quodcumque velle est sufficiens, etiam si opus sit difficile, & velle sit languidum. Nam hoc velle insufficientis ad vincendam difficultatem operis, est sufficiens ad orandū, & petendū à Deo majus, & fortius velle, quo faciamus opus difficile: ergo quodcumque velle

est gratia sufficiens mediatè vel immediatè. Vnde P. Augustinus lib. de Gratia, & libero arb. cap. 16. dicit: *Ab illo petendum est, ut tantum vitemus, quantum sufficit, ut volendo faciamus.* Et ex P. N. monet Tridentinū, quod *Deus non precipit impossibilia, sed juvendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Ergo qui pro gravi precepto non habet amoris robustum Dei, sed levem; orat ut potest cum eo levi amore, & orando accipiet majorem, ac tantum, quantum sufficit, ut volendo faciat. En concordia sufficientiæ gratiæ cum oratione, quæ in aliorum principiis non ita clarescit.

§ VI.

Expenduntur quinta, & sexta sententia circa auxilium Dei in utroque statu naturæ.

45. **C**ornelius Iansenius Iprensis Episcopus, qui sæculo præcedenti vixit, amplissimè edidit opus, cui titulum affixit: *Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi Augustinus: seu doctrina S. Augustini de humana naturæ sanitate, ægritudine, medicina adversus Pelagianos, & Massilienses.* Hoc opus in tres tomos dividit, in quorū primo prosequitur historiam de hæresi Pelagiana, & Semipelagiana. In secundo explicat, sed falso explicat, sententiam P. Augustini de statu, & vitibus naturæ innocentis, lapsæ, & puræ. In tertio, ut ait, ostenditur genuina sententia Augustini

gustini de gratia Christi, & Prædestinatione Angelorum, & hominum, In toto opere, quædam docuit, quæ ab Ecclesia damnata sunt, ut falsa, & hæretica; quædam falsa, & suspecta; quædam autem vera; nec mixtum vera falsis esse intermixta, quia ut ait M. P. Augustinus lib. 2. qq. Evangelicarum quæst. 40. *Nulla porro falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermiscat. Ut ergo distinctius procedamus pro explicanda illius mente, ejus dogmata sigillatim proponemus.*

Propositiones hæreticæ, ab Ecclesia damnatæ, sunt quinque. Prima: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentem, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.*

Secunda: *Gratiæ interiori in statu naturæ lapsæ numquam resistitur. Tertia: Ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*

Quarta: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initiū fidei; & in hoc erant hæretici, quod velent talem gratiam eam esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obrepere.*

Quinta: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse: Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus est. Istæ propositiones ab Ecclesia damnatæ sunt: ut hæreticæ præsertim in sensu ab assertoribus intento, ut patet ex decretis damnationis.*

46 Secundi generis propositiones docuit Iansenius sequentes, nempe quod omnia opera elicita sine gratia, sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia. Quod sepe repetit lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 17. Ceterum hæc propositio damnata est ab Ecclesia inter Bajanæ ordine 25. quæ talis est: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia.*

Rursus, lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 5. docet, quod *Ignorantia invincibilis juris naturalis non excusat à peccato. Quas, & alias similes putavit Iansenius propositiones Augustinianæ; sed deceptus est, ut demonstrant Theologi ex mille locis doctrinæ M. P. Augustini, eas damnantis, & impugnantis, ut videbis apud Cardinalem Aguirre, & alios RR.*

An autem Iansenius dicendus sit hæreticus ob istas propositiones? dubium est, cui respondemus cum nostro Lafosse tom. 4. suæ Theologiæ speculo 1. cap. 5. Iansenium fuisse hæreticum materialiter, sed non formaliter. Sicut qui ignorans, & nesciens, mentitur materialiter, sed non est mendax formaliter.

Probatur ex D. Thoma 2. 2. q. 2. art. 6. & clarius q. 11. art. 2. ad 3. ubi adducit testimonium S. P. Augustini Epist. 162. dicentis: *Qui sententiam suam, quamvis falsam, atque perversam nulla animositate pertinaciter defendunt, querunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. Hinc hæresis formalis est.*

est tantum error in fide cum pertinacia propugnatus. At Iansenius non docuit notata supra pertinaciter, sed corrigi paratus, quæsitivè cauta sollicitudine veritatem: ergo non est dicendus, nec inter hæreticos formaliter computandus.

Probatur minor. Ex Epilogo suorum operum, quo veluti ultimo testamento, se, & scripta sua, infallibili Ecclesiæ correctioni subiecit. Ibi dicit sic: *Quidquid de rebus tam multiplicibus, & arduis pronunciavi, ex Apostolica Sedis, Ecclesiæque Romane Matris meæ judicio, sententiæque suspendo, ut illud jam nunc teneam, si tenendum; revocem si revocandum; damne, & anathematizem, si dammandum, & anathematizandum judicaverit.* En paratus, si viveret, illa dogmata anathematizare; nec incauti assertoris culpa dammandus, cum pro veritate doctrinæ Augustinianæ assequenda, venerit Salmanticam, ut Doctores, ea tempestate florentes, consuleret. Occulto tamen Dei judicio, semper tamen sancto, ac justo, in eos errores lapsus est. Eis notatis, ac pariter à nobis cum Ecclesia dammandis, quæ catholicè Iansenius tenuit expendamus.

47 Distinguit ipse cum M. P. Augustino duo adjutoria, unum sine quo non, & hoc dat solum posse aliud quo, & hoc dat velle. Verba S. P. dedimus supra num. 1. & est doctrina communiter recepta à Theologis, nec est quæstio, nisi de constitutivo auxilij quo, quod in præsentibus disquirimus.

Distinguit etiam cum P. Augustino statum naturæ innocentis, hoc est naturæ ante primum peccatum, à statu naturæ lapsæ, hoc est naturæ post peccatum originale, quo natura depravata est, prona ad malum, difficilis ad bonum. Nec melius potest depingi, quam à Christo Domino descripta est Lucæ 10. Parabola illa hominis, descendens à Hierusalem in Jericho, qui incidit in latrones, qui spoliaverunt eum, & plagis impositis, abierunt, semivivo relicto. Sic mansit natura nostra post originale peccatum, spoliata gratuitis, hoc est justitia originali, & donis supernaturalibus, & in naturalibus vulnerata, ut docet Tridentinum.

His distinctionibus prelibatis, docet de mente M. P. Augustini lib. de Corr. & Gratia cap. 10. 11. & 12. quod Adam in statu innocentia; nec non Angeli ante peccatum, non habuerunt, nec indigebant ad operandum bonum, & perseverandum in justitia originali, auxilio quo, dante velle; sed tantum auxilio sine quo non, dante posse. Quare S. P. Augustinus libro laudato cap. 11. dicit. *Quid ergo Adam non habuit gratiam? Imò habuit magnam, sed disparem. Acceperat posse quod velle, sed non habuit velle quod posset, nam si habuisset, perseverasset.*

48 Iam autem quod non solum de facto eam gratiam non habuerit, sed nec illa indiguerit Adamus innocens ad perseverandum, ibi traditur à P. N. dicente: *Ille non opus habebat eo adjutoria, quod implorant isti (id est homines*

homines post lapsum) cum dicunt, video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, & captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis: infelix ego homo (verba sunt Apostoli Pauli) quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Dominum nostrum Iesum Christum. En auxilium quo, est gratia Christi medicinalis, qua non indigebat Adam sanus, cum, teste Domino, non sit opus valentibus medicus, sed male habentibus.

Ob id juxta S. Parentem, tota ratio astruendi necessitatem gratiae efficaci, & auxilij quo ad operandum bonum, & perseverandum in gratia, non est subordinatio creaturae ad Deum, ratio primae causae, aut primi Domini, aut aliae, quibus probant Thomistae; istae enim sunt rationes philosophicae (ait Iansenius) quae faciunt nos Aristotelicos, non Augustinianos. Augustiniana autem ratio, & Theologica probans hanc necessitatem, est sola infirmitas nostra, contracta per originale peccatum: qua cum Adam innocens non laboraret, tali gratia non indiguit.

Vnde ibi S. P. dicit: *Tantum quippe acceditur voluntas eorum*, (nepe Sanctorum post lapsum), *ut idè sic possint, quia sic volunt: & idè sic velint, quia Deus in eis operatur & velle. Nam si in tanta infirmitate vite hujus, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellet; nec Deus in eis operaretur ut vellet; inter tot & tantas tentationes voluntas ipsa*

succumberet, & idè perseverare non possent, quia deficientes infirmitate, aut non vellet aut non ita vellet infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut Divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur.

49 Quod autem Adam, cum auxilio sine quo, potuerit non solum antecedenter, sed etiam consequenter perseverare in bono originali; docet ibi S. P. exemplo Sanctorum Angelorum, qui cum eodem auxilio perseveraverunt actualiter. *Tunc ergo (ait) dederat Deus homini bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum, dederat & adjutorium sine quo in ea non posset permanere si vellet; ut autem vellet, in ejus reliquit arbitrio. Et paucis interpositis. Sed quia noluit permanere, profectò ejus culpa est, cujus meritum fuisset si permanere voluisset: sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi.*

Vbi nota: quod Angeli sancti, dicuntur stetitisse per liberum arbitrium, non quod sine gratia steterint in justitia; hoc enim Pelagianum est: sed quia steterunt per gratiam sufficientem, quae juxta Augustini doctrinam, subijcitur libero arbitrio quoad usum. Ibi: *Doctorem habebat* (idest gratiam) *quem libero reliquit arbitrio.* E contra auxilium quo, & gratia efficax, sibi subijcit arbitrium, & idè non tam agit, quam agitur per illam. Ibi: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut Divina gratia inde-*

clina-

indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur.
50 Hinc infert Iansenius, quod in statu innocentiae, gratia sufficiens reddebatur efficax à consensu liberi arbitrij, ut docent DD. Societatis: Vnde pro illo statu non admittit gratiam ab intrinseco efficacem, sed ab extrinseco: quare consequenter per solam scientiam mediam poterat Deus scire certò eventum futurum naturae innocentis cum auxilio sine quo. At in statu naturae lapsae, ubi gratia non subditur libero arbitrio, sed è contrà; gratia est intrinsecè efficax, ut docent Thomistae; unde illam constituit sicut in Schola D. Thomae. Hac via putavit se mentem Augustini caluisse, & discordantes Scholas sibi concordans devinxisse; sed evètu còtrario, & infelicissimo utriusque Scholae Doctores, nò tantum usque ad mortem, sed post mortem etiam sustinet advesantes.

Infert secundò, quod auxilium sine quo, datur solum in natura innocente; quare cum in natura lapsa non detur; idè qui carent auxilio quo, carent auxilio omni, etiam dante posse: unde eis praecepta Dei sunt impossibilia: quod assertum est prima propositio damnata.

Rursus, cum Christus sua morte nobis meruerit gratiam medicinalè, quae est unice auxilium quo: si hoc auxilium post lapsum nò datur omnibus ad perseverandum, sed solis praedestinatjs, sequitur quod Christus solum pro eis, nò pro omnibus mortuus est. Et haec est quinta propositio damnata.

Infert tertio, quod cum auxilium quo naturae lapsae agat voluntatem nostram insuperabiliter, ut ait Augustinus, est auxilium irresistibile. Ergo si in hoc statu nulla datur alia gratia interior, nisi auxilium quo; sequitur in hoc statu, quod interiori gratiae Dei numquam resistitur. Haec erat secunda propositio damnata. Cui affinis est quarta, quae addit censuram Semipelagianismi omnibus, contrarium sentientibus.

Infert quartò. Gratiam in statu nostro irresistibilem, necessitare nos, non autem cogere; eò quod necessitat delectando, & idè dicitur à M. P. Augustino *victrix delectatio*. Ergo cum in hoc statu sit meritum nostrum liberum, videtur quod ad merendum sufficit libertas à coactione, nec requiritur libertas à necessitate. Haec erat tertia propositio damnata.

51 Hos errores corrigit N. La fosse tom. 4. citato, ubi cù pluribus Theologis tenet discrimen positum utriusque status naturae; qui bene conqueruntur quod vocentur Ianseniani, sicut nos vocarent Paganos: quia in multis Aristoteli assentiant, Ille solus Iansenianus dicendus est, qui Iansenio consentit in his quae ab Ecclesia damnata sunt; sicut ille solus Pelagianus, aut Calvinianus; qui Pelagio, & Calvino manam dederit amicam in eis, quae dogmatizarunt contra veram Ecclesiae doctrinam.

Hi Theologi catholice docent dari in statu naturae lapsae gratiam sufficientem, & auxilium sine quo: unde per illud praecepta Dei sunt om-

nibus possibilia; & pro omnibus Christus mortuus est, saltem sufficienter, licet pro solis Prædestinatis efficaciter. Cùmque in hoc statu detur utraque gratia sufficiens, & efficax, & possimus resistere sufficienti, idem licet efficaci, quæ, teste Augustino, à *Nullo duro corde respuitur*, non possimus resistere, sat est, ut verè dānetur secunda Iansenij propositio, quæ nullam in hoc statu gratiam agnoscit resistibilem. Docent tandem gratiam efficacem hujus status non tollere libertatem à necessitate contra Iansenium, & sic cum Thomistis damnant tertiam ejus propositionem.

His erroribus explosis, tenent in reliquis Iansenij sententiam, de eo quòd in natura sana nullum fuit necessarium auxilium quo ad bene operandum, & perseverandum, bene tamen in natura lapsa. Quare per auxilium tantum sufficiens, & sine quo, subjectam nutui liberi arbitrij, poterant stare in justitia homines, & revera steterunt Angeli. An autem pro Angelis, & hominibus in hoc statu ponenda sit scientia media? Multi affirmant, alij negant cum nostro Lafosse, qui scientiam mediam à statu naturæ innocentiæ excludit per decretum ab intrinseco efficax Thomisticum; à quo decreto gratia sufficiens illius status redditur extrinsecè efficax. In hoc sensu explicat illud S. Fulgentij lib. 2. ad Trasamundum, cap. 4. dicentis quòd non alia gratia Angelum fecit stantem, ac hominem lapsum reparavit. Quod intelligendū ait de gratia increata, & decreto. Et

dum S. P. August. lib. 12. de Civitate Dei cap. 9. docet Sanctos Angelos fuisse amplius adjutos, alioquin æquè cecidissent. Respondet Lafosse, quòd auxilium in electis fuit majus extrinsecè, quia conjunctum est cū decreto de eorum perseverantia, quod non habuerunt miseri cadentes.

52 Contra istam sententiam, ut catholicè explicatam à Recetioribus Theologis, pugnant RR. Thomistæ, ostendentes eam esse contra Scripturam, & evertere omnia, quæ S. P. Augustinus docuit, & disputavit cōtra Pelagianos. Et quidem P. Augustinus sæpè probat necessitatem gratiæ efficaci ex illo Apostoli: *Quis enim te discernit? Quid habes quod non accepisti?* Sed de Adamo, & Angelis sanctis verum est, quòd nihil habuerunt, quod non acceperint: ergo de eis tenet etiā ratio indigendi auxilio quo efficaci.

Rursum, S. P. lib. 12. de Civitate Dei cap. 9. dicit Sanctos Angelos non potuisse facere seipso meliores, quàm à Deo facti sunt: sed melior est natura actu perseverans, quàm potens perseverare: ergo vel à Deo receperunt actualè perseverantiam per auxiliū quo; vel si tantum posse receperunt per auxiliū sine quo, fecerunt seipso meliores; quod est contra S. Patrem.

Præterea: Auxilium quo dat velle, ut ex S. P. fatetur Iansenius: sed juxta P. Augustinum gratia dedit Angelis, & Adamo bonam voluntatem, & ipsam velle: ergo fuit auxiliū quo in eis innocentibus. Probat minor. Nam eodem lib. de Corr. & Gratia cap. 11. dicit: *Tunc dederat Deus*

Deus

Deus homini bonam voluntatem, idest velle. Et lib. 14. de Civitate Dei cap. 11. dicit: *Bona igitur voluntas est opus Dei; cum ea quippe ab eo factus est homo.* Et 12. de Civitate Dei cap. 9. ait de Angelis: *Et quis istam fecerat, nisi illè, qui eos cum amore casto, quo illi adhaerent, creavit.*

Idem docet de Angelis cadentibus, quòd *Aut minorem acceperunt Divini amoris gratiam; quàm illi, qui in eadem perseverant; aut si utriusque boni equaliter creati sunt, illi amplius adjuti; ad eam beatitudinis plenitudinem pervenerunt.* At qui ceciderunt receperunt auxiliū sine quo, dans posse: ergo stantes amplius adjuti sunt per auxiliū quo. Vide plura in Gonetto, Aguirre, & alijs.

Solvunt Thomistæ fundamenta Iansenij, per hoc quòd Adam innocens non indigebat gratia efficaci, ut sanaretur; indigebat tamen ad volendum, & operandum bonū. Solutio sumitur ex D. Thoma 1. 2. q. 109. art. 10. docente quòd homo indiget gratia in statu naturæ integræ quantum ad unum, nempe ut operetur, & velit bonum; sed in statu naturæ lapsæ, quantum ad duo, nempe, ut sanetur, & operetur bonam virtutis. Sic respondet cum ceteris Gonetto, dicens geminam Augustino sententiam, non meliùs quàm ex D. Thoma posse dignosci. Cui dicto plenè assentimur, & libentissimè; nec dissentit Iansenius, qui D. Thomam vocavit *Augustinum contractum.*

Ceterum num. 197. adducit Gonet verba Æstij in Augustino ver-

fatissimi, quæ approbat; & diversis characteribus signat. Verba Æstij sunt hæc: *Sanè nisi à D. Thoma insinuatam intelligentiam verborum Augustini recipiamus, difficillimū erit, & ne possibile quidem Augustinum sibi conciliare; idest ostendere, quemadmodum ea, quæ objecta sunt, non contradicant bis, quæ prius ex eodem Augustino fuerunt allata.*

Et infra: *Quòd si nihilominus adhuc cōtendat aliquis, Augustini verba quæ objecta sunt, huc inflecti non posse; putetque eum revera alterius fuisse sententiæ, tunc respondebimus, ea quæ de adjutorio primi hominis, & Angelorum, obscurius, & ut videtur extra auctoritatem Scripturæ ab illo disputata sunt, ad hoc, ut ex ea comparatione gratiæ nostræ per Christum reparationis magis emineret, non debere præjudicare doctrinæ, quæ apud alios Patres, ipsūque D. Thomam, hujusmodi rebus exactissimum Doctorem, expressior reperitur. Maximè propter rationes in eam partem gravissimas, & ut nobis videtur insolubiles, & clarè in Scripturis fundatas.*

Ecce approbante Gonetto dicit Æstius, quòd S. P. Augustinus in libro de Corr. & Gratia, quem scripsit senex post devictos Pelagianos, obscurius loquutus est, & contra doctrinam Sanctorum Patrum, maximè D. Thomæ; & quod miremini magis, egregius ille gratiæ propugnator, cujus doctrinam Ecclesia fecit suam, nulla Scriptura fundatus, sibi ipsi contrariatur in senectute: ac veluti alter Salomon in senectute deceptus est, non à sordido scemina-

non amore, sed ab eminentis gratiæ Christi reparatricis amore. Hæc qui legis, sine te trahi ab eadem Christi gratia cum Augustino, Bernardum imitando mellifluu, cui optione data, mallebat errare cum Augustino, quam sapere cum alijs. Patere tantisper invitam prolixitatem mei scripti, impatienter ferentis presentium temporum ignorantias, Ecclesiæ luminaribus injurias.

54. Plura hic à nobis ostendenda sunt, & quasi digito demonstranda. Primò, quòd solutio data non est ad rem. Secundò, quòd est contra D. Thomam. Tertio, quòd est insufficiens: Quartò, quòd est contra Scripturam. Tandem, quòd Augustinus non eo tantum loco id docuit de natura sana, sed alibi, & in Scriptura fundatus, dans doctrinam, quam Tridentinum definiuit de fide. Venio ad singula.

Primò, quòd solutio data non sit ad rem, patet, quia in eo articulo non loquitur D. Thomas de gratia actuali, & auxilio quo, sed de habituali. En verba S. Doctoris: *Virtute gratuita superaddita virtuti naturæ, indiget homine in statu naturæ integræ quantum ad unum, scilicet ad operandum, & volendum bonum supernaturale: sed in statu naturæ corruptæ quantum ad duo, scilicet ut sanetur, & ulterius ut bonum supernaturalis virtutis operetur, quod est meritum.* En loquitur D. Thomas de gratia habituali, quæ est virtus gratuita, addita virtuti naturali: At auxilium quo, & gratia efficax non est gratia habitualis, sed actualis, nec

est virtus sed applicatio virtutis juxta D. Thomam, ut fatentur Thomistæ, de quo vide dicta toto §. 2. ergo hæc solutio non est ad rem, nempe ad gratiam actualem, de qua agitur.

55. Quòd autem solutio sit contra D. Thomam, probatur evidentissimo testimonio, quo S. D. docet eandem Augustini sententiam, & eisdem verbis. Audi S. Doct. 2. 2. q. 137. art. 4. ubi disputat de Dono Perseverantiæ, quærens utrum perseverantia indigeat auxilio gratiæ? Respondet, quòd si perseverantia sumitur pro virtute, indiget gratia habituali. Si sumitur pro actu, indiget gratia habituali, & etiam gratuito auxilio conservantis hominem in bono, ut dictum est cum de gratia ageretur; nempe 1. 2. q. 109. art. 10. Preme rationem: *Quia (ait) cum liberum arbitrium de se sit vertibile, & hoc ei non tollatur per habituale gratiam presentis vite, non subest potestati liberi arbitrii etiam per gratiam reparati, ut se immobilitate in bono statuat: licet sit in potestate ejus quòd hoc eligat. Plerumque enim cadit in nostram potestatem electio, sed non executio.* En hic, & loco 1. 2. nobis objecto, loquitur S. Doctor de homine lapsò, & reparato: de quo dicit indigere auxilio quo ad perseverandù actualiter, quia in ejus potestate non est executio, licet sit electio, quæ velit perseverare. At juxta P. Augustinum, & D. Thomam, homo sanus poterat perseverare si vellet, unde executio erat in ejus potestate: ergo donum actualis perseverantiæ nunc necessarium,

tium, non erat necessarium pro natura innocente juxta utrumque Doctorem.

Explicatur: Juxta D. Thomam nobis lapsis non sufficit velle perseverare, quia electio est in nostra potestate, sed non executio; & hoc ideo, quia laboramus concupiscentia, & alijs infirmitatibus: sed in statu innocentie nulla erat concupiscentia, aut infirmitas, sed erat natura nostra in magna non peccandi facilitate; unde poterat perseverare, si vellet: ergo ex utroque Doctore, donum nunc necessarium ad actualem perseverantiam, non fuit necessarium in natura innocente,

Confirmantur hæc omnia ex doctrina ibi data in solutione ad 2. quod tale erat: *Donum gratiæ Christi est majus, quam nocuum, quod Adā intulit: sed ante peccatum sic conditus fuit homo, ut posset perseverare per id, quod acceperat, sicut Augustinus dicit in lib. de Corr. & Gratia: ergo multò magis homo per gratiam Christi reparatus, potest perseverare absque auxilio novæ gratiæ.* En argumentum, quod facile solveret Gonettus cum Æstio, dicens S. P. Augustinum obscurius ibi loquutum, & sine fundamento in Scripturis; imò contra omnia sua dicta, vel Sanctorum Patrum doctrinam. Aut quòd loquitur de potentia antecedenti perseverandi, quam etiam habemus nos per gratiam, sed indigemus ulteriori auxilio pro actu, & potentia consequenti,

At D. Thomas non respondet sic, sed ut alter Augustinus Gratia

propugnator, & S. Patris vestigia premens dicit: *Ad secundum dicendum, quòd sicut Augustinus dicit lib. de Corr. & gratia cap. 11. primo homini datum est nõ ut perseveraret, sed ut perseverare posset per liberum arbitrium: quia nulla corruptio tunc erat in humana natura, quæ perseverandi difficultatem praberet.* Preme plenam Augustini doctrinam. Prosequitur. *Sed nunc predestinatis per gratiam Christi, non solum datur, ut perseverare possint, sed ut perseverent.* Vnde primus homo nullo terrente contra Dei terrentis imperium, liberi usus arbitrii; non stetit in tanta felicitate cum tanta non peccandi facilitate: isti autem saviente mundo, ne starent, steterunt in fide. Hæc D. Thomas, quibus nedum Augustini sententiam probat, sed materialia ejusdem verba, quæ transcripsit, reponit.

Quo vides D. Thomam sub eadem censura Æstij, & Gonetti, cum P. Augustino manere: quare S. Doctor nec loco ab eis allegato 1. 2. q. 109. art. 10. nec loco à nobis hæc laudato ex 2. 2. ubi præsertim disputat de Dono Perseverantiæ, non solvit dubium de quo in presenti. Imò hic approbans Augustini doctrinam, solutio data à contrarijs ex Præceptore Angelico, contra ipsum est. Quòd si eis videtur obscura, contrarium observat Emin. noster Noris in vindicijs Augustinianis, testans nullum argumentum ab Augustino operosius solutum, quam illud Massiliensium, cujus occasione doctrinam istam dedidit per tria integra capita 10. 11. & 12.

56 Venio ad 3. nempe quod solutio data sit insufficientis. Pro quo audiendum est argumentum Semipelagianorum, cuius occasione hæc distavit P. Augustinus. Arguunt sic lib. de Corr. & Gratia cap. 10. de Adamo loquentes: *Non ergo habuit in illo bono perseverantiam, & si non habuit, profectio non accepit. Quomodo enim, & accepisset perseverantiam, & non perseverasset? Porro si propterea non habuit, quia non accepit; quid ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit? Nec enim dici potest, ideo non accepisse, quia non est discretus à massa perditionis gratia largitate. Nondum quippe erat illa in genere humano perditionis massa, antequam peccasset, ex quo tracta est origo vitiata.*

Sic arguebant Monachi Aduemetini Augustiniani professione, & voto, sed non doctrina, contra S. Parentem ubique docentem gratiam Dei tum ad primum velle, tum ad quæcumque opera bona, tum ad perseverantiam in bono, esse donum Dei, quod dum datur, gratis, & ex misericordia datur; quibus autem negatur, iuste denegatur, & in pœnâ peccati, saltem originalis, per quod tota massa naturæ humanæ corrupta est; nec datur ulli donum perseverantiæ finalis, nisi illis, qui misericorditer sunt discreti à massa illa perditionis. Hæc fuit tota Augustini doctrina contra Pelagianos, & eorum reliquias, nec aliud docent Scripturæ sanctæ, ut omnes Theologi fatentur. Contra istam doctrinam opponebant Aduemetini argumentum factum, de Ada-

mo, qui ante primum peccatum non erat de massa corrupta, sed de massa sana, & pura: & tamen ei negatum est donum perseverantiæ; alioquin si ei datum esset, perseverasset in originali iustitia: ergo vel ei iniuste denegatum est, & sine demerito; vel cum illi non sit datum, nulli datur, & nulli tale donum necessarium est ad perseverandum.

Respondet S. Pater concedendo quod Adamo non est datum tale donum; ceterum illi non erat necessarium ad perseverandum, quia in statu innocentie perseverantia pendebat ex libero ejus arbitrio, adjuto per auxilium sine quo. Nunc autem in natura corrupta non sufficit tale auxilium, sed ultra requiritur auxilium quo, dans non solum posse, sed ipsam actualem perseverantiam. Si enim hoc auxilium quo fuisset necessarium in natura innocente, & illi denegatum ante primum peccatum; duo sequerentur, nempe quod iniuste denegatum esset, aut saltem sine iustitia. Rursus, cecidisset Adamus sine culpa. Sicut, quia auxilium sine quo erat necessarium, hoc negato, sine culpa cecidisset, ibi: *Si enim hoc auxilium (intellige de dante posse) homini, vel Angelo, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura erat, ut sine Divino adjutorio permanere posset: si vellet, non utique sua culpa cecidisset: adjutorium quippe defuisset sine quo permanere non posset, si vellet; nunc autem quibus non datur, jam pœna peccati est.*

Hæc est solutio Augustini, nec alia

alia est excogitabilis sufficiens pro argumento Aduemetinorum. At interpretatio Gonetti, & RR. Thomistarum evertit hanc Augustini doctrinam, & reddit solutionem ejus insufficientem: ergo inepta est, & contra S. Parentem. Probat minor. Quomocumque ponatur auxilium quo necessarium, & negatum sine præcedenti culpa, tenet argumentum Semipelagianorum, & evertitur tota Augustini doctrina, ut patet ex dictis. Sed interpretatio Gonetti, & aliorum, ponit auxilium quo necessarium, saltem unico titulo, nempe ad operandum; & tenetur concedere fuisse Adamo denegatum ante primum peccatum: ergo &c.

57 Venio ad quartum, nempe quod solutio Gonetti est contra Scripturam. Hoc patet; quia summa illius est, quod auxilium quo est necessarium ad perseverandum in omni statu, sed negatum est Adamo ante primum peccatum, sicut Angelis, qui ceciderunt, nullo in ipsis præcedente demerito, nullaque ab ipsis data causa. Hoc habet contra se plenè Sacram Scripturam: *Universa via Domini misericordia, & veritas, id est iustitia, ut exponunt SS. PP.* Sed negatio talis auxilij nullum in creaturis supponens peccatum, non fuit iustitia, quæ nequit punire innocentem; nec misericordia, ut patet, quia Deus auxiliando miseretur, non autem deferendo: ergo jam Deus ad extrâ viam habet, quæ non est veritas aut misericordia.

Rursus, Osee 3. dicitur: Per-

ditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum. Quod explicans D. Thomas 1. 2. q. 112. art. 3. dicit: *Quod defectus gratiæ causa est ex nobis: sed collationis gratiæ prima causa est ex Deo, secundum illud Osee, Perditio tua &c.* Sed ante primum peccatum nulla fuit causa in Adamo, & Angelis, ut eis deficeret, & denegaretur auxilium quo, ut patet: ergo prima causa hujus defectus gratiæ fuit Deus; quod est absurdissimum, contra Scripturam, & omnes PP. Vide S. Thomam ubique, sed præcipuè 3. contra Gentes cap. 159. & q. 3. de Malo S. Anselmum lib. de Casu diaboli, cap. 3. docentem, unicam causam cur diabolus non accepit gratiam, fuisse quia non voluit accipere. S. Prosperum lib. 2. de Vocatione Gentium, 26.

Imus in longum circa rem patientem, quare brevius probatur hoc testibus primi sublellij. Sit ergo pro nobis Conciliū Tridentinum sessione 6. cap. 11. dicens: *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis primum deseratur.* Quod à M. P. Augustino prius dictum est 4. confes. cap. 9. dicente: *Te nemo amittit, nisi qui te dimittit.* Sed Deus, negans auxilium quo requisitum; deserit creaturam; nec ab Adamo innocente desertus est: ergo antequam deserere tur Deus, deseruit: quod contra Concilium est, & veritatem Scripturarum.

58 Audi S. Thomam idipsum testantem, quest. 1. de Malo art. 4. per hæc verba: *Habet hoc traditio fi-*

dei, ut nullum nocumentum creatura rationalis potuisset incurrere, neque quantum ad animam, neque quantum ad corpus, neque quantum ad aliqua exteriora, nisi peccato precedente vel in persona, vel saltē in natura. Et sic sequitur quod omnis boni talis privatio, quo uti quis potest ad bene operandum, in hominibus pœna dicitur, & pari ratione in Angelis. En est de fide juxta D. Thomam, quod omnis privatio boni, quo creatura rationalis uti potest ad bene operandum, est pœna, & supponit peccatum periale, vel originale: sed in statu innocentie ante primum peccatum non supponebatur ullum peccatum: ergo dicere ante primum peccatum fuisse negatum auxilium quo necessarium ad bene operandum, & perseverandum, est contra fidei traditionem.

Nec S. Doctor id tantum voluit relinquere libero assensui nostro, sed verē Angelicus id probavit efficacissima ratione in 1. sent. dist. 40. q. 1. art. 2. ubi ait: *Hominem carere gratia, ex duobus contingit, tum quia iste non vult accipere: tum quia Deus non sibi infundit, vel non vult ipsi infundere.* Horum autem duorum talis est ordo, ut secundum non sit, nisi ex suppositione primi: (preme rationem) cum enim Deus non velit, nisi bonum, non vult Deus istum carere gratia, nisi secundum quod bonum est. Sed quod iste careat gratia, non est bonum simpliciter, unde hoc absolute consideratum non est bonum, nec volitum à Deo. Est tamen bonum, quod careat gratia, si eam habere non vult, vel ad eam habendam negligenter

ter se pręparet, quia justum est, & hoc modo à Deo volitum: ex quo patet, quod hujus defectus absolute causa prima est ex parte hominis, qui gratia caret.

Ecce rationem. Deus nequit denegare gratiam, nisi volens; nec Deus potest velle carentiam gratiæ, nisi sit bona: sed carentia gratiæ absoluta non est bona, bene autem carentia gratiæ in eo, qui vel peccavit, vel negligenter se pręparavit; quia sic est justa, & habet rationem pœnæ, quæ bona est: ergo Deus nequit velle negare gratiam, nisi danti causam peccando, nollendo accipere, aut negligenter se habendo. Vide quàm verē dicit sæpè P. Augustinus, quod eis quibus negatur gratia, in ipsis itidem causa est. Et quibus autem negatur, jam pœna peccati est.

59 Venio ad ultimum quod promisi ostendere. Et quidem quod S. Parens non tantum lib. de Corr. & Gratia docuerit hanc doctrinam de natura sana. Ecce alios textus ex varijs operibus S. Doct. in lib. de Dono Perseverantiæ cap. 3. dicit supra illa verba orationis Dominicæ: *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo*, quibus probatur quod perseverantia est donum Dei; & ob id illud oramus à Deo: *Qui enim non infertur in tentationem, non discedit à Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt; fuerat tamen in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit apparuit in Angelis, qui, diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt; & ad*

ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc sunt, pervenire meruerunt. Post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo. Hinc gratiam posuit in illo, in quo sortem consecuti sumus (nempe in Christo) prædestinati secundum propositum ejus, qui universa operatur: ac per hoc sicut operatur ut accedamus, sic operatur ne discedamus.

In hac autoritate docet eandem sententiam S. P. & plura notanda sunt. Primum perseverare in bono, nunc non est omnino in potestate liberi arbitrij, nota ly *omnino*; fuerat tamen *omnino* in potestate hominis antequam caderet. Rursus, quod hæc potestas non sit purè antecedens, sed consequens, & cum effectu ostenditur juxta Augustinum in Angelis sanctis qui perseveraverunt per liberum arbitrium. Quo redarguitur Gonettus, qui ad suadendam impotentiam liberi arbitrij innocentis, adducit infelicem lapsum Adami. Redarguitur, nam cōtrarium sentit Augustinus, qui pro ostendenda potētia innocentis hominis, adducit pro exēplo perseverantiæ felicem Sanctorum Angelorum. Denique dicit S. P. quod post lapsum voluit Deus quod perseverantia nostra pertineret ad suam gratiam, nepe ad auxilium quo. Ergo ante lapsum pertinebat ad liberum arbitrium cū auxilio sine quo, unde de Sanctis Angelis dicit: *Per idem librum arbitrium steterunt ipsi.*

60 Rursus. Cū S. P. Augustinus necessitatem gratiæ prober cōtra

Pelagianos ex orationibus Ecclesiæ, ut vidimus num. 33. nihilominus lib. 6. operis imperfecti cap. 5. ad illa verba: *Ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo*, respondet: *Quod si ita esset in potestate, quomodo fuit ante peccatum, priusquam esset natura vitiosa, non utique posceretur orando, sed agendo potius teneretur.* Em teste Augustino, Adamus non indigebat orare pro actuali perseverantiā, & potentia consequente. At si ista esset donum distinctum ab auxilio sine quo, & requisitum in eo statu, illam deberet orare; ut fatentur, & probant contrarij: ergo teste Augustino, nullum donum aliud erat requisitum pro Adamo innocente; ubi vides quàm diversis locis tenuerit eandem sententiam.

Scimus D. Thomam 1. p. q. 94. art. 4. ad 5. observasse, quod Adamus debuit orare, & ideo peccavit, quia non oravit. Quod videtur desumptū ex Epist. S. Gelatij Papæ dicentis: *Si in ipsis primis hominibus, dum sua nimium felicitate confidunt, & tantam Dei gratiam in vacuum recipientes, non orando, quod utique nusquam fecisse referuntur; nec de receptis gratias referendo, nec ut eadem intemerata durarēt, suppliciter implorando, incolumes consistere nequiverunt: quanto magis post prævaricationis ruinam &c.* Hoc scimus ab adversarijs contra nos urgeri, quod infra conciliabitur clarè cum sententia M. P. Augustini. Sat sit in præfenti ostendere S. P. non eo tantum loco de Corr. & Gratia, docuisse sententiam illam de distinctione

ne utriusque statūs.

61 Restat contra Gonettum, & Ælium ostendere Augustinum hanc doctrinam tradidisse, fundatum in Scriptura. Hoc patet, quia summa doctrinæ Augustinianæ est, quod *ante primum peccatum nulla gratia requisita ad perseverandum, & operandū, denegata est.* Quare cum Adamo innocenti non sit datum auxilium *quo* ad perseverandum: inde infert illud non fuisse necessarium in statu innocentie. At illa prima propositio, quæ est cardo totius doctrinæ hic datæ, illa est expressa in sacris litteris, & est dogma fidei juxta D. Thomam, docetur, & definitur à Tridentino, & ratione convincitur à D. Thoma, ubi supra num. 57. & 58. Ergo sacris testimonijs munitus, & consequenter ad ea, quæ constanter docuit ubique contra Pelagianos, nempe gratiam nunquam negari, nisi in pœnam peccati, tradit hic S. Pater doctrinam de distinctione utriusque status.

Ex dictis constat solutionem Gonetti, quæ communissima est his temporibus, nedum esse insufficientem; contra mentem Augustini, & D. Thomæ: sed astruens auxilium *quo* fuisse Adamo innocenti necessarium, eique denegatum ob metam voluntatem Dei, nulla præcedente causa ex parte creaturæ, salva fide sustineri non potest, ut satis probatur ex dictis num. 57. & 58.

62 Ut ergo in re difficili, quid teneamus, ostendamus breviter, veramque, ac genuinam solutionem ex D. Thoma, & M. P. Augustino pro-

ponamus; quæ certissima sunt supponemus. Primò supponimus, ut veram, & expressam in D. Augustino; distinctionem utriusque status, quam observat Iansenius juxta dicta num. 47. nec non distinctionem utriusque adjutorij *quo* & *sine quo*.

Supponimus secundò, doctrinam S. Parentis non esse de auxilio requisito ad benè operandum in statu innocentie, sed de requisito ad perseverandum. Hoc patet vel ex solo argumento Adrumetinorum, posito num. 56. inde inferens quod non accepit donum perseverantiæ, quia non perseveravit. At non valet dici, non accepisse donum amoris, quia non amavit; cum revera Adam, & Angeli Deum amaverint, *Qui eos cum amore casto, quo illi adbererent, creavit, simul condens naturam, & largiens gratiam*, ut dicit S. P. libro de Civ. 12. cap. 9. Ergo doctrina S. Parentis in libro laudato, non est de auxilio *quo* requisito ad amandum Deum, & benè operandum in statu innocentie; sed de requisito unice ad perseverandum in bono.

Hinc sequitur, quod non benè Iansenius, & Theologi, eidem assentientes, relegant à statu innocentie plenè auxilium *quo*; nec distinctio utriusque status stat penes hoc. Nam de mente Augustini solum constat loco laudato, & alijs à nobis citatis, tale auxilium non fuisse necessarium ad perseverandum; sed quod ad amandum Deum, ad credendum, sperandum, ad adorationem Dei, ad cultum patriæ, ad gratiarum actiones, & ad alia

alia salutaria; nec verbum est in S. P. Augustino, excludens pro his necessitatem auxilij Dei. Imò docet oppositū, dicens: *Tunc Deus dederat homini bonam voluntatem*, sic cap. 11. gratia dans velle juxta P. Augustinū est auxilium *quo*: ergo pro primo velle, imò pro reliquis actibus supernaturalibus, fuit etiam Adamo innocenti necessarium auxilium *quo*. Et hoc probant benè Thomistæ locis datis supra num. 52.

Quibus accedit ratio Theologica quidem, ut omittamus Philosophicas, quæ displicent Iansenio. In nullo statu potest esse meritum, quod non sit supernaturale, & supra naturam; ut contra Pelagianos, ponentes merita naturalia, sapius diffinitum est. Omne autem meritum supernaturale debet esse effectus Dei authoris supernaturalis, qui teste Isaia cap. 51. Omnia opera nostra in nobis operatur. Sed gratia, qua Deus in nobis nostra opera operatur, est auxilium *quo*, quod à M. P. Augustino probatur ex Apost. ad Philip. 2. *Deus est qui operatur in nobis & velle, & perficere*, vel ut legunt alij, *& operari*. Ergo in omni statu juxta S. P. Augustinum, & veritatem, est necessarium auxilium *quo* ad volendum, & operandum.

Hinc sequitur secundò, perpetuam pro distinctione statuum poni à Iansenio scientiam mediam pro innocentibus, scientiam autem visionis, fundatam in decreto Thomistico, pro lapsis. Tum, quia etiam pro innocentibus est necessarium auxilium *quo*,

ut ostensum est. Tum quia auxilium *quo*, si exponitur ut à nobis cum P. Augustino, stat cum scientia media in statu lapsis, vel sine ea in utroque statu, ut videbimus in fine quæstionis. Quare pro distinctione statuum impertinens est distinctio scientiarum in Deo;

63 Hinc patet, quod tota difficultas præsens stat unice in salvando, quod Adamus innocens non indigebat auxilio *quo*, dante perseverantiâ; benè tamen Adam, & posterii lapsi. Hoc clarè demonstratur in nostris principijs, ut vel eo solum probetur, quod nostra sententia de constitutivo auxilij *quo*, est plenè Augustiniana. Docet nostra sententia hoc auxilium ad primum velle, esse physico-morale, constans ex morali vocatione Dei, & ex physico Dei influxu in actus bonos; sed, taliter, ut influxus ille semper detur consentienti vocationi morali, nec negetur, nisi ei qui dissentit Deo vocanti, & ponenti impedimentum gratiæ Dei effectivi. Hinc sequitur, quod ille potest perseverare in justitia accepta per longum tempus, qui potest per longum tempus nullum ponere impedimentum Deo excitanti, vocanti, & pulsanti.

Hoc potuit Adamus innocens per solum auxilium *sine quo*; nos autem non possumus sine ulteriori auxilio, postea explicando. Solutio hæc est D. Thomæ, & M. P. Augustini. Audi S. Thomam 3. contra Gentes cap. 159. cujus verba dedimus num. 42. ubi docet, quod in potestate liberi arbitrij

arbitrii est ponere, vel non ponere impedimentum gratiæ Dei. Et cap. 160. dicit: *Quod autem dictum est, in potestate liberi arbitrii esse, ne impedimentum gratiæ præstet, competit his, in quibus naturalis potentia integra fuerit.* Hæc S. Doctor, quibus bene subjungit commentator Ferrariensis: *vult (idest D. Thomas) quod in statu naturæ integræ, sive in statu, quo homo erat sub iustitia originali, in facultate liberi arbitrii erat præstare impedimentum gratiæ, vel non præstare.* Ecce teste D. Thoma, & commentatore ejus sub eo auxilio sub quo nos lapsi non habemus facultatem ponendi, vel non ponendi impedimentum, eam facultatem habuit Adam innocens: ut de nobis hæc impotentia verificaretur dum solum habemus auxilium sine quo, nam posito in nobis auxilio quo, habemus plenam potestatem non impediendi gratiam, & perseverandi cum effectu: ergo juxta D. Thomam natura cum solo auxilio sine quo, potest non impedire gratiam, si est natura innocens; secus si est lapsa, & infirma.

Prosequitur D. Thomas loco laudato dicens: *Si autem per inordinationem præcedenti declinaverit ad malum, non erit omnino in potestate ejus nullum impedimentum gratiæ præstare.* Nota bene *ly omnino*, ut videas S. Doctorem nedum sententiam, sed verba à Parente Augustino mutuasse. Dicit sic P. N. libro de Dono Perseverantiæ cap. 3. *Qui non infertur in tentationem, non discedit à Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt; fuerat*

tamen in homine antequam caderet.

Prosequitur D. Thomas, *ibi: Etsi enim per aliquod momentum ab aliquo peccato actu particulari possit abstinere propria potestate (nempe natura lapsa) si tamen diu sibi relinquatur, in peccatum cadit, per quod impedimentum gratiæ præstatur.* En explicatio illius omnino. Fuit omnino in vicibus naturæ sanæ non impedire gratiam, quia per multum tempus potuit vitare impedimentum. Sed non est omnino in vicibus naturæ lapsæ non impedire, quia non potest diu, sed ad breve momentum vitare impedimenta. Ob hæc dicit sæpè P. Augustinus: *Quod liberum arbitrium primi peccati granditate perdidimus* Non quia plenè libertas nostra ablata sit, ut erroneè tenent Lutherani, damnati à Tridentino; sed quia servientes peccato, amisimus illam potestatem, quam habebamus vitandi diu impedimenta gratiæ, & sic perseverandi in iustitia; quæ potestas redacta est ad posse per aliquod momentum, quod revera dicit liberum arbitrium non esse plenè extinctum, sed ita vulneratum, ut sine ulteriori dono non possit, ut antea poterat perseverare. Ratio quæ ibi datur à D. Thoma, ne post peccatum possimus diu perseverare, est plenè Augustiniana, videatur loco laudato, dum hic reponimus verba P. Augustini.

Dicit sic lib. 2. de Peccatorum meritis, & remiss. cap. 17. quærens, cur homo non sit in hac vita sine peccato, cum tamen possit? *Possent (ait) facillimè respondere, quia homines nolunt. Sed si ex me queritur, quare nolunt?*

nolunt? Imus in longum. Veruntamen etiam hoc sine præjudicio diligentioris inquisitionis, breviter dicam. Nolunt homines facere quod justum est; sive quia latet quod justum est; sive quia non delectat. Et infra: Ignorantia enim & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum bonum. Et infra: Ut enim innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adjurat voluntatem.

Eadem impedimenta numerat S. Thomas loco laudato 3. contra Gentes; & quæst. 3. de Malo, ubi ait: *Ex indispositione hominis provenit, ut motio Dei primi moventis non sit perfecta, ita ut perfectam operationem producat. Quæ indispositio vel est præcedens peccatum, vel error, ignorantia, vel saltè inadvertentia, propter quorum aliquod motio Dei moventis sufficienter ad bonum, non sit ita efficax, ut perfectam in homine operationem producat: quæ omnia relata ex culpa hominis sunt.* Ecce juxta Augustinum *ignorantia & infirmitas præcedentis peccati, impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum bonum.* Ecce etiam juxta D. Thomam *ignorantia aut saltè inadvertentia, vel præcedens peccatum, est id propter quod motio Dei moventis sufficienter ad bonum, non est ita efficax.* Ergo cum in statu innocentie nullum fuerit peccatum, nulla infirmitas, aut ignorantia; poterat liberum arbitrium omnino, & per multum tempus nullum ponere impedimentum gratiæ Dei, & sic diu perseverare per solū auxiliū sine quo. In statu autem naturæ lapsæ per illud

auxilium non potest omnino, hoc est diu vitare impedimenta, sed per aliud quod momentum tantum, ut docet D. Thomas plenè, & plenè Augustino concordans.

64. Restat videre quid est hoc auxilium quo, requisitum in natura lapsa ad perseverandum diu, sed non requisitum in natura innocente. Breviter respondeo, illud, esse amorem ferventissimum Dei, quem S. P. Augustinus vocat *ardentissimam charitatem.* Res est clarissima in P. Augustino loco laudato de Corr. & Gratiæ cap. 11. ubi de Gratiæ Adami, & de natura loquitur, utramque constituens per amorem, cum solo discrimine, quod nostra gratia est amor fervidissimus, & idè potentior, quare non solum dat nobis posse diu perseverare, sed actualem perseverantiam, diuturnam, & actuale velle perseverare.

Ibi: *Hæc est prima Gratiæ, quæ data est primo Adam, sed hæc potentior in secundo Adam* (hoc est in Christo, qui est secundus homo de Cælo Cælestis, sicut Adam primus homo de terra terrenus) *Prima est enim quæ fit, ut homo habeat iustitiam, si velit; secunda ergo plus potest, quæ etiam fit, ut velit: (nota rationes) & tantum, tantoque ardore diligit, ut carnis voluntatē, contraria concupiscentem, voluntatē spiritus vincat.* En illa sæpè laudata *victrix delectatio*, nempe amor Dei fervidus delectans animam, & vincens in nobis amorem concupiscentiæ carnalis concupiscentiæ contraria spiritui. *Gratiæ autem Adami etiam constituit*

stituit P. N. per amorem, sicut, & Angelorum, inferens ex eo quod eos creavit cum amore casto, quod simul erat condens naturam, & largiens gratiam. Vnde lib. 12. de Civ. Dei cap. 9. dicit de ijs qui ceciderunt, quod aut exceperunt minorem Divini amoris gratiam &c. Hinc cum utraque gratia consistat in amore; utriusque discrimen tantum est, quod amor noster ferventior est, idem validior, & potentior, non tantum dans posse perseverare, sed dans velle, & actualem perseverantiam.

Ob id iterum describit gratiam istam dans posse, & velle perseverare cap. 12. libri laudati de Corr. & Gratia dicens: *Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum* (nempe Sanctorum perseverantium) *ut idem sic possint*, (scilicet perseverare) *quia sic volunt* (nempe perseverare) *& idem sic velint*, quia Deus operatur ut velint: (nempe medio incendio amoris Spiritus sancti accendentis) *nam si in tanta infirmitate vite hujus, in qua propter elationem reprimendam, perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adiutorio Dei* (hoc est in amore minus fervido) *sine quo perseverare non possent, manerent, si vellet, nec Deus in eis operaretur ut vellet* (medio amore fervidissimo) *inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & idem non vellet* (nempe perseverare), *aut non ita vellet* (nempe fortiter) *infirmitate voluntatis, ut posset.*

65 Notandum, quod P. Augustinus cum Apostolo sentit quod gratia,

qua precepta Dei sunt nobis facilia, & suave jugum Domini, est charitas, & amor fervidus: eo etiam vincunt externae tentationes, & interna lacta concupiscentiæ, rebellantis contra eum. Ob id docet lib. de Gratia, & lib. arbitrio cap. 16. & 17. *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam, & invalidam; poterit autem, cum magnam habuerit, & robustam.* Et lib. de Perfectione justitiæ cap. 10. *Charitas facit precepti sarcinam non solum non prementem onere ponderum, verum etiam sublevantem vice pennarum.* Intellige de charitate, & amore fervido.

Vnde loco laudato de Gratia, & lib. arb. dicit: *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Quid est omnia, nisi ipsas etiam terribiles, & savas passiones? Sarcina quippe illa, qua infirmitati gravis est, levis efficitur charitati.* Ne autem de quantumque charitate, sed de fervida id intelligas, subjungit immediatè: *Talibus enim Dominus dixit esse suam sarcinam levem, qualis Petrus fuit quando passus est pro Christo, non qualis fuit quando negavit Christum.* Quia, nempe, dum negavit, habuit quidem charitatem, sed parvam, non magnam, quæ seras mittit timorem, ut ex S. Ioanne docet ibi M. P. Augustinus. At quando pro Domino passus est, tunc habuit magnam, quia teste Domino: *Majorem hac dilectione nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Quapropter subjungit statim: *Istam*

*Istam charitatem, id est Divino amore ardentissimam charitatem, commendans Apostolus, dicit: Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio &c. Quo vides ex Apostolo, & M. P. Augustino, quod fervidus amor vincit omnes tentationes internas, & externas, quas hic numerat Apostolus. Imò ipse declinat nos à malo, & facit facere bonum, in quo stat donum perseverantiæ; audi Apost. 1. ad Corinth. 13. *Charitas patiens est, benigna est: charitas non emulatur, non agit perperam: non inflatur, non est ambitiosa, non querit que sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congraudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.**

Hæc charitas fervida est gratia Christi, qua indiget homo post lapsum, ad perseverandum in bono. Ejus indigentia patet tum ex dictis, tum quia laborantium amore concupiscentiæ post lapsum, non aliter sanari potest hæc infirmitas, nisi amore contrario nempe charitatis. *Contraria enim contrariis curantur, & Cælestis medicus* (ait Magnus Gregorius Hom. 132.) *contraria opposuit medicamenta peccatis.* Venerat curare amorem inordinatum: curavit nos, ordinando in nobis charitatem; & non utcumque, sed fervidam; ob id dixit: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Lucæ 12. Hic ignis est gratia Christi, tum quia ejus meritis datur nobis; tum quia est medicinalis: tum quia hæc sola est illa, quæ

potentior est in secundo Adam, qua sola vincimus carnis voluntatem, contraria concupiscentem. Hanc petimus, dum gratiam ejus oramus. Augustinus lib. 2. de Peccatorum meritis, & remis. cap. 17. *Cum autem ab illo illius adiutorium deprecamur, quid aliud deprecamur, nisi cognitionem, & amorem?* Et lib. de Gratia, & lib. arb. cap. 16. *Ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus.*

66 In simili doctrina, quæ P. Augustinus tractatu 26. in Ioannem exponerat, quomodo, & quali medio, Pater Æternus trahit nos ad Christum, dicit: *Daramantem, & sentit quod dico: da desiderantem, da essurientem, da in ista solitudine peregrinantem, & sitientem, & fontem æternæ patriæ suspirantem; da talem, & scit quid dicam.* Si autem frigidus loquor, nescit quid loquor. Ergo ut tot Scripturæ, & S. R. Augustini testimonia, te doceant de vero constitutivo gratiæ Christi, & auxiliij quo, requisiti in hoc statu ad perseverandum, ama Deum, & cum Bernardo ferm. 74. in Cantica dicere poteris: *Ex motu cordis intellexi presentiam ejus.* De sic amante dicitur Psalm. 20. *Quoniam prevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Amor ille fervidus, per Christum datus, est benedictio dulcedinis, qua prevenimur, ut vincentes mundum cum concupiscentiis ejus, coronemur: & Deus reddens gloriam pro hoc amore, dat gratiam, pro gratia, ut ait P. Augustinus, volens nostra esse me-

rita, quæ ipsius sunt dona. Nam totum meritum est amor ille, & hic donum Dei est.

Iste est amor, qui ædificat Cœlestem Hierusalem, sicut contrarius Civitatem Babylonis, teste probato utriusque amoris P. Augustino lib. 14. de Civitate Dei cap. 28. dicente: *Fecerunt itaque civitates duas amores duos, terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei; Cœlestem vero amor Dei usque ad contemptum sui.* Quod desumptum videtur ex Apost. 1. ad Corinth. cap. 3. Ergo gratia, quæ nos facit in sancta ædificatione perseverantes, amor Dei est, non qualiscumque, sed fervidus, & usque ad contemptum nostri. Contrarius amor ducit nos in interitum, usque ad contemptum Dei per peccatum; quo Deus legislator contemnitur, & creaturæ postponitur. Vide S. Thomam opusc. 61. de Dilectione Christi cap. 4. ubi habet plenè hanc doctrinam Augustinianam. Aliqua ejus verba ponam, ut concludam probationem meam.

Dicit sic: *Apprehensa suavitate, & dulcedine Dei, moveor concupiscens, hoc est diligere. Sed cum motus continuus habeat principium, medium, & finem, hunc motum sequitur motus, quasi progressivus, hoc est ad habendum, & fruendum: Sed quia non possum habere, vel frui sine meritis, secundo moveor me ad merendum, qui motus multiplicatur, secundum quod multis modis mereri contingit. Ex hac parte accidit motus impletionis præceptorum affirmativorum, tanquam eorum, quæ sunt ad habendum*

necessaria: & Consiliorum, tanquam eorum, quæ sunt utilia: prohibitionum, tanquam quæ motus ab his impediunt: hinc est motus ad amandum proximum, quia præceptum. Secundum hoc Glossa dicit: charitas Dei generat amorem proximi: qui motus est principium, & causa omnium motuum, qui ordinant ad proximum, etiam extenso nomine motus ad moveri à malo, & moveri ad bonum: & secundum hoc dicitur ad Rom. 13. Plenitudo legis est dilectio.

Et infra. *Motus igitur primus scilicet dilectionis Dei in voluntate, ut ens in subiecto, causat alium motum, scilicet dilectionis proximi in eodem subiecto. Cum voluntas habeat imperium super potentias inferiores &c. Secundum hoc movet linguam ad laudandum Deum, orandum, & similia: aures ad audiendum de ipso: oculos ad intuendum vestigia ejus, scilicet creaturas, & sic de alijs membris & actibus: sed inter hos motus est ordo. (Eo autem explicato, prosequitur.) Hinc patet quod omnes virtutes motrices sunt, & quasi motores moti ad alia, & secundo movent: charitas autem est quasi motor primus. Unde cum Bernardo concludit dicens: Qui amat ardentius, currit velocius. En auxilium quod ad perseverandum in bono, ad declinandum à malo, & faciendum bonum, quo plenè, & primò movemur implere legem Dei, nempe Dilectio Dei, sed non qualibet, sed ardentior, quæ P. Augustinus supra dicebat ardentissimam charitatem.*

67 Ex dictis pro auxilio quo, requisito ad perseverandum finaliter, quæ deserviunt etiam pro explicanda

sen.

sententia nostra de gratia requisita ad facere, de qua infra erit secunda conclusio nostra; ita solvitur argumentum Iansenij, ut plenè evanescat. Admittimus distinctionem utriusque status naturæ, innocentis, & lapsæ: item distinctionem utriusque adjutorij, concedimus etiam Adam innocentem non indignis auxilio quo, à nobis explicato, ad perseverandum; quia cum minori amore Dei, ac nos nunc, potuit perseverare consequenter ille, qui nullo concupiscentiæ, contraria spiritui concupientis, laborabat amore noxio. Inde tamen ineptè infertur, quod non indiguerit auxilio quo tum ad primum velle, tum ad operandum supernaturaliter; nam sanitas arbitrij non dedit ei potestatem faciendi se meliorem, ac à Deo factus est, ut ait S. P. Augustinus: nec pro actibus supernaturalibus est magis proportionata natura ante peccatum, quam post peccatum. Semper enim est principium naturale, egens virtute elevante ad ordinem supernaturalem, & gratia actuali physicomorali, movente moraliter, & efficienter, ut abundè constat ex dictis. Sic docuit D. Thomas q. 3. de Malo art. 1. ad 9. dicens: *Quod aliter loquendum est de homine secundum statum naturæ conditæ, aliter secundum statum naturæ corruptæ, quia secundum statum naturæ conditæ homo nihil habebat impellens ad malum, licet bonum naturæ non sufficeret ad gloriæ consecutionem. Et ideo indigebat auxilio gratiæ ad merendum, non autem indigebat ad peccatum vitandum, quia per hoc, quod naturali-*

ter acceperat, poterat stare. En sententia nostra.

Hinc nego, quæ num. 48. dicta sunt ex Iansenio, nempe quod tota ratio indigendi auxilio quo, sit infirmitas peccati juxta P. Augustinum. Et quidem in lib. de Corr. & Gratia, non dat aliam rationem Patens noster: at ibi solùm agit de auxilio, requisito ad perseverandum, ut dictum est, & probatum num. 62. At dum contra Pelagianos agit de auxilio requisito ad fidem, spem, charitatem, & quodcumque opus meritorium, id probat alijs rationibus, nempe titulo supernaturalitatis, quo non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, ut ait Apostolus; titulo discretionis, quo nemo se discernit, sed unice Deus per gratiam: quod etiam ad Angelos, & homines innocentes, extendendam putat de mente Augustini S. Anselmus libro de Casu diaboli. Imò etiam usus est P. N. ratione illa Thomistica de subordinatione causæ secundæ ad primam, disputans contra Ciceronem lib. 5. de Civit. Dei cap. 9. & 3. de Trin. cap. 3. & 5. de Gen. ad litt. cap. 20. quare hæc ratio non facit purè Aristotelicos, ut ait Iansenius, sed nos efficit etiam Augustinianos. De illationibus doctrinæ Iansenij factis dictum est.

68 Duo tantum restant explicanda in hoc puncto. Primum est: si ad perseverandum in statu innocentie sufficit auxilium sine quo, cur dicit P. N. lib. 12. de Civ. Dei cap. 9. de Angelis cadentibus: *Aut minorem acceperunt Divini amoris gratiam, quam*

illi, qui in eadem perseverant; aut si utriusque equaliter boni creati sunt, illi amplius adjuti &c. En videtur quod auxilium sine quo vel non fuit æquale in omnibus; vel si æquale, Sancti perseverantes fuerunt amplius adjuti, id est novo auxilio: alioquin æqualiter tentati, æqualiter cecidissent. Si novo auxilio adjuti sunt: ergo primum sine quo, revera non erat sufficiens juxta S. P. Augustinum.

Noster Lafosse dicit auxilium fuisse æquale, & tantum sine quo in omnibus. Sed pro sanctis conjunctum est cum decreto Dei de illorum perseverantia; quod decretum non fuit pro cadentibus. Ob id S. P. dicit, Sanctos fuisse amplius adjutos. Hæc solutio est sufficiens, si teneas talia decreta: nam per decretum recipit auxilium aliquam efficaciam, ut ait Lafosse, unde est majus auxilium. Ceterum reddit argumentum Societatis contra sufficientiam gratiæ, de quo num. 31. Nam si hujusmodi efficacia extrinseca, veniens à decreto, erat necessaria ad perseverandum: ergo auxilium sine illa non erat sufficiens. Quomodo ergo imputatur demonibus non stetit, si non habuerunt sufficientem gratiam ad perseverandum?

Dicendum nobis est: quod Sancti Angeli fuerunt amplius adjuti, ly amplius non entitativè, sed moraliter: quoniam ex parte vocationis, & illustrationis fuerunt congruentius vocati, & congruentius afflati amore Dei, ne distraherentur à contemplatione Dei, ut distracti sunt alij, qui

propriam excellentiam contemplantes, non Divinam, intumescerent, ut tandem superbirent. Sic dictum est num. 30. de mente Augustini pro sententia PP. Societatis, eos vocari efficaciter, qui vocantur congruenter. Et potest accidere quod aliquis vocetur majori vocatione entitativè, sed incongruenter; quare non est major, sed minor moraliter. Vel dici potest, fuisse amplius adjutos Sanctos perseverantes, sed ly amplius intra eandem speciem auxilij sine quo: nam magis, & minus non variant speciem.

69 Secunda difficultas est, quam tetigimus num. 60. Nam M. P. Augustinus dicit, quod Adam non indiguit orare; cum tamen N. S. Gelasius Papa, & D. Thomas doceant, debuisse orare; imò cecidisse, quia non oravit, sed de seipso confidit. Pro concordia nota, quod P. Augustinus loco laudato, versat illa verba orationis Dominicæ *Libera nos à malo*, de quibus dicit, quod Adam ea non debebat proferre, quia hoc erat sic in ejus potestate, ut *non utique posceretur orando, sed agendo potius teneretur*. Hoc non est absolutè negare necessitatem orationis, sed explicare eam petitionem factam esse pro nobis lapsis, & à Christo Medico, & Doctore dictatam. Quod autem pro innocentibus ea petitio non sit congrua, patet ex Lirano super 6. Matthæi dicentis de mente Patrum ad illa verba: *Libera nos à malo: Hoc est fomex peccati, quæ est quadam pœna ex peccato primi Parentis derelicta &c.*

Vt quid debebat Adam innocens orare Deum, ut liberaret à fomite peccati; derelicto ex peccato, si nullum peccatum contraxit personale, aut originale? Hoc debemus orare nos, non ille, qui potius agendo quæ præcepta sunt, poterat à tali malo liberari. Sic nunc in hoc statu gratia Dei, quæ nobis sufficit ad vitanda peccata mortalia, non sufficit ad vitanda omnia venialia; nam pro hoc requiritur speciale privilegium gratiæ, quod raro conceditur Sanctis etiam, & electis. Et tamen in sententia D. Thomæ, docentis quod Adam non potuit primò peccare venialiter, antequam mortaliter; dicendum est, quod gratia, quæ homini innocenti erat sufficiens ad vitanda mortalia, sufficiebat etiam ad vitanda omnia venialia; nec debebat Adam ratione status orare specialissimam gratiã, nunc requisitam ad vitanda venialia. Ergo ratione ejusdem status innocentia non debebat orare, quod nunc nos nempe *Libera nos à malo*. Et hoc docet P. N.

At orare debebat *Ne nos inducas in tentationem*. Nam cum victoria tentationis pendeat radicitus ex vocatione non tantum sufficienti, sed congrua, ut dictum est num. 37. talem debebat orare à Deo, ne sineretur labi in tentationem. In hoc sensu intellige autoritatè N. S. Gelasij, & D. Thomæ; docetium debuisse orare. Quod S. P. satis confirmat quæst. 2. ad Simplicianum dicens: *Qui habet in potestate sua tali viso attingi mentem suam, quo ejus voluntas moveatur ad*

fidem? Intellige etiam ad perseverandum in fide, & amore Dei. *Aut quis animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? Et quis habet potestatem, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet cum occurrerit?* Sane nullus, quantumvis innocens sine peccato. Hoc enim ille tribuit, ille largitur, id est Deus. Ergo cum nemo perseveret, nisi ita ei occurrant, quæ delectando manuteneant; Deus exorandus erat ab Adamo innocente pro congruitate auxiliorum sufficientium.

70 Tandem observa, non esse contra nostram sententiam illud argumentum, quo utuntur Thomistæ contra Iansenium, qui cum à statu innocentia excludat adiutorium quo, quod vocatur gratia Christi; sequitur quod Sanctissima Dei Mater & Virgo Maria, sine labe concepta, & in statu innocentia, quam perpetuo servavit, non habuerit gratiam Christi. Imò nec Christus ipse, innocens, & immaculatus, talem gratiam habuit; cū Ioannes Apostolus doceat, quod *de plenitudine ejus omnes accepimus*. Quæ omnia sequuntur ex Iansenij positione, sed satis patet absurditas consequentis.

Rursus: Cùm Christus Dominus, & Beatissima Virgo Mater, imò & Adam recens creatus, operati sint per dona Spiritus sancti, quæ juxta D. Thomam I. 2. q. 68. art. 1. sic movent efficaciter, ut quicumque agit per dona, Divino impulsu, non ratione, agit, & ideo potius agitur juxta illud Apostoli: *Qui Spiritu Dei*

eguntur, hi sunt Filij Dei. Dicendum est, vel in statu innocentiae dari auxilium quo; vel quod Christus, ejusque Mater numquam operati sunt per dona Sancti Spiritus. Quorum secundum est contra Scripturam, primum autem contra Iansenium.

Hæc omnia non sunt contra nos, qui non relegamus ab innocentibus auxilium quo ad operandum; sed dicimus non fuisse necessarium teste P. Augustino, ad perseverandum in bono. Habuit Christus amorem fervidum Dei in summo; habuit Santissima Mater eundem amorem infra summum amorem Filij, sed reliquis creaturis, etiam Seraphicis majorem. Uterque habens istam gratiam, & ex meritis Christi eam habens Mater, non eguerunt illa ad perseverandum in bono, sed ad alios fines, puta meritum, unionis cum Deo affectivæ &c.

Sic Filius, & Sancta Mater, per dona Spiritus sancti in utroque requiescentis, operati sunt sapere; & tunc acti Divino Spiritus impulsu, ita efficaci, ut ab Isaia dicatur non agere, sed cogere. Isaia 59. *Cum venerit, quasi fluvius viuentis, quem Spiritus Domini cogit.* Supra quæ verba M. P. Augustinus libro de Gestis Pelag. cap. 3. ait: *Plus est proculdubio agi, quam regi; qui enim regitur, aliquid agit, & ideo regitur, ut aliquid agat: qui autem agitur, agere aliquid vix intelligitur. Et tamen tantum præstat voluntatibus nostris virtus Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere: Quotquot Spiritus Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Videatur S. Thomas supra

cap. 8. Epistolæ ad Rom.

§ VII.

Proponitur, & probatur nostra sententia de constitutivo auxilij quo, requisiti ad velle.

71 **S**upponit sententia nostra, quod in principio dictum est num. 2. de mente S. P. Augustini, nempe quod aliud est facere, aliud velle facere; & quod Deus aliter facit ut velimus, aliter ut faciamus. Facit ut velimus per gratiam operantem, ut faciamus per gratiam cooperantem. Quæ distinctio gratiæ operantis, & cooperantis ab omnibus Theologis admissa, sed non ab omnibus æqualiter explicata, à P. Augustino inventa est lib. de Gratia & Libero arb. cap. 16. dicente: *Ut ergo velimus sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis studia nihil valeamus.* En Deus operans, & cooperans, operans ad nostrum velle per gratiam operantem, cooperans ad nostrum facere per gratiam cooperantem. En etiam distinctio inter velle, & facere; quæ necessariorum supponenda est, maxime pro percipienda S. P. Augustini doctrina.

Nemo expressius, nec P. Augustino conformius explicuit munera gratiæ operantis, & cooperantis, quam D. Thomas 1. 2. q. 111. art. 2. ubi dicit, quod primum velle liberum volun

voluntatis, quo imperat actus aliarum potentiarum, & etiam suos subsequutos ad primum velle; hoc inquam velle est effectus gratiæ operantis, & vocatur à D. Thoma *actus interior*. Reliqui actus imperati à primo velle, sunt effectus gratiæ cooperantis, & vocantur à D. Thoma *actus exteriores*; à P. Augustino vocantur *facere*. Cur autem dicat S. P. Augustinus, quod primum velle Deus in nobis operatur sine nobis; cum tamen actus ille sit à voluntate nostra elicivè, & effectivè? explicatum est supra num. 3. de mente expressa S. P. His notatis.

Nostra sententia tenet auxilium quo, requisitum ad primum velle, esse physico morale, & constitui per moralem vocationem congruam, & per physicum Dei influxum in nostrum velle, quod producit actione sua immanente, secum identificata. Hæc sententia ut expressa in M. P. Augustino, D. Thoma, & B. Egidio, quoad actus naturales, probata est de eorum mente, & à ratione supra quæst. præcedente à num. 53. Nunc autem unice erit sermo de actibus supernaturalibus, pro quibus plus valent auctoritates Scripturæ, Conciliorum, & PP. quibus aliquas rationes Theologicas adjiciemus.

72 **P**robatur 1. ex Scriptura, interdum insinuante gratiam esse moralem, interdum esse physicam & effectivam; En moralis gratia. *Officium 3. Loquar, ad cor eius Apoc. 3. Sto ad osium, & pulso.* Ad Rom. 8. *Quos vocavit, hos & justificavit.* Ioann. 13. *Nemo venit*

ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Hieremie 31. *Postquam ostendisti mihi, percussis femur meum.* Omnia hæc, & similia docent nos gratiam moralem, consistentem in illuminatione, & inspiratione, qua Deus loquitur ad cor, vocat nos, pulsatur, & trahit ad se. Sed ecce gratiam physicam facivam nostri meriti. Ezechielis 36. *Faciám, ut in justificationibus meis ambuletis.* Isaia 51. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Ad Philip. 2. *Deus est qui operatur in nobis & velle.*

Utramque gratiam moralem, & physicam expressissimè docuit Concilium Colonienſe in Enchiridio de Sacramento Pœnitentiæ dicens: *Gratia præveniens duplex, una, qua Deus prævenit peccatorem, ut resurgat (en-moralis vocatio) altera, qua peccator prævenienti Deo assentiens jam resurgit: utraque voluntatem nostram prævenit Deus; sed priorem subministrando solus operatur (nempe vocationem) in altero voluntas nostra. Deum prævenientem subsequens, per velle, seu consensum remissionem peccatorum accipiendo, cooperatur.* Vbi est sermo de duplici gratia nostra, prima morali, cui possumus consentire, vel dissentire; altera physica causante nostrum velle, quo Deum prævenientem sequimur, eidem cooperando. Et licet Concilium loquatur de sola adultorum justificatione, doctrina tamen ejus est pro gratia ad quodcumque opus supernaturale requisita. Sic etiam loquitur sanctum Concilium Tridentinum, in quo doctri-

na omnium præcedentium Concilio-
rum confirmata est. Sic habet sess. 6.
de justificatione cap. 5. *Declarat præ-
terea* (sancta Synodus) *ipsius iusti-
ficationis exordium in adultis à Dei per
Iesum Christum præveniente gratia su-
mendum esse; hoc est ab ejus vocatione,
quia nullis eorum existentibus meritis
vocatur, ut qui per peccata à Deo averfi
erant, per ejus excitantem* (ecce voca-
tionem) *& adjuvantem gratiam* (ecce
auxilium effectivum) *ad converten-
dum se ad suam ipsorum justificationem,
eidem gratia liberè assentiendo* (nempe
vocanti) *& cooperando* (nempe gra-
tiæ operanti) *disponantur: ita ut tan-
gente Deo cor hominis per Spiritus san-
cti illuminationem, neque homo ipse nihil
agat inspirationem illam recipiens,
quippe qui illam abjicere potest; neque
tamen sine gratia Dei* (intellige effe-
ctivam) *movere se ad justitiam coram
illo libera sua voluntate possit.*

Quod Tridentinum docet de
initio justificationis nostræ, & pro-
gressu, dicit sententia nostra de gratia
requisita ad velle, quod est initium
omnis meriti imperati à voluntate.
Duplex gratia astruitur à Concilio,
altera consistens in vocatione, cui
possumus consentire, vel dissentire,
illam abjiciendo: altera adjuvans,
quæ est effectiva nostri velle: quare
ponenda est duplex, nempe excitans,
& adjuvans; prima est moralis voca-
tio excitans nos à somno vel peccati,
vel torporis, ut ait Apostolus: *Surge
qui dormis, & exurge à mortuis, &
illuminabit te Christus*: Secunda est
physica effectio nostri velle, & vo-

catut à Concilio adjuvans. Harum
prima est vocatio, à qua sumit exor-
dium tum justificatio nostra, tum om-
ne meritum. Altera, nempe adjuvans,
supponit consensum nostrum datum
vocanti. Quia nisi consentiamus vo-
cationi, non agimus, nec Deus adju-
vat nos, nisi volentes. Hæc, & non
alia est sententia nostra, quæ non le-
viter hinc probatur esse de mente
Augustini, cum pro ea stet Conci-
lium Augustinianæ doctrinæ in ma-
teria de gratia assertorem, ac inter-
pretem.

73 De mente M. P. Augustini
satis constat ex dictis supra toto §. 4.
Cumque S. P. semper loquutus sit
testimonijs scripturæ, morem ejus se-
quitus, exponens textus de gratia
moralis, hanc insinuat, ut in tota
quest. 2. ad Simplicianum, explicans
initium fidei nostræ ex Deo per con-
gruam vocationem. Vbi nota con-
cordiam maximam Tridentini cum
Parente Nostro. Nam Concilium, ubi
proximè, docet *exordium* justifica-
tionis nostræ sumi à vocatione per
Christum. Augustinus tota questione
laudata docet initium fidei sumi à
vocatione congrua per Christum. Sic
tractatu 26. in Ioannem solum me-
minit gratiæ moralis, trahentis nos
ad Christum, quia exponit ibi verba
Christi Ioann. 13. *Nemo venit ad me,
nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.*
Quibus solius motionis tractivæ, &
moraliter allicientis, edocemur.

At dum versat testimonia de
gratia effectiva, tunc istam astruit. Sic
libro de Gratia, & lib. arb. cap. 21.

Agit

*Agit omnipotens in cordibus hominum
etiam motum voluntatis eorum.* Et cap.
17. *Vt ergo velimus sine nobis operatur
&c.* Et cap. 16. supra verba Apost.
ad Philip. 2. *Deus est qui operatur in
nobis & velle,* ait: *Certum est nos velle,
cum volumus; sed ille facit ut veli-
mus, de quo scriptum est: Deus est
qui operatur in nobis & velle.* Quam-
obrem pro vera intelligentia do-
ctrinæ Augustinianæ notate oportet
quæ loca Scripturæ versat: cumque
Scriptura sacra interdum
moralem, aliquando physicam insi-
nuet gratiam, quo deducimus utraque
necessariam, ut ex Concilij ostensum
est: utramque statuisse, & propugna-
se Parentem nostrum, firmissimè te-
nendum est.

Confirmatur evidenti testimo-
nio S. P. lib. 1. Operis imperfecti
contra Pelagianos, & lib. de Gratia
Christi cap. 24. ubi Pelagium, &
sequaces admittentes gratiam mora-
lem per hæc eorum verba cap. 7. re-
lata: *Adjuvat nos per doctrinam, &
revelationem suam, dum cordis nostri
oculos aperit; dum nobis, ne presentibus
occupemur, futura demonstrat; dum dia-
boli pandit insidias; dum nos multiformi,
& ineffabili dono gratiæ Cælestis illu-
minat:* hujus gratiæ insufficientiam re-
prehendit, dicens: *Intueantur, atque
fateantur, non lege atque doctrina inso-
luta, mirabili, atque ineffabili potestate,
operari Deum in cordibus hominum non
solum veras revelationes, sed etiam bonas
voluntates.* Intellige *actus voluntatis*
juxta dicta num. 4.

De mente D. Thomæ, & B.
Ægidij, constat ex dictis quæst. præ-
cedente à num. 53. ibi probata est
hæc assertio quoad omnes actus na-
turales ratione philosophica: quia
nempe Deus est causa prima phy-
sica, & finalis omnium entium, & om-
nium operationum: ergo utroque
modo concurret ad nostros actus,
nempe effectivè, & finaliter: ergo
concurso prævio physico-moralis.

De actibus supernaturalibus
probatum est hic num. 25. ratione
Theologica D. Thomæ 1. 2. q. 80.
art. 1. quam etiam præmisit q. 79.
art. 1. Nam quia diabolus solum
moraliter movet ad peccatum per
modum suadentis; ideo non est causa
directa, & per se nostri peccati: at
Deus non solum est causa indirecta,
sed directa, & per se nostri meriti, ac
omnis actus nostri supernaturalis: er-
go nedum movet moraliter, vocando
& alliciendo, sed physicè efficiendo:
quare causat concursu prævio phy-
sico-moralis.

74 Vnum dicimus insuper, in
quò forsan non coveniunt Thomistæ
RR. nempe quòd gratia moralis est
prior, cui possumus pro illo priori cõ-
sentire vel dissentire taliter, ut si dis-
sentiamus gratiæ moralis, impediamus
existentiã gratiæ physicæ & effectivæ;
sin autem, nobis ad sit. Quare ponimus
gratiam physicam dependentem, &
impedibilem à nostro consensu; non
quidem à consensu positivo, nam hic
non potest dari, nisi post gratiam ef-
fectivam, cujus est effectus; sed à
consensu negativo, explicato de mēte

Z

B. Agi-

B. Ægidij in quæst. præcedente num. 60. Hic cōsensu negativus est unice *voluntatem non resistere Deo vocanti*: nec resistentia ista fit per actum positivum, sed per negativum, quo voluntas non attendit vocationem, aut non sinit se trahi à Deo alliciente, aut abjicit Divinam inspirationem, ut dicit Tridentinum, ubi suprâ. Quovis modo negativè dissentiat, impedit se, ne moveatur physicè per gratiam Dei effectivam nostri velle. Nec tibi parum videatur posse, vel non posse sic consentire negativè Deo vocanti: id enim tam magni momenti est apud B. Ægidium ubi suprâ, *quod negantes, negant voluntatem habere arbitrij libertatem.*

Probatum hoc ex verbis S. Concilij Tridentini allegatis, ubi docet nos esse liberos, contra errorem Lutheri, & Calvinii, inferentium peccatam ex efficacia Divinæ gratiæ nostram tolli libertatem. Quo posito, sicut inde Pelagius subsumens, dari in nobis libertatem, negabat gratiam efficacem esse necessariam; sic Lutherus. Calvinistæ statuentes dari gratiam efficacem, inferebant per illam everti libertatem nostram. At quomodo Concilium Tridentinum, cōtra utrosque statuens gratiam efficacem non tollere libertatem, salvat cum efficacia gratiæ libertatem nostram? Non aliter, nisi quia liberè assentimur; ait enim: *Eidem gratiæ liberè assentiendo.* At cui gratiæ liberè assentimur, & quomodo? Non sanè gratiæ adjuvantis; quia hæc non adjuvat persuadendo, sed efficiendo; & dissensus

non quadrat efficienti, sed persuadenti. Ergo liberi sumus, quia liberè assentimur gratiæ excitanti, illuminanti, & inspiranti; en quomodo: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abjicere potest.* Ergo juxta Concilium illa duplex gratia, *moralis, & physica, excitans, & adjuvans,* non tollit libertatem nostram; quia efficacia gratiæ adjuvantis supponit in voluntate nostra potestatem impediendi eam per dissentium, præstitum gratiæ excitanti, quam possumus abjicere.

Explicatur. Concilium expressè docet, nos posse abjicere Dei inspirationem, & ei dissentire, ut patet ex littera. Vel ergo sic dissentientes, impedimus, ne Deus adjuvans efficiat nostrum velle; vel non impedimus. Si primum? Ergo gratia physicè effectiva, & adjuvans, datur dependenter à nostro consensu negativo vocationi, & gratiæ excitanti. Et hoc contendimus in nostra sententia. Si secundum? ergo ineptè salvat Concilium libertatem nostram. Probatum sequela. Quid prodest consentire, vel dissentire Deo excitanti, si posito, vel non posito consensu nostro, vel dissensu, Deus, consentientes nos, vel dissentientes, facit operari per suam gratiam adjuvantem? Certè nihil. Ob id illi Thomistæ, qui admittunt motiones morales, sed quòd motio physica non pendet à consensu nostro præstito moralibus, dicunt eas tantum deservire, ut suavius operemur, quòd Deus

Deus vult. Concilium autem non sic, sed ut liberè operemur. Quare cum juxta Concilium possimus dissentire vocationi: da casum in quo dissentiam. Tunc juxta hos Thomistas Deus efficiet meum velle, quia non pendet gratia effectiva à meo dissensu. Ergo tunc in sensu composito mei dissensus, faciet Deus me velle. Ergo dissentiens volam. Quomodo stat libertas cū hac coactione? Tam impossibile est velle dissentiendo, quàm credere nollendo: & hoc testatur impossibile M. P. Augustinus in supplemento contra Julianum lib. 2. cap. 157.

75 De mente S. P. Augustini res videtur certissima, quæstione 2. ad Simplicianum, ubi agens de vocatione Dei, quæ potest resisti juxta illud Christi Domini: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Quærit quomodo stat certitudo prædestinationis, & misericordiæ Dei, qui *cujus vult miseretur*, si vocatio potest resisti? Respondet: *Nullius Deus frustra miseretur: cuius autem Deus miseretur, sic vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocat: em non resistat.* Sed si creatura respuerit vocationem Dei, non impediret gratiâ Dei adjuvantem, certitudo prædestinationis non penderet ex congruitate vocationis, sed ex sola adjuvante gratia, quæ causat efficienter nostrum velle: ergo sentit P. N. quòd influxus gratiæ adjuvantis pendet ex consensu nostro, præstito vocationi. Minor patet. Nam si dissensus noster Deo vocanti non impedit ne Deus efficiat nostrum velle: ergo sive creatura consentiat, sive dissentiat, sive voce-

tur congruè, sive incongruè, æquè certò Deus obtinebit nostrum velle per gratiam effectivam illius.

Ibidem S. Patens ut ostendat Deum Omnipotentem potuisse inclinare, & applicare Esau ad eam fidem, in qua Iacob justificatus est, recurrit ad Omnipotentiam in qua erat modus vocandi congruenter Esau: sed si gratia adjuvans, qua efficit nostrum velle, non penderet ex consensu nostro, præstito vocationi; frustra recurreret S. P. ad vocationem congruam; imò volens ostendere Deum potentem convertere, dedisset non causam pro causa, & veram causam convertendi omisisset, quod concedendum non est: ergo idem. Patet minor. Nam si gratia adjuvans non est ita dependens à consensu nostro, æquè benè potest Deus me convertere sine vocatione congrua, ac eum illa; per hoc solum quòd efficiat meum velle.

Audi S. Doctorem lib. 2. de Peccatorum meritis, & remis. cap. 17. ubi ait: *Vt autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates, quæ ut non adjuvantur in ipsis itidem causa est.* En causa ex nobis, impediens gratiam Dei adjuvantem; unde paulò infra S. P. adducens verba Hieremie, ea glossans, dicit: *Tamquam diceret, scio Domine ad corruptionem meam revertere, quòd minus à te adjuvor.* Vide in Cardin. Aguirre, quæ habet tom. 3. Theologiæ disp. 134 sect. 2. contra Iansenium, necnō Lemos Dominicanum

ubi supra, multis comprobantem ex Scriptura, & P. Augustino, nos posse resistere Deo vocanti, & inde nos impediti, ne Deus exhibeat suam gratiam effectricem, & adjuvantem.

76 De mente D. Thoma constat ex dictis quaestione praecedente num. 60. & quae diximus in hac num. 42. cui addimus pro ratione probativa id quod habet 3. contra Gentes cap. 88. ubi ait: *Violentum, ut dicitur 3. Ethicorum est, cujus principium est extra non conferente vim passo. Si igitur voluntas moveatur ab aliquo exteriori principio, erit violentus motus. Dico autem moveri ab extrinseco principio, quod moveat per modum agentis, & non per modum finis.* Ecce juxta D. Thomam si voluntas moveretur à Deo efficienter, & non finaliter, violentaretur; quia purè moveretur ab extrinseco, & ipsa nullam conferret vim motui: ergo si mota finaliter, & contradicens motioni, moveretur à Deo efficienter, multò magis violentaretur. Patet consequentia, quia sic non solùm non conferret vim motui, sed conferret suo dissenso vim motui opposito. Sed quidquid sit, an Deus possit violentiam inferre voluntati, dum eam liberè efficienter movet, non infert violentiam: ergo solùm movet post consensum motioni finali, & non aliter; quare motio gratiae adjuvantis pendet ex consensu dato gratiae excitanti. Vide alias tres rationes urgentissimas pro nostro asserto supra quaest. praecedente num. 69.

Rursus, à ratione probatur, Si

motio Dei efficientis per gratiam adjuvantem, non penderet à consensu nostro praestito gratiae excitanti, stulta, inutilis, & sine fructu esset diaboli tentatio: sed hoc esse falsum miserabilis omnium nostrum testatur experientia: ergo quia efficacia gratiae adjuvantis conceditur tantùm dependenter à nostro consensu gratiae excitanti. Probat major. Diabolus sua tentatione nec potest gratiam effectivam Dei reddere inefficacem, quia supponimus illam cum Thomistis esse efficacem ab intrinseco; nec potest sua tentatione movere Deum, ne illam nobis concedat; quia hoc esset tentare Deum. Quare unicè sua tentatione potest nostram mentem avertere ab illustrationibus Dei, & nostram voluntatem allicere ad vitia, & retrahere à praecipis. Sed si collatio gratiae effectivae non pendet à consensu nostro vocationi, & gratiae excitanti, nihil obtinet; nam aequè benè Deus dabit gratiam effectivam si ve dissentiamus, si ve consentiamus excitationi Dei: ergo diaboli tentatio inutilis, stultaque esset.

Confirmatur. Diabolus non potest voluntatem nostram movere subjektivè, & ex parte efficientis, quia sic solus potest movere, qui est causa effectiva voluntatis, & hic est Deus. Quare solùm moraliter, & per modum suadentis, potest tentare, & movere voluntatem, ut num. 25. ex D. Thoma dictum est. Ergo sua tentatione potest quidem impedire motionem moralem gratiae excitantis, ne illi consentiamus, non autem potest im-

pedire

pedire effectum motionis effectivae Dei. Sed si istam nec in se, nec in suo praesupposito potest impedire, stultè tentat nos, & potius deberet Deum tentare, ne moveret nos efficienter, ut dictum est num. 16. ergo &c. Probat minor. Quid obtinet diabolus, faciens nos dissentire Deo vocanti, si adhuc nobis dissentientibus vocationi, adest gratia adjuvans, & faciens nos velle servare praecipia? sanè nihil. Ergo ut quid obtineat, ut revera obtinet, dicendum est, quòd extorqueat suis fallacijs nostrum dissenso vocationi Dei, impedit nos, ne moveamur physicè per gratiam, dantem velle; quinimo tracti ad illicita per diabolicam suasionem, Deus titulo causae universalis dat concursum physicum ad actum prohibitum.

77 Confirmatur. Christus Dominus Iudaeis dixit: *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisse?* Apoc. 3. *Sto ad ostium & pulso, si quis aperuerit januam, intrabo ad illum.* Sed si gratia Christi effectiva, quam voluit dare Iudaeis, non penderet ex eorum consensu vocationi factae per Prophetas, & Dominum Prophetarum, frustra Deus vocasset, in vanum Iudaei vocationi resistissent, vana etiam esset promissio illa Dei pulsantis, & dicentis: *Si quis aperuerit mihi januam &c.* Ergo ut textus isti, & similes, quibus abundat Scriptura sacra, teneant, nec ad sensum improprium detorqueantur, dicendum est, quòd gratia adjuvans, quae est effectrix nostri velle, pendet à consensu nostro negativo, praestito Deo vocanti, excitanti, &

pulsanti. Urgetur. Dum Christus dixit: *Vos amici mei estis, si feceritis quae precipio vobis*, insinuavit quòd ejus amicitia pendet à nostra observantia praceptorum: ergo dum dicit, *si quis aperuerit, intrabo*, docet quòd gratia effectiva pendet à consensu nostro, dato vocationi.

Tandem confirmatur. Nam hac via conciliatur quàm optimè, quidquid docent Thomistae de sua gratia efficaci, cum libertate nostra. Docent gratiam esse ab intrinseco efficacem, & per eam Deus est primum determinans in genere causae efficientis. Hoc etiam admittit nostra sententia. Sed ipsi ponunt gratiam illam plenè ante omnem consensum nostrum, nos autem post consensum negativum; quare in nostris principijs necessitas gratiae est consequens, in eorum autè est antecedens; haec, non illa tollit libertatem. Ipsi ponunt gratiam efficacem necessariam, sed inimpedibilem; quod non benè concordat cum libertate. Nos ponimus eam impedibilem quoad esse, ut dictum est supra quaest. praecedente num. 85. & hoc sufficit pro libertate. Ipsi ponunt gratiam istam inaccessibilem: nos idem fatemur cum D. Thoma 3. contra Gentes cap. 59. Sed quia Deus paratus est eam dare omni non se impediendi; idè est aliquomodo in nostra potestate, nempe removendo prohibens.

Cum his stat, quòd Deus est primum movens tum finaliter, tum efficienter. Quia licèt motio Dei effectiva supponat nostrum consensum negativum, ille non est actus, nec de genere

genere efficientis, sed de genere causæ finalis. Sicut juxta Thomistam prædeterminationem supponit motionem & determinationem quoad speciem, ortâ ab objecto apprehenso; & tamen hæc non tollit à Deo rationem primi determinantis, quia motio objecti est de genere causæ finalis, & objectivæ, non de genere efficientis.

Rursus, salvatur in nostra sententia supremum Dei dominium, quo convertit quem vult, & indurat eum, cujus non miseretur. Nam cum in manu Dei sit dare vocationem congruam, vel incongruam; ejus miseretur, cui dat congruam, nam sic vocatus non se impedit receptioni gratiæ effectivæ. Alijs dat incongruam, sed eorum culpa incongrua est, & dum ponunt impedimentum gratiæ adjuvanti, illud suo vitio debent tribuere. Quo fit ut in nostra sententia illud verissimè explicatur Osæ 3. *Perditio tua ex te Israel: tantummodo in me auxilium tuum.* Quid plura? Responde firmiter hanc sententiam de duplici gratiâ excitante, & adjuvante, & quod adjuvans pendeat à consensu, præstito excitanti; omnia Scripturæ loca concordabis, nec non N. P. Augustini, & SS. PP. facillimè percipies.

§ VIII.

Proponitur, & probatur nostra sententia de constitutivo adjutorij requisiti ad facere.

78. **S**IT nostra conclusio: Auxilium, quo Deus movet

Physicorum.

nos ad facere, est ipsum velle nostrum. *Ly facere* denotat quemcumque actum sive voluntatis, sive aliarum potentiarum, imperatum à voluntate per primum velle, ut notatum est num. 71. Nec conclusio ista est de actibus metè naturalibus, sed de supernaturalibus; nam de primis satis dictum est quæst. præced. num. 62. ubi videri potest ea conclusio quæ solum differt à præsentî ex eo, quod pro actibus naturalibus imperatis sufficit motio Dei ordinis naturalis, quare sufficit amor Dei naturalis, aut naturalis amor finis, quem contra Bajum profiteamur, merito damnatum à Pio V. & Gregorio XIII. ob varias propositiones hæreticas, erroneas, & alijs censuris ibi notatas, inter quas propositio 34. negat possibilem naturalem amorem Dei, aut Dei authoris nature; quem iterum rejicit propos. 36. & propos. 38. docet omnem amorem nostrum esse vel noxiam cupiditatem, qua mundus diligitur, aut charitas meritoria, qua Spiritus sanctus nobis infunditur.

Nostri ergo sententia has propositiones cum Ecclesia damnans, admittit possibilem amorem Dei naturalem, qui non sit entitativè supernaturalis. Id vel solo Augustini P. testimonio comprobatur, qui lib. 1. confes. cap. 1. dicit: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Deus ergo naturæ nostræ Conditor, est finis noster, in quo solo quiescere potest cor nostrum: quiescit autem per amorem, dum amat Conditorem. Ipsæ etiam creaturæ, quæ

Quæst. XVIII.

quæ testantur se præstantissimum habere Conditorem, ut ait P. N. ducunt nos in cognitionem, & amorem illius, ut docet Apostolus ad Rom. 1. Hic autem amor non est meritorius vite æternæ, pro qua solum conducit meritum supernaturale. Vnde Concilium Arauxicanum 2. c. 25. & Trident. sess. 6. de justificatione can. 3. ut distinguant utrumque amorem naturalem, & supernaturalem, vocant istum *diligere sicut oportet ad salutem*, & pro eo tantum exigunt auxilium supernaturale gratiæ.

Nostri ergo sententia de actibus imperatis à primo velle, cum non sit de naturalibus in præsentî, sed de supernaturalibus, & conducentibus ad salutem æternam, quoniam vel supernaturales sunt intrinsecè, ut credere, & sperare; vel extrinsecè ordinantur à charitate in Deum finem ultimum supernaturalem, ut sunt omnes, quibus implemus legem Dei. De his dicimus à Deo prædeterminari per hoc præcisè, quod efficiat in nobis velle. Hoc velle potest oriri vel à charitate perfecta, ut in iustis, vel à speciali motione Spiritus sancti nondum inhabitantis, ut cum Ecclesia docent Theologi, damnantes Bajum proposit. 63. dicentem: *illa distinctio duplicis justitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum sanctum inhabitantem; alterius quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus sancti, cor ad penitentiam excitantis; sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis; qua Divinæ legis justificatio impleatur, odiosissima, & pertinacissima rejicitur.* Hæc ponimus

ante oculos, sicut posita sunt supra, quæ in Iansenio damnata sunt, ne parum tritam viam in materia gratiæ calcantes, ad lapidem offendamus.

79. Probatur ergo conclusio nostra ex Concilio Arauxicano secundo can. 25. ubi ait: *Hoc salubriter profiteamur, & credimus, quod in omni opere bono non incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur; sed ipse nobis nullis præcedentibus meritis fidei, & amorem sui prius inspirat, ut post cum ipsius adjutorio, quæ sibi sunt placita, implere possimus.* In eodem sensu Trident. vocat gratiam prævenientem Spiritus sancti inspirationem. Hic loquuntur Concilia contra Pelagianos, docentes nostra opera, quibus legem implemus, esse nostra, non Dei, quia nos incipimus opus bonum, & postea Deus nos adjuvat ad perficiendum, quod à nobis inceptum est bonum. Vide S. P. Augustinum lib. de Gratia Christi cap. 14. & 24. Quære, ut ostendat contra eos, quod impletio legis incipit à Deo, non à nobis; statuit, quod amor Dei, quo volumus implere legem, est à Deo inspirante, hoc est, ut ait M. P. Augustinus, à Deo operante in nobis sine nobis, ut num. 2. dictum est.

En argumentum. Auxilium quo Deus facit nos facere, id est implere præcepta, & placita illius, est illud quo nostrum facere prius incipit à Deo, quam à nobis: at juxta Concilium, nostrum facere prius incipit à Deo, quia ipse in nobis operatur nostrum velle, id est amorem Dei, ut patet ex littera: ergo auxilium requisitum ad facere,

facere, est velle nostrum à Deo causatum. Urgetur Pelagius, ut constat ex S. P. Augustino ubi supra, inde inferebat, quod nostrum *facere* prius incipit à nobis, quoniam *Idèò facimus, quia volumus facere: sed velle nostrum incipit à nobis: ergo facere nostrum incipit à nobis.* Sed Concilium, quod ex doctrina M. P. Augustini plene sumptum est, ut N. Noris ostendit in vindictis Augustinianis, concessa majori syllogismi, statuit contradictoriam minoris, nempe, *sed velle nostrum incipit à Deo*; nam ait: *sed ipse nobis nullis precedentibus meritis, fidem, & amorem sui prius inspirat.* Ergo concedens Pelagio, quod *idèò facimus, quia volumus facere*, docet ex vi minoris subsumptæ, quod idèò Deus est prima causa nostri *facere*, quia est causa dans nostrum velle. At est causa nostri *facere* salutaris per auxilium quo: ergo auxilium quo ad nostrum *facere*, consistit in nostro velle.

Talem probationem habet N. P. Augustinus libro de Gratia, & lib. arb. cap. 16. dicens: *Certum est nos mandata facere, si volumus; sed quia preparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus.* En gratia, quam necessariam ad *facere*, debemus petere, alia non est, nisi velle. Postea explicabimus *ly tantum*. Quare concedens Pelagio nos *facere*, quia volumus (id enim est certum teste Augustino) negat hoc *facere* esse primò à nobis, quia velle nostrum primò est à Deo, qui preparat voluntatem, ut dicitur Proverb. 9.

Eandem probationem reponit ibi S. Parens ex duplici Scripturæ testimonio, nempe Psalm. 36, ubi dicitur: *A Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet*, quo denotantur omnes actus nostri in viam salutis ordinari à Deo movente, & regente. Et ad Philip. 2, *Deus est, qui operatur in nobis & velle.* Vtrumque conjungit S. Parens, ut ostendat, non aliter Deum *facere* ut faciamus opera salutis, quam operando nostrum velle. Dicit sic: *Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum, de quo scriptum est, preparatur voluntas à Domino; de quo scriptum est, à Domino gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet; de quo dictum est, Deus est qui operatur in nobis & velle.*

80 Dices: Ex verbis Arauxicani sequitur oppositum; nam ultra amorè Dei, à Deo inspiratum, requirit aliud Dei auxilium ad *facere*: ergo quia auxilium ad *facere* non consistit in solo velle. Probatur antecedens. Concilium dicit: *Sed ipse amorem sui prius inspirat, ut post cum ipsius adjutorio, quæ sibi sunt placita, implere possimus.* En supposito amore inspirato, adhuc egemus pro implendis mandatis, adjutorio Dei: ergo egemus novo auxilio, addito amorè inspirato.

Respondeo, quod adhuc posito amore Dei, & nostro velle, indigemus concursu simultaneo Dei, qui teste Isaia 51. Omnia opera nostra in nobis operatur. Quare non indigemus adjutorio Dei moventis, & operantis, sed Dei cooperantis per concursum

concurrentem. Ita M. P. Augustinus libro de Gratia & lib. arb. cap. 17. *Ut ergo velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus (nota) nobiscum cooperatur. Tamen sine illo operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis studia nihil valemus.* En indigemus adjutorio Dei cooperantis: hoc est quod Concilium dicit necessarium, ultra amorè à Deo causatum. Sed hoc non est contra nostram sententiã; nam in presenti non quarimus constitutum concursus simultanei. De eo autem est quæst. 16. §. 4. ubi ostensum est, consistere in actione immanenti Dei. Nunc quarimus de concursu prævio, quo Deus movet nos ad *facere*, & vi ejus est prima causa nostri meriti. Hoc dicimus cum Arauxicano, & P. August. esse nostrum velle. Per concursum autem simultaneum Deus non respiciet prima causa, ut nobiscum fatentur Thomistæ contra DD. Societatis.

Hinc colliges: quod licet Deus per actionem suam immanentem causet nostrum velle, & omnes actus tui voluntatis, tum aliarum potentiarum, sequutos ad velle; at solum dicitur operans respectu nostri velle, & relatè ad alios actus dicitur cooperans. Id patet ex verbis allegatis S. P. Augustini, qui author putatur distinctionis gratiæ in operantem & cooperantem; ita ut sit operans relatè ad velle, cooperans ad reliquos actus, ut dilucidè exposuit D. Thomas 1.2. q. 111. art. 1. Hujus ratio data est num. 3. quia

juxta S. P. Augustinum ibi allegatè solum computatur inter causas efficientes causa quæ volens operatur: at voluntas ante primum velle non est volens, & sic non agit volens suum velle; benè tamen actus omnes sequutos ad velle, quos volens operatur voluntas: ergo respectu primi velle Deus est operans solus, & sine nobis; respectu aliorum actuum non solus, sed sociatus operatur, quia nobiscum cooperatur. Hinc confirmatur quæ dicta sunt quæst. precedente num. 66. ubi dicitur quod actio Dei immanens relatè ad primum velle est concursus prævius & prædeterminatio; sed relatè ad alios actus est tantum concursus simultaneus.

Colliges etiam, quod concursus Dei cooperantis, dicitur gratia cooperans; sed non est auxilium quo; aut gratia efficax, de quo in presenti. Gratis Deus nobiscum cooperatur in ordine supernaturali, & sine meritis donat suum juvamen: ob id concursus illè cooperans gratia dicitur. Sed quia licet præcedat opus externum, quod causat; non præcedit nostram determinationem, quæ habetur per velle nostrum, idèò non est gratia prædeterminans, sed præoperans nostros actus exteriores. Hic quarimus gratiam efficacem, qua Deus nos determinat ad actus exteriores: hæc non est concursus gratiæ cooperantis, nam hic supponit nos jam determinatos per nostrum velle ad operandum: ergo velle nostrum est gratia determinans nos ad *facere*, & hoc intendimus; vel quid aliud distinctum

à velle nostro; & hoc aliud negamus.

81. Probatur secundò nostra conclusio ex P. Augustino, qui ubique Dei adiutorium ad facere constituit in nostro velle, à Deo causato. Lib. 2. de Peccatorum meritis, & remiss. cap. 17. *Dum autem illius adiutorium deprecamur, quid aliud deprecamur, nisi cognitionem, & amorem?* Lib. de Gratia, & lib. arb. cap. 16. *Ab illo petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus.* Ibidem. *Cum dicit faciam ut faciatis Ezechielis 36. quid aliud dicit, quam auferam à vobis cor lapideum, unde non faciebatis; & dabo cor carnum, unde faciatis.* Hoc est dabo amorem, & velle. Ibidem. *Ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Hoc est amoris, ut dictum, & probatum est num. 11. Et lib. de Gratia & lib. arb. cap. 21. *Agit omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, (hoc est velle humanum) ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit.* En medium, quo Deus facit nos agere quod vult, nempe motus voluntatis nostræ, aut nostrum velle.

Sic inclinavit, & movit Regem Assuerum, ut faceret quod Regina poposcerat: *Operando in corde Regis quid aliud, quam voluntatem (id est velle) qua iussit, & factum est quod Regina poposcerat?* Libro contra duas Epist. Pelag. cap. 2. & lib. de Corr. & Gratia cap. 14. quærens quo medio Deus movit Bellatores Israel; ut constituerent David Regem, ait: *Numquid corporalibus ullis vinculis*

alligavit? Quo dimisso, ut absurdo; prosequitur: Intus egit, corda tenuit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Tractatu 26. in Ioannem. *Amore, & delectatione trahuntur homines.* Legatur integrum caput. 17. libri de Gratia, & lib. arb. planè, & plenè istam doctrinam multis Scripturæ testibus confirmatam invenies.

De mente D. Thomæ, & Beati Egidij hoc ipsum probatum est questione præced. num. 63. Si autem velis plenè edoceri à D. Thomæ, de modo quo amor, & dilectio Dei, est motio ad implendam totam legem, & vitandum omne peccatum; lege integrum caput 4. opusculi 61. de Dilectione Christi, quod nunc omittimus brevitate gratia. Ejus pauca dedimus hic num. 66.

82. Probatur à ratione. Deus faciens nos facere, facit nos liberè facere; non enim solum causat substantiam nostri actus, sed modum ejus, nempe libertatè: sed faciendo nos velle facere, facit nos liberè facere, & non aliter: ergo gratia, qua Deus nos facit facere, est ipsum velle, quo facit nos volentes facere. Probatur minor. Idè nos agimus liberè quod agimus, quia volentes facimus; si enim vel nolentes ageremus, vel non volentes, ageremus coacti, vel non liberè: sed Deus dando velle nostrum, facit nos facere volentes: ergo operando nostrum velle; facit nos liberè facere.

Rursus. Deus sic facit, ut faciamus opera meritoria; quòd illa prius sunt à Deo, quàm à nobis; solus enim

enim Pelagianus error fecit in merito opere priorè creaturam, posteriorè Deum. Sed Deus per actionem immanentem, qua causat nostra opera, in nobis, non est prior nobis, sed simul, quia nobiscum cooperatur, ut ait supra P. Augustinus; operans autem nostrum velle, est prior, ut dictum est: ergo facit ut faciamus, faciendo nostrum velle, quo volumus facere.

Rursus. Voluntas imperans, tū sibi subsequentes actus ad imperium, tum actus aliarum potentiarum, facit se, & alias potentias facere, per hoc solum quòd velit facere: ergo Deus, qui intimior est intimo nostro, facit voluntatem, & alias potentias nostras facere, dando velle, quo voluntas velit facere. Patet consequètia, quia commentitium est ponere necessarium aliquid, ut Deus faciat nos facere, quòd necessarium non sit, ut creatura volens, faciat potentias suas facere. Antecedens est certum, quia voluntas, dum sibi imperat actum, non imprimat sibi aliquam qualitè, aut quid præterit ad talem actum; quòd etiam docet verior Philosophia de voluntatè relatè ad alias potentias, sibi subditas.

Tandem. Voluntas per hoc quòd vult finem, movet se ipsam ad volendum eam, quæ sibi est finis, ut docet D. Thomas 1. 2. q. 9. art. 3. in corpore: ergo Deus, qui dat voluntati illud velle, quo vult finem, per illud movet voluntatem ad volendum eam, quæ sibi est finis, & sequenti ratione ad primam volitionem finis. In

hoc principio fundatur tota doctrina D. Thomæ loco laudato opusc. de Dilectione Christi. Ob id etiam B. Egidius in 2. dist. 41. q. 1. art. 2. in corp. ex P. Augustino libro 13. confes. cap. 9. dicente: *Amor meus pondus meum, eo feror* (nota quo medio, nempe amore) *quocumque feror, dicit: Sic intellectus apprehendens bonum, activat voluntatem, & generat in ea quendam amorem boni, quasi quamdà gravitatem, & quendam formam gravitatem, per quem amorem, sive gravitatem, voluntas movet se ad actum suum, & movet alias potentias ad actus earum, & membra exteriora ad opera eorum in finem.*

83. Dices. Gratia nequit esse nobis libera; sed si gratia requisita ad facere, consisteret in nostro velle gratia illa esset nobis libera; cum velle illud nobis liberum sit: ergo gratia requisita ad facere, nequit consistere in nostro velle: Major patet, primò quia gratia est quæ à Deo gratis datur, & à solo Deo; quòd autem est nobis liberum, non est à solo Deo, sed à nobis; nec est unicè donum Dei, sed effectus noster. Secundò: Illud velle liberum est effectus gratiæ, & Dei operantis in nobis sine nobis: ergo non est gratia, sed effectus ejus. Tertio: Nam quòd est nobis liberum, possumus illud dare nobis: at nemo potest sibi dare gratiam: ergo gratia nequit esse nobis libera. Minor patet ex P. Augustino quest. 2. ad Simplicianum docente, quòd nemo habet in sua potestate vocationem congruam; & sic nemo potest dare sibi gratiam.

gratiam excitantem: ergo nec adi-
van em. Quarto: Gratia est donum
Dei, donum autem unice pendet ex
voluntate donantis, non autem ex
voluntate recipientis, nisi mere pas-
sive, ut docet Concilium, astruens in
nobis libertatem unice in recipiendo
gratiam cum potentia illam abjiciē-
di: *Quippe qui illam abjicere potest.* Sed
quod est nobis liberum per modum
actus, ut est velle nostrum, est nobis
liberum active, quia revera efficiamus
nostrum velle: ergo in eo nequit gra-
tia consistere.

Respondeo primò, hæc omnia
instari in dono Perseverantiæ, vel
auxilio quo ad illam requisito, quod
est gratia, & maxima omnium gra-
tiarum, distinguens inter filios Reg-
ni, & filios gehennæ: & tamen tale
auxilium, & donum, consistit in amo-
re ardentissimo Dei, à nobis elicitò,
& nobis libero, ut vidimus ex S. P.
Augustino ubi supra num. 64. Er-
go non est specialis difficultas contra
præsentem doctrinam de auxilio re-
quisito ad facere.

Respondeo secundò, quòd no-
strum velle est à Deo, & à nobis;
prout à Deo, est nobis liberum: ce-
terum sic non est gratia ad facere.
Prout à Deo, sic est gratia: ceterum
sic non est nobis liberum. Sic loqui-
tur P. Augustinus de meritis nostris,
vocans illa gratiam, & docens, quòd
Deus reddens gloriam pro meritis;
Reddit gratiam pro gratia. Sunt ergo
merita nostra dona Dei, & prout à
Deo, sunt gratia; nec sic sunt nostra;
nec nobis libera. At quia illa sunt

etiam à nobis liberè operantibus, sic
sunt nostra, nec sic sunt gratia, sed
merita, & effectus gratia. Paritas ista
non est exemplum, sed identitas:
Quam amplius oportet explicare.

Igitur velle nostrum prout à
Deo, est donum Dei, & gratia;
quia gratis datur, & ex unica volun-
tate Dei donantis, nec ullis præce-
dentibus meritis nostris. Et quia per
hoc velle, ut à Deo est, movet Deus
nos ad facere; idèd hoc velle ut à
Deo, est gratia, & auxilium quo ad
facere: nec est nobis liberum formaliter
sub ea ratione, qua est ad facere. Idè
velle, entitative sumptum, est gratia
nobis, & sic est nobis liberum. Ceterum
sic nō est gratia, quia velle, ut à nobis
formaliter, non est id, quo Deus de-
terminat nos ad facere; sed est id, quo
voluntas nostra seipsam determinat
ad faciendum. Quare velle illud idè-
tice est gratia, & non est gratia, est
nobis liberum, & non liberum; nem-
pe sub diversa ratione formali; quia
est gratia prout à Deo, & ut per illud
Deus movet voluntatem ad facere;
non est gratia, sed effectus gratia;
velle illud ut à nobis, & ut per illud
voluntas se determinat ad facere.

Dices: etiam velle illud prout
à Deo, est nobis liberum, quia non
fit à Deo in nobis; nisi dependentet à
consensu negativo, à nobis liberè
præstito vocationi: ergo sub quacū-
que formalitate est gratia, est etiam
nobis liberum. Respondeo: velle il-
lud, ut à Deo, non esse nobis liberum
positive, & efficienter, quia non pos-
sumus illud sic acquirere per nostrum
actus,

actus, & merita. Est tamen nobis li-
berum negative, & dependentet à no-
bis, non ponentibus impedimentum;
& hoc modo gratia potest; & debet
esse nobis liberum juxta Dei provi-
dentiam, dantis gratiam omni, non
se impediens. Solutio est D. Thomæ
3. contra Gentes cap. 139. cujus
verba dedimus num. 42. & latè id
probatum est à num. 74.

Hinc plene evanescunt replicæ
factæ. Concedimus gratiam ut talem
formaliter, non esse nobis liberam;
nec illam posse nobis nos dare, uni-
cèque à Deo donari; illamque non
esse in nostra potestate; sed Dei do-
nantis. At hæc omnia quadrant no-
stro velle, ut à Deo venit. Cum hoc
stat idèd velle esse à nobis, & esse
nobis liberum, esse in nostra pote-
state &c. quia sub hac formalitate
non est gratia, sed est effectus nobis
& nostre voluntatis elevata per gratia-
tiam.

84. Quæritur: An gratia requisita
ad facere, sit absoluta, an verò re-
spectiva? Thomistæ docent gratiam
consistere in qualitate, & esse effica-
ciam gratia esse absolutam, ita ut pro
quocumque opere deum illud insti-
tibiliter inferat, & efficiat. Quare sine
ullò respectu ad majorem, vel mino-
rem difficultatem operis, nec ulla ha-
bita ratione subiecti, quantum se in
quocumque subiecto, & ab quocum-
que opus detur, efficax sit. Ratio esse
potest. Primò, quia talis qualitas da-
tur in vi decreti efficacis de tali ope-
re: sed Decretum Dei, est actus Divi-
nae voluntatis, que habet efficaciam

absolutam, non enim Divina voluntas
est minus potens in uno subiecto, ac
in alio; nec respectu Dei est magis
difficile creare Angelum, quam ele-
vare festucam: ergo qualitas præde-
terminans ad facere, habet efficaciam
absolutam sine ullo respectu ad sub-
jectum, cui datur, vel ad opus, pro-
pter quod datur.

Secundò: Quia ponere efficaciam
respectivam relatè ad subiectum, est
dicere quòd eadem gratia, que in
uno subiecto est efficax pro castitate
v.g. in alio est inefficax: sed hoc est
contra Apostolum 1. ad Corinthios
cap. 14. dicentem: *Quis enim te discer-
nit?* ergo non est ponenda gratia re-
spectiva. Probatum minor. Quia si cū
eadem gratia unus est castus, alter nō
tunc castus discernitur à non casto; &
talis discretionis causa non est Deus,
nec gratia, que in utroque est æqua-
lis; & ab eo in quod conveniunt, sicut
non potest sumi distinctio, sic nec
discretio. Ergo non Deus, sed ipse
homo castus se discernit à non casto.
Quod ibi negat Apostolus, & dicitur
Et Confirmatur. Nam ad Rom.
9. dicitur: *Non est volentis, neque cur-
ventis, sed Dei miserentis:* at in casu
posito, quòd unus sit castus, non est
Dei miserentis, sed hominis cur-
rentis, aut volentis; ergo idèd Pro-
batur minor. Nam Deus miserens est
Deus dantis gratiam pro castitate v.g.
at utrique homini dedit æqualem
gratiam, æque miserens utriusque;
ergo quòd, unus præ alio sit castus,
non venit à Deo miserente, sed ab
homine volente.

Confirmatur. Nam implicat efficaciam gratiæ pendere à nobis, & sumi à nobis. Hoc patet omnibus argumentis, quibus Thomistæ impugnant gratiam efficacem Iesuitarum, pendentem à libero consensu creaturæ. Sed ponendo gratiam respectivā & non absolutam; incidimus in eadem rationes, & inconvenientia: Rursus, videtur necessaria scientia mediæ, qua Deus videat qualitatem genium, indolæ, & alias circumstantias creaturæ, cui dat gratiam, ut sciat an gratia danda, sit sortitura effectum, necne: ergo dicendum est gratiam esse absolute efficacem, non respectivè.

Idem tenentur dicere, qui constituunt gratiam efficacem per actionem immanentem Dei. Nam cum hæc sit ipsa Omnipotentia, cujus efficacia est æqualis pro omni opere, & in quocumque subjecto operetur: ejus efficacia est absoluta, non respectiva. Quod confirmant DD. hujus sententiæ eisdem argumentis, ac DD. qualitatis prædeterminantis.

83. Nobis cum S. P. Augustino dicendum est, gratiam non esse absolute efficacem, sed respectivè, nedum respectu operis, quod juxta majorem, vel minorem difficultatem petit majorem, vel minorem gratiam; sed etiam respectu subjecti. Sic docuit nostram sententiam N. Montalvo tractatu de auxilijs, ubi fatetur se aliquando tenuisse oppositam, sed facta Scripturæ testimonijs, & P. Augustini convictum, præcedentem retractasse.

11. Probatur 1. ex Apost. 1. ad Corinth. 10. *Fidelis autem Deus non permittet vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tētatione præventum, & ut alij legunt victoriam.* At quomodo id faciet? Respondent PP. quòd dando majorem gratiam, & tanto majorem, quantum crescat tentatio. Sed si gratia eadem pro levi, & gravi tētatione sufficeret, ed quòd habet efficaciam absolutam; non esset necessarium addere gratiam, quantumcūque cresceret tētatio; nec umquam diabolus posset tentare supra id, quod possumus: nec pro hoc beneficio Apostolus assignans causam, veram dedisset, dicens: Deum esse fidelem, sed deberet recurrere ad Omnipotentiam Dei, cujus efficacia est absoluta pro quacumque tētatione nostra vincenda: ergo cum hæc illata, falsa sint, & contra mentem Scripturæ, & PP. gratia non est ponenda absolute efficax, sed respectivè.

Urgetur. Pone diabolus leviter tentantem. Vel ergo habeo qualitatem illam Thomisticam, vel non. Si non habeo: Succumbam tētationi infalibiliter juxta eorum doctrinam. Si habeo: Cum hæc qualitas sit efficax pro quacumque tētatione; ut quid timeo urgentius tentari? Ut quid diabolus vires acuit, & urgentius tentat? Non nisi stultè, si qualitas illa absoluta est, & potens ad victoriam cujuscumque tētationis.

Urgetur. Qui levi tētatione tentatus gratiam habet pro illa vincenda, si hæc absoluta est, erit sufficiens pro quacumque etiam gravissimā

ma superanda. Ergo dum à dæmone acrius tentatur, non indiget orare Deum pro majore gratia, nec petere, ac non permittat dæmonem tentare supra id quod potest. Hoc absurdum est, & contra praxim Sanctorum, & continuas orationes Ecclesiæ, quæ in Apostolis edocta est à Christo Domino dicente: *Vigilate, & orate, ne intretis in tētationem.* Matth. 26.

86. Mens S. P. Augustini circa gratiam excitantem, & vocantem, est perspicua. Lege lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. quæ tota est de congruentia vocationis. Et vide dicta à nobis num. 20. Quantum ad gratiam adjuvantem, qua facit nos facere, res est clarissima. Nam illa consistit in nostro velle, ut probatum est cum S. P. sed velle nostrum, quandoque est imbecille, quandoque robustum: ergo habet gradus, & sic efficaciam respectivam. Audi S. Parentē libro de Gratia & lib. arb. cap. 17. dicentem: *Qui enim vult facere Deū mandatum, & non potest; jam quidem habet voluntatem bonam, sed parvam, & invalidam; poterit autem, cum magnam habuerit, & robustam.* Ob id lib. eodem cap. 16. dicit: *Ab illo (id est à Deo) petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus.* En necessitas orandi majorem gratiā juxta majorem operis faciendī difficultatem: Et cum hæc gratia consistat in nostro velle, quod interdum est invalidum, interdum robustum, à Deo petendum est tantum, ac tale, quantum sufficiat, ut volendo faciamus.

Sic ibidem cap. 17. ait: *Istam charitatem (intellige robustam) Apost. Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit: timor enim non est in charitate, sicut ait Apost. Ioannes in Epistola sua, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Et tamen quavis parva, & invalida, non deerat, quando dicebat Domino, Animum meam pro te ponam; putabat enim se posse, quod se velle sentiebat.*

Et paulò superius: *Quando enim Martires magna illa mandata fecerunt (nempe confiteri Deum coram tormentibus) magna utique voluntate, hoc est magna charitate fecerunt: de qua charitate ipse Dominus ait, Ioann. 15. Majorem hac charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Quid moramur? Lege integrum librū laudatum, præsertim totum cap. 17. nam totum est de inæqualibus gradibus nostri amoris, & charitatis, vī ejus inæqualitatis, quandoque sufficit pro opere faciendo, quandoque non.*

Ratio doctrinæ Augustinianæ est, quòd omnis difficultas operis conducentis ad finem, vincenda est per amorem finis. Ergo quò major est difficultas operis, eo major debet esse amor finis, quo vincitur. Petrus, ut vidimus, amabat Christum, dum in cœna promisit pro eo subire mortem ac amor ille nulla urgente tētatione, nec ullo tempeste exercitius fuit sufficiens, sed insufficientis urgente tētatione, ut probavit eventus.

Hinc percipies facillè difficilia verba S. P. Augustini in de Corr. & Gra-

& Gratia dicente de Sanctis post lapsum Adami: *Tantum quippe accenditur voluntas eorum, ut ideo sic possint, quia sic volunt, ideo sic velint, quia Deus operatur, ut velint.* Cum enim prius sit posse velle, quam actu velle, dubium est quomodo sic possunt Sancti, quia sic volunt. At dubium cessat, notando ibi non loqui Augustinum de posse ad volendum, sic enim inepta sententia reddit. Sed de posse ad faciendum consequenter, & cum effectu; quod posse datur à charitate, amore, & velle, è quòd *Sarcina legis Dei, quæ infirmitati gravis est, levis efficitur charitati.* Juxta P. Augustinum ubique, sed expressis verbis cap. 17. de Gratia & libero arb. & de Perfectione justitiæ cap. 10.

Sensus ergo est. Idèd Sancti possunt cum effectu tot vincere tentationes, tot subire molestias, & tormenta, tot, ac tanta, quæ in lege Domini præcipiuntur, fideliter adimplere, quia sic volunt, nempe amore ardentissimo, & idèd tali amore volunt; quia Deus in eis operatur illud velle robustum: *Nam si in tanta infirmitate vita hujus* (prosequitur ibi S. P.) *Deus in eis non operaretur hoc velle, deficientes infirmitate sua, aut non vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent.*

87 De mente D. Thomæ vide dicta quæst. precedente num. 64. quibus addimus quòd quæst. 1. de Potentia art. 2. ait: *A Deo moventur quedam efficacius, quedam minus efficaciter.* Et cùm Opusc. 61. cap. 4. teneat Deum movere nos per amorè

sui ad omnia quæ facimus: constat mille locis doctrinæ ejus; totque in doctrina B. Agidij, amorem nostrum habere gradus, sicut & opera ea amore facienda, esse alia alijs difficilia. An ne amor Dei sufficiens movere me ad dandam eleemosynam, sufficiet ad subeundum pro Christo martyrium? Ergo cùm gratia effectivè movens ad facere sit amor finis, & nostrum velle: id non est efficax absolute, sed respectivè. Vide quæst. præced. num. 70. & 72. duas validissimas rationes hujus nostri asserti, quas nunc cum alijs omitimus, cùm satis constet de mente S. P. Augustini, quam præcipuè intendimus.

Nec urgent fundamenta contraria, posita num. 84. Ad primum dicimus, talem qualitatem præviam, (sæ tollit libertatem, ut probatum est n. 10.) dari solùm in vi decreti efficacis de nostro opere, non libero, sed necessario. Potest enim Deus necessitare nostram voluntatem, juxta illud Evangelij *compelle eos intrare:* & hoc nullum medium est aptius, quam qualitas illa, quæ est forma ad unum determinata. In vi autem decreti efficacis de nostro opere libero datur medium efficax quidem, sed non efficacia absoluta; sed respectiva, quam Deus prævidens, & donans tali prævisione, infallibiliter obtinet effectum: *Non enim Deus frustra miseretur* (ait S. P. Augustinus quæst. 1. ad Simplicianum) *Cujus enim miseretur, sic vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* En medium non absolutum, sed respectivum, nam

nam uni congruum, alteri incongruum. Sed ne frustretur voluntas & misericordia Dei, quæ habent efficaciam absolutam; idèd adest scientia de congruitate medijs, qua adhibita, medium est infrustrabile.

88 Ad secundum dicimus, quòd eo loco Apostolus retundit superbiam quorundam Corinthiorum, qui se Sanctos putabant, & propria virtute, non Dei gratia, ut videri potest apud interpretes. Eo testimonio sapè utitur S. P. Augustinus contra Pelagianos, qui viribus liberi arbitrij tribuebant meritum bonum vitæ æternæ. Quare procedit cõtra omnes, qui docet discretionè justitiam ab injusto fieri à creatura nõ à Deo. Ceterum sicut homo cùm gratia Dei causat merita bona, quorum Deus est causa prima, & homo secundus: sic cum ejus adjutorio causat discretionem, quæ primò est à Deo, & secundò à nobis. Ob id dicit Apostolus de seipso, ut observat P. Augustinus, *Abundantius omnibus laboravi.* En seipsum discernit ab alijs Apostolis 1. ad Corinth. 15. sed ut doceat quomodo se discreverit, addit: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Ob id qui in seipso gloriatur, vanus est: qui in Domino, benè gloriatur. 2. ad Corinth. 10. *Qui gloriatur, in Domino gloriatur.*

In Casu autem argumenti, ponentis duos cum æquali gratia pro servanda castitate, dicendum est, vel quòd non sunt æqualiter tentati, sed magis, qui defecit. Et tunc, qui stetit castus, Deo debet perseverantiam, qui non permisit ita tentari, ut alterum.

Vel data æqualitate tentationis ex parte objecti, ille cessit, qui precedentibus peccatis factus erat minus habilis; stetit autem, qui minora patravit peccata: Quod etiam Deo debet tribuere, nam teste S. P. Augustino ad illa verba Apostoli: *Gratia Dei sum id quod sum* 1. ad Corinth. 15. dicere debemus: *Et gratia Dei non sum id, quod non sum.* Quoniam non solum est effectus Dei miserentis quidquid boni habemus, sed quidquid mali non habemus, cùm omne malum habere possimus.

Vel tandem, ut magis urgeat argumentum, sicut gratia, & tentatio supponuntur æquales, sic supponatur ex parte hominis utriusque eadè dispositio. Quæ casum in Angelis ante primum peccatum potuit accidere: sed illi noluit admittere P. Augustinus 12. de Civit. Dei cap. 9. dicens: quòd qui ceciderunt: *Aut receperunt minoram Divini amoris gratiam, aut alij, nempe qui steterunt, fuerunt amplius adjuti &c.* At ex doctrina S. P. lib. 83. qq. quæst. 61. potest admitti casus; & dici, quòd adhuc Deus primò discernit; unde castus debet Deo tribuere quòd castus sit, alter sibi quòd non sit castus. Audi S. Parentem.

Ad illam canam in Evangelio preparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voerunt; nec illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque neque illi debent tribuere sibi, qui venerunt; neque illi, qui venire noluerunt, debent alteri tribuere, sed sibi: quoniam, ut venirent, in ipsorum erat potestate. En omnes æqualiter forsan vocati

ad cœnam, alij venerunt, alij non. Qui venerunt, non debent sibi tribuere (intellige primò, & ut primæ causæ) nam venerunt vocati, & vocatio non ab ipsis, sed à Deo est. Qui non venerunt, non Deo, sed sibi tribuant quòd non venerunt, quia semel vocati, in eorum potestate erat venire, & sua culpa non venerunt. Sic in casu nostro. Qui castus manet, id tribuat Deo, quia manet sic vi gratiæ; & gratiam istam à solo Deo accepit, quare castitas sequuta, Deo primordialiter tribuenda est, licet secundò tribuatur homini. Qui labitur, sibi tribuat, non Deo; qui per gratiam dedit potentiam ad castitatem servandam.

Nec obstat, quòd discretio, sicut distinctio, nequit sumi ab eo in quo conveniunt: conveniunt autem in gratia recepta, quæ supponimus plenè æqualem juxta ultimam suppositionem. Non obstat, nam non dicimus eos discerni penes gratiam receptam, sed penes usum gratiæ. Hic usus, quo castus discernitur à non casto, est effectus gratiæ primò, & per se, & hominis per se secundò: ergo discretio penes talem usum, numquam primò venit à creatura, sed à Deo. Hoc docet, & non aliud, Apostolus. *Non ego (ait) sed gratia Dei mecum.* Vide dicta num. 37. ex D. Thoma, quæ facillè applicantur gratiæ adjuvanti, licet illa dicta sint de excitante & vocante. Sic intellige dictam P. N. lib. 3. q. 9. q. 68. ubi ait: *Et si quisquæ sibi tribuit quòd venit vocatus, non potest sibi tribuere quòd vocatus sit. En vocatus veniens,*

sibi potest tribuere quòd venit. Non sibi primò, quia venit vocatus; & vocatio à Deo est, non ab ipso. Ergo sibi secundò: & hoc modo se discernit secundò, dependenter à Deo, primò discretore per vocationem, & gratiam.

89 Ad primam confirmationem respondemus cum S. P. Augustino quæst. 2. ad Simplicianum, verba illa potius debere intelligi de gratia excitante, & vocante ad primum velle; quàm de gratia, consistente in velle, quæ est adjuvans ad facere. Dicit P. N. *Non igitur idèò dictum esse putandum est: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia nisi ejus adjutorio non possumus adipisci quòd volumus, sed idèò potius, quia nisi ejus vocatione non volumus.* At si quæras à P. Augustino cur potius de gratia vocante, quàm de adjuvante, dicta est illa Apostoli sententia? Respondemus cum eodem S. Parente, illam inductam esse ab Apostolo, *ut totum nostrum meritum Deo detur, qui hominis voluntatem, & prævenit adjuvandam, & adjuvat preparatam.* Preparat Deus voluntatem nostram, vocando ad primum velle: adjuvat preparatam, quando per ipsum velle movet nos ad facere.

Cùm ergo juxta S. Parentem ubi sæpè supra: *Deus ut velimus operatur, cum autem volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur;* sequitur quòd nostrum velle sit à Deo operante sine nobis, & clariùs totum Deo debetur. At nostrum facere, quòd non est à Deo operante, sed cooperante nobiscum,

biscum, non ita clarè totum Deo debetur, sed etiam nobis. Unde fit, quòd verba illa Apostoli applicata gratiæ vocanti, plenè, & planè indicant, quòd tota discretio est à Deo vocante, & miserente: sed applicata gratiæ adjuvanti, de qua in hac conclusionè, non plenè, sed cum addito diminutive, nempe quòd nostrum facere est à Deo miserente *primordialiter*, à nobis *secundario*: etenim cùm Deus faciat nos castos cooperando; & cooperetur dando gratiam physicè moventem ad actus castitatis; ei priùs, sed creaturæ secundò, tribuendum est quòd sequitur ex adjuvante gratia.

In casu argumenti forsan non dedit utrique æqualem gratiam pro castitate, ut constat ex dictis. Sed dedit utrique æqualem; sanè in gratia ista æqualiter Deus utriusque miseratus est. Sūt inæquales in effectu, nèpe in observantia castitatis; hæc non est hominis volentis primò, & per se, sed Dei miserentis; quia licet ille sit castus, quia vult; vult tamen sic castitatem, dependenter à Deo miserente, & miserente ut prima causa omnis boni, moralis per vocationem, physica per velle à Deo causatum.

Ad secundam confirmationem dicimus nostram sententiam satis differre à sententia Societatis, ut constat ex toto § 3. præcipuè à num. 35. ubi discrimina posita sunt. Si quæ argumenta tum Thomistica, tum aliarum sententiarum contra nostram assertam militant, ea in decursu quæstionis soluta sunt, & ex doctrina data

plura alia solvantur. Ob id omittimus ea colligere, & seorsim solvere, ne eadem repetamus. Et quidem qui cumque arguat contra nos, debet intendere vel quòd gratia solum movet physicè, vel quòd solum moraliter, vel quòd solum indifferentè, vel quòd aliter in natura lapsa, ac in facta; vel quòd efficacia gratiæ est absoluta, vel quòd non consistit in nostro velle gratia requisita ad agere. Argumenta pro primo, soluta sunt § 2. & 3. Argumenta pro secundo, habentur §. 4. Quæ militant in favorem tertij, diluuntur §. 5. Reliqua autem §. 6. 7. & 8. unicum restat exponere; nempe an nostra sententia pendeat à scientia media, an à scientia vitiosis Thomistica fundata in decreto, an verò à nulla earum? De hoc §. sequenti.

§ IX.

Explicatur qua scientia Deus dirigitur, ut certo sciat nostrum velle, & nostrum facere.

90 **V**Num superest explicare pro plena intelligentia doctrinæ Augustinianæ, & sententiæ nostræ, nempe qua scientia dirigitur Deus, ut certo sciat, & faciat nos velle, & facere. Nec enim cecog, & ignorantia modo, nobiscum concurrit, sed providè, & scienter; cùm ejus sapientia attingat à fine usque ad finem fortiter, & disponat omnia suaviter. Nec solum conjeturaliter nostros actus explicere dicendum est,

quia cognitio illa est fallibilis; & ideo Deo infallibilis, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, repugnans. Nec quidquam fieri in mundo potest præter intentionem Dei; alioquin casualiter, aut fortuito res fierent etiam respectu Dei, quod à Gentilibus etiam, solo lumine naturæ discurrentibus, ut falsum, & Deo indignum reprobaturum est 2. *Physicorum* cum Arist. cap. ultimo. Ergo cum actus humani volendi, & faciendi, maxime, qui spectant ad supernaturalem ordinem, sint præcipua materia Divinæ providentiæ infallibilis; restat explicare qua scientia Deus dirigatur, ut eos certò noscat ab æterno.

Pro hujus aliquali explicatione (nec enim pro dignitate possumus in præsentis dubium expendere) nota Theologos concorditer fateri in Deo duas scientias: una dicitur necessaria, qua Deus noscit omnes veritates necessarias, ut sunt rerum essentiæ, & prima principia, v.g. *Quodlibet est, vel non est*. Hæc scientia dicitur simplicis intelligentiæ; & objecta sic cognita noscuntur in Divinis ideis, vel essentiâ Divinâ representante omnes tales veritates, & omnes creaturas posibles, quia omnia hæc habent veritatem necessariam, independentem à libera voluntate Dei, aut creaturæ: ob idque noscuntur à Deo per talem scientiam necessariam; & sic noscuntur ante omne decretum Divinæ voluntatis.

Altera scientia in Deo dicitur scientia visionis, & per istam cogno-

scit Deus omnia existentia, præterita, & futura, quæ absolutè, & certò futura sunt. Vocantur absolutè futura, illa quæ erunt sine dependentiâ ab aliqua conditione defectibili. V.g. Dies judicii sic est futurus, quia infallibiliter erit; nec existentia ejus pendet ab aliqua conditione defectibili; ideoque non est futurum conditionatum, sed absolutum.

Ultra has duas scientias, Theologis antiquis notas, contendunt DD. Societatis dari tertiam, quam vocant *Mediam*. Nomen sanè novissimum, sed res significata forsan antiquissima; de cujus origine vide nostrum Villanovam in *Promptuario Providentiæ* disp. 2. dub. 11. cap. 1. ubi docet, & testatur, eam ante PP. Societatis typis mandasse N. Mendozam q. 7. Scholastica in suis *Quodlibetis*, ubi fatetur illâ accepisse à nostris Augustiniani Salmaticensis Luyfio Legionensi, & Guevara, quorum se testatur discipulum fuisse eximus, & de tota Schola benemeritus Pater Suarius. Quidquid sit de origine de quo pulchrè satis N. Lafosse tom. 4. suæ Theologiæ; hujus scientiæ necessitas probatur in Deo brevissimè sic.

Ultra veritates supra relatas, datur altera cognoscibilis à Deo, quæ est media inter explicatas: ergo pro illa debet poni in Deo scientia, quæ sicut ex objecto probatur necessaria; ita propter objectum, quod est mediū inter supra explicata, debet dici scientia media. Probatur antecedens. Dantur aliqua futura conditionata, quæ

quæ habent veritatem certam, sed dependentem à conditione aliqua contingenti, v.g. Si in Tyro, & Sidone facta essent miracula Christi, converterentur. Ut dicitur Matth. 11. & Lucæ 10. Ergo hoc fuit ab æterno futurum. At conversio illa non fuit futura absolutè, sed conditionatè, nempe dependentè à conditione, quod Christus ante Tyrios fecisset miracula; & hæc conditio erat contingens, quæ potuit non impleri, imò non est impleta: ergo talis veritas erat futura non absolutè, sed conditionatè. Ergo erat media inter veritatem necessariam possibilem, & veritatem existentiam, aut absolutè futurorum. Patet consequentia. Quia habet aliquid de utroque extremo. Habet de possible, quod forsan numquam erit, ut revera non extitit conversio Tyriorum. Habet de futuris, quod ultra possibilitatem, addit conditionatam aliquam futurationem. Ergo veritas conditionatè futuri sic mediat, ut differat ab extremis, & aliquid habeat eorum, quo conveniat cum eis.

Hoc notato, breviter dicimus nostram sententiam de constitutivo prædeterminationis ad actus naturales, & auxilij quo ad actus supernaturales, ita esse independentem à principiis scientiæ mediæ, & decreti Thomistici, ut possit conciliari cum scientiâ mediâ; possit cum scientiâ fundata in decreto Thomistico; possit sine eis, per scientiam simplicis intelligentiæ; & præscientiam in ideis, quam de mente N. Eglij defendit N. Villanova in *Promptuario*.

Sed si de mente P. Augustini agendum est, tenendum putamus consequentius ad sententiam nostram, Deum certò scire nostrum velle, & nostrum facere per scientiam fundatam in decreto Thomistico. Id sigillatim, & quam brevius possim, insinuabo.

Et quidem quod nostra prædeterminatio non solum concilietur cum scientiâ mediâ, verum illius usum necessarium exigit in Deo, inde patet; quia hæc scientiâ præcipuè astruitur, ut Deus certò sciat ea futura, quæ pendent ab aliqua conditione contingente. Sed quod ego cras vocatus à Deo velim, est futurum, pendens in nostris principiis à consensu meo præstito vocationis; & hic consensus est contingens, nam potest à me præstari, vel non: ergo meum crastinum velle, est futurum conditionatum, & strictum objectum scientiæ mediæ; quare illam in Deo necessariò postulat omnibus rationibus, quibus probatur à suis propugnatoribus.

Venio ad *facere*. Ut Deus noscat me cras aliquid facturum, debet scire, an meum velle sit tale, ut inferat infallibiliter meum *facere*. Sed quod velle inferat *facere*, est contingens; sapè enim non infert, ut de D. Petro dixit P. Augustinus ubi supra num. 26. Ergo hoc non potest cognosci nec per scientiam necessariam, nec per scientiam visionis certam, & infallibilem. Ergo per solam scientiam mediâ, ut dicitur in *Promptuario*, negant scientiam mediâ ut inutilem, quia cum Deus

Deus moveat creaturas media prædeterminatione, infallibiliter connexa cum actu, potest decernere quidquid voluerit sine periculo frustrationis decreti. At nostra prædeterminatio non est sic infallibilis; quia ad *velle* Deus prædeterminat media vocatione, cui possumus resistere; ad *facere* prædeterminat medio nostro *velle*, quod etiam est frustrabile, ut in D. Petro, & serè sepe in nobis accidit, de quibus D. Thomas dicit ubi supra, quod *Plerumque in nostra potestate cadit electio, sed non executio*. Ergo ne Deus decernens nostrum *velle*, aut nostrum *facere*, exponat suum decretum periculo frustrationis, debet ante decretum explorare nostram voluntatem, quid factura sit tum tali *velle*, quid de tali vocatione, an sit consensura, necne? Hoc non potest, nisi per scientiam mediã. Nam per scientiam fundatã in decreto non potest cognoscere nisi post decretum. Per scientiam autem simplicis intelligentiæ non potest cognoscere nisi veritates necessarias; quid autem factura sit voluntas, non est veritas necessaria, sed contingens: ergo per solam scientiam mediã id potest Deus cognoscere.

Hoc videtur dicendum de mente S. P. Augustini quæst. 2. ad Simplicianum, ubi ait misericordiam Dei esse infustrabilem, quia *sic vocat* (nempe eum, cuius miseretur) *quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat*. En scientia de congruitate vocationis præcedit vocationem: ergo & præcedit decretum vocandi. Patet

consequentia. Quia Deus decernit vocare congruenter eum, cuius miseretur, ne frustra miseretur: sed ut decernat vocare congruenter, debet prænoscere congruentiam vocationis: ergo ante decretum datur talis scientia. Hæc est media, supra explicata.

92 Jam verò, quod sine scientia media possit Deus certò noscere nostrum *velle* per scientiam visionis, fundatam in decreto absoluto, & efficaci Thomistico, ostenditur. Nam apud Thomistas, ideò non indiget Deus scientia mediã ante decretum, ut prius exploret quid factura sit voluntas, quia est Deus omnipotens, potens convertere creaturã ad quodcumque voluerit, quomodo, & quãdo voluerit. Quare noscens per scientiã necessariã se esse omnipotentem, & posse facere quidquid voluerit; sic utitur dominio infustrabili, & decernit quidquid vult nos *velle*, & nos *facere*, sine necessitate scientiæ mediæ. At etiam in nostra sententiã salvatur quod Deus est omnipotens, & potest convertere creaturam ad quodcumque voluerit, & quando voluerit: ergo potest in nostra sententiã, sicut in Thomistica (modo infra explicandò) decernere nos *velle*, & nostrum *facere*, sine scientiã mediã exploratrice.

Minor probatur 1. auctoritatè S. P. Augustini, cuius est, ut credimus, sententiã nostra. Nam de Cort. & Gratiã cap. 14. dicit: *Deo volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle, vel nolle in volentis*

volentis est potestate, ut Divinam voluntatem non impediatur, nec superet potestatem. Et infra: *De ipsis hominum voluntatibus facit quod vult, & quando vult, habens humanorum cordium quod voluerit inclinandum omnipotentissimam potestatem*. Loquitur S. Parens ad mentem Scripturæ, quorum testimonia clara sunt, sed alijs omiſsis, en Isaia 14. dicitur: *Dominus enim exercituum decrevit, & quis poterit infirmare*:

Sed age Sancte Pater, dic nobis, quomodo Deus habet itam inclinandum cordium omnipotentissimam potestatem: nam id benè videmus admittendo qualitatem, & prædeterminationem Thomisticam, ab intrinseco infustrabilem, & quæ à nullo duro corde respuitur; sed cum eam supra relegaverimus, quoniam tuæ doctrinæ parum conformem; & nostrum confugium de mente tuorum sit ad vocationem resistibilem, ad *velle*, quod non habet absolutam, sed respectivam efficaciam; quomodo per hæc media fallibilia, possumus tecum fateri Deum posse, quemcumque durissimum ad bonum convertere.

93 Id explicuit S. Parens quæstione laudata ad Simplicianum. Quare probatur 2. minor principalis ex S. P. ibi dicente: *Cum ergo alius sit, alius sic moveatur ad fidem, eademque res alio modo dicta, moveat, alio non moveat, aliumque moveat, alium non moveat*, (en medium fallibile, & respectivum) *quis audeat dicere, desuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque con-*

jungeret, in quo Iacob justificatus est. Et infra: *Quis etiam dicat, modum, quo ei persuaderetur, desuisse Omnipotenti? Sanè nullus*. En licet media seorsim sint fallibilia, attamen quia intra omnipotentiam continentur infiniti modi vocandi sic, vel aliter, nulla est dabilis creatura, quam Deus non possit convertere, illam vocando congruenter, & trahendo miris modis, ut docet S. Parens lib. 1. contra duas epistol. Pelagian. cap. 19. dicens: *Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui non potest intus in hominum cordibus operari*.

Ob id perperam, & contra mentem Augustini, concedunt aliqui possibilem creaturam inconvertibilem, quam Deus non possit liberè convertere; illa enim creatura esset per naturam pejor, quam Diabolus sit per peccatum; cum Deus Diabolum adhuc possit justificare, & ad quodcumque convertere miris, & varijs modis, sibi Omnipotenti possibili-bus. Nec qui arguunt ad inferendam creaturam, quam Deus non possit convertere, ex quo movet per vocationem resistibilem, arguant de mente Augustini. Nam in quæstione ista, & sæpè alijs, commendat Dei Omnipotentiam in convertendo quem voluerit, & quando voluerit; nec recurrit ad medium irresistibile, sed ad infinitos modos vocandi, intra quos, aliquis prævidetur à Deo congruus cuicumque creaturæ: ergo si vellet illum adhibere, potest quamcumque convertere.

Hoc supposito. En Deus noscens per

per scientiam necessariam se esse omnipotentem, potest ante omnem aliam scientiam decernere me velle; & me facere, quia est infinite potens me vocare ut velim; & infinite potens me facere velle, ut faciam. Sed hoc decretum, innixum soli Omnipotentia, est efficax ab intrinseco, & in eo, ut medio infallibili videt Deus meum velle, & meum facere: ergo sine scientia media precedente decretum, sed per scientiam fundatam in decreto, quæ est scientia visionis, videt Deus meum velle liberum, & meum facere.

Observa: quod semel posito decreto illo de meo velle, fundato in illa cognitione suæ omnipotentia; ut Deus exequatur tale decretum sine periculo frustrationis, debet cognoscere media opportuna, & congruentia, teste S. P. Augustino, ibidem docente, quod tunc vocatio est effectrix bonæ voluntatis, quando est congrua. Ergo licet ante decretum de meo velle, non sit opus cogitare de medijs, sed sufficiat scire omnipotentem, se habere media: at post decretum, quod est veluti intentio finis, debet Deus cogitare de medijs ad executionem, & ea eligere, quæ videantur congrua, rejectis incongruis. Sic vocat quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. Quare dum in Evangelio dicitur: *Quis ex vobis volens turrim adificare, non prius computat sumptus, si habeat ad perficiendum &c.* Hoc tantum de nobis verum est, quorum potentia finita forsan non habebit sumptus necessarios: Vn-

de ante intentionem operis, debemus sumptus computare. Ceterum Deus omnipotens, de quo nec ipse, nec nos dubitare possumus, *si habeat ad perficiendum*: non debet prius sic computare, sed absolute quidquid velit decernere. Sed posito decreto; ut providè disponat executionem, debet media congruentia ab incongruentibus discernere, ut illis, non his exhibitis, infallibiliter, quod decrevit, exequatur.

94. Quæres, qua scientia, & in quo medio videt Deus congruitatem vocationis, & auxilij? Respondeo id certissimum in S. P. Augustino, Deum non videre creaturas in seipsis, sed in seipso. Hoc multis locis docet P. N. & libro 83. qq. quæst. 46. docet quod sacrilegum, est oppositum judicare de Deo, dicens: *Non enim extra seipsam quidquam intuetur Deus; hoc autem opinari sacrilegum est.* Ergo quantum ad medium, in quo Deus cognoscit congruitatem auxilij, dubium ferè nullum est, cum in sententia P. N. debeamus dicere, Deum omnia cognoscere in seipso, & in Divinis ideis, ubi omnia plenè representantur sicut sunt in se, & perfectiori modo, ac in se possunt cognosci.

Representant ergo Divinæ ideæ voluntatem creatam, potentem consentire, vel dissentire si vocetur; representant etiam genium ejus, circumstantias, & inclinationes, quibus magis vel minus alliciatur: Cumque in ideis etiam appareat omne genus vocationis possibilis cum circumstantiis loci, temporis, opportunitatis, & alijs,

alijs, Deo plenè notis; videt Deus quæ vocatio in his circumstantiis est congrua voluntati; & visa illius congruitate, illam eligit, ut medium aptum executioni decreti. Hæc congruitas vocationis non habet ex se infallibilitatem physicam, sed ad summum, moralem. Ceterum adjuncta scientia Dei infallibili de illius congruitate, tunc vocatio habet infallibilitatem physicam, & metaphysicam certitudinem, ut docent DD. Societatis: videturque esse de mente P. N. Augustini, qui certitudinem misericordiae Dei erga electos, reducit in vocationem congruam, non ex se, sed adjuncta Dei scientia: *Vocat, sicut scit congruere ei, ut vocantem non respuat.*

Hæc scientia Dei potest dici conditionata; nam ejus objectum tale est: *Si vocavero voluntatē Petri tali vocatione, consentiet: si tūc, non consentiet.* At non est scientia conditionata consensus; nam hæc est quæ ponitur à DD. Societatis ante decretum: & talis non est necessaria, cum, ut vidimus, decretum absolute decernat consensus nostrum, & nostrum velle, & per illud Deus videat nostrum velle jam absolute futurum. Est ergo scientia conditionata congruitatis auxilij, & vocationis. Nam per illam non noscit Deus nostrum velle, sed medium congruum ad obtinendum liberè nostrum velle.

An autem hæc scientia congruitatis auxilij dicenda sit media, an visionis, an simplicis intelligentiæ, dubium est de nomine: voca illa

ut volueris; illa autem sine dubio est conditionata, & quæ jam supponit decretum prædeterminans absolute Thomisticum, & supponit scientiam visionis absolutam nostri actus; quare licet illius objectum sit veritas media inter possibile, & futurum absolute; & ob id scientia debeat dici media: at quia jam supponit scientiam visionis consensu decretati, & in linea intentionis; idè videtur vocanda scientia visionis reductivè, quoniam deservit ad executionem actus jam prævisi absolute futuri per scientiam visionis, fundatam in decreto absolute, & efficaci.

95. Si tamen velis præscindere, & nostram prædeterminationem defendere independentem à scientia media, & à scientia visionis fundata in decreto Thomistico; dic quod Deus cognoscit ante omne decretum, & ante scientiam mediam, futurum consensus nostrum per scientiam simplicis intelligentiæ in Divinis ideis. Hæc est sententia nostri Villanovani in Promptuario Providentiæ, ubi de mente Ægidij, & S. P. Augustini, illam multis probat; quorum tantum apponam hinc rationem quidem à posteriori, sed quæ satis persuadet intentum.

Nunc de facto voluntas D. Petri v.g. vocati ad Apostolatam, fuit in triplici signo. Primo nuda in puris naturalibus, & idè impotens sequi vocationem supernaturalem. In secundo signo pone eandem voluntatem jam elevatam, potentem consentire, vel dissentire vocationi. In tertio signo jam voluntas Petri se determinavit,

navit, & fuit actu consentiens, his, vel alijs auxilijs, de quo parum refert pro nunc.

En argumentum. Quidquid datur, & de facto est, eo modo quo est, fuit possibile: sed omne possibile est cognitū à Deo in ideis ante omne decretum, per scientiam simplicis intelligentiæ: ergo per illam ante omne decretum non solum vidit Deus voluntatem nostram potentem consentire, vel dissentire (quod est secundum signum explicatum) sed vidit voluntatem actu consentientem vocationi huic, cū impossibilitate consequenti dissensus. Patet hæc consequentia. Quia de facto in statu existentiae D. Petrus in tertio signo consentit vocationi, ita ut licet posset antecederet dissentire, non tamen consequenter. Sed omne quod est in statu existentiae, eo modo quo est, fuit possibile; alioquin aliquid existeret modo, quo non fuit possibile; & hoc repugnat: ergo in statu possibilitatis vidit Deus Petrum consentientem, cum impossibilitate consequenti dissensus.

Explicatur. Nunc voluntas D. Petri non solum fuit in signo potentiae consentiendi vocationi, sed in signo sequenti existit consentiens: ergo in statu possibilitatis ejus voluntas representata est non solum in signo potentiae, sed in signo actualis consensus. Patet consequentia, quia nil datur actu, quod eo modo quo datur, non fuerit possibile. Ergo si datur voluntas D. Petri consentiens liberè huic vocationi, sic fuit possibile. Ergo

per scientiam simplicis intelligentiæ ante scientiam mediam, & omne decretum, vidit Deus consensum Petri, & congruitatem auxilijs, sub quo nunc in statu existentiae fuit consentiens. Hac via cessat necessitas recurrendi ad scientiam mediam, & ad scientiam visionis Thomisticam.

96 Gonetius 1. p. suæ Theologiæ disp. 4. de scientia contingentium art. 3. §. 3. cui titulus: *Rejicitur sententia Ægidij Romani*. Citat B. Ægidium pro sententia docente Deum cognoscere futura contingentia in ideis ante decretum, in 1. sent. dist. 38. Hanc sententiam impugnat, quoniam, ut ait, contraria est D. Thomæ, & aliquomodo favet scientiæ mediæ. Hoc probat omnibus eis rationibus, quibus Thomistæ probant, quod ante decretum Divinæ voluntatis nihil est determinatè futurum, sed omnia sunt tantum possibilia, & indifferentia ad futuritionem, & non futuritionem: ergo idea, quæ representat objectum ut est, nequit ante decretum representare futurum, ut determinatè futurum, sed post decretum.

Rursus. Cū omne cognitum per scientiam simplicis intelligentiæ, sit cognitum per scientiam necessariam; & Verbum Divinum procedat ex scientia illa necessaria; Verbum procederet ex cognitione contingentium: ergo ejus productio non esset necessaria, sed libera; quod principijs fidei, & Theologiæ repugnat.

Ibi solvit rationem, quam vocat à priori sententiæ Ægidij, nempe quod

quod idea Divinæ ex se sunt infinitæ in representando: ergo ex se representant quidquid umquam possunt representare. Sed post decretum representant futura: ergo ante decretum. Hoc solvit, quoniam infinitas idea in representando, solum petit representare rem ut est, non autem aliter ac est: sed res ante decretum non est futura, sed possibilis: ergo ante decretum non representatur, ut futura, ab idea, infinitè representativa.

Hic author, sicut alij, qui æquali infelicitate impugnarunt præscientiæ nostri Villanovani, nec Ægidij sententiam, nec Villanovani sensum, perceperunt. Apud Ægidium, sicut apud D. Thomam, futurum non habet determinatam veritatem, nec esse futuritionis ante decretum, quare in ideis ante decretum non cognoscitur ut determinatè futurum, sed ut possibile. At hoc possibile intra statum possibilitatis habet determinatam veritatem, ut probat ratio à nobis facta. Ergo cū idea, ut concedit Gonet representet rem, ut est; si ante decretum, possibile habet determinatam veritatem, eam representat idea ante decretum. Restat ergo, ut impugnes Ægidij doctrinam, probes quod in statu possibilitatis nulla est determinatam veritas.

97 Dices: possibile ratione status est indifferens ad futuritionem, vel non futuritionem: sed indifferentia pugnat cum determinatione: ergo implicat in statu possibilitatis determinatam veritatem. Secundò illa determinatam veritatem sumitur ab ali-

quo principio determinante. Sed ante Divinum decretum, quod est primū determinans, nullum datur principium determinans: ergo nec ulla veritas determinata. Tertio in statu possibilitatis tam possibilis est consensus D. Petri, quàm dissensus: ergo idea utrumque representat possibile: ergo non representat determinatè consensum D. Petri, sed utrumque, & indifferenter.

Hæc non urgent multum. Ad 1. dic, respectu ejusdem termini repugnare indifferentiam, & determinationem; sed non respectu diversorum: habet possibile indifferentiam; ad futuritionem, & non futuritionem; & ideo illi sic repugnat determinatio ad futuritionem. Sed non repugnat ei determinatio ad veritatem merè possibilem, quæ possibilis manens, sit determinata. Et sic eam ponit Villanova.

Ad 2. dic, quod ab eisdem principijs, à quibus in statu existentiae sumitur determinata veritas hujus complexi *Petrus consentit*, ab eisdem in statu possibilitatis sumitur illius complexi possibilis determinata veritas. Ratio ex dictis constat; quia res eo modo quo est, fuit possibilis: ergo possibilis fuit dependenter ab eisdem principijs, quibus determinatè est in statu existentiae: sed in statu existentie consensus Petri existit determinatè ex vi hujus vocationis, datæ post decretum efficax de illius consensu: ergo fuit determinatè possibilis dependenter tū à decreto, tū à vocatione possibilibus. Quare ante exercitum de-

crem nota fuit Deo determinata veritas illius complexi.

Quod si tenias ante decretum exercitum, concedere in Deo decretum signatum, & possibile; dic mihi quomodo ante decretum doces, quod possibile est indifferentes ad futuritionem per decretum, vel non futuritionem per carentiam decreti? Debes ergo vel negare hanc in possibilibus indifferentiam; vel pro illo statu agnoscere possibilia; & signata decreta. Præterquam quod nos in statu possibilitatis agnoscimus veritatem determinatam, in eodem signo assignamus causam determinationis, nõ sic Thomistæ pro illo esse possibilem, quod dicunt sumi ab Omnipotentia; sicut esse futurorum à decreto, ut videre est apud Bayonam lib. 2. Philosophiæ. Et tamen ante signum Omnipotentia, quæ supponit cognitionem comprehensivam Dei, constitutivam Divinae essentia juxta plures; intelligitur Divina idea, representans possibilis: ergo per vos in signo, quo non intelligitur causa illius esse possibilem, jam datur tale esse, vel saltem Divina idea illud representat.

Ad 3. dic, quod in statu possibilitatis tam possibile est consensus, quam dissensus in secundo signo, à nobis explicato; nam in eo representatur voluntas potes ad utrumque. Ceterum in tertio signo actualis consensus, unice representatur consensus possibile determinate, cum impossibilitate consequenti dissensus. Si hoc neges, negabis quod tertium signum, datum in statu existentia, fuerit pos-

sibile: ceterum hoc est contra lumen naturæ docēs hoc veluti principium, res, eo modo quo est, fuit possibilis. Ex his patet ad impugnationes Gonetti, quæ supponunt falsum de mente Agidij: nec ista sententia favet scientia media, sed potius eam evacuat, sicut scientiam visionis Thomisticam, quam æquè probat non necessariam pro cognoscenda contingentium veritate, etsi necessaria sit pro cognoscenda exercita futuritione. Secunda ratio Gonetti est levissima, tum quia eodem falso supposito laborans, tum quia N. Gavardi, & alij Theologi docent, Verbum non solum procedere ex cognitione possibilem, sed etiam futurorum.

98 Venio ad ultimum quod promisi, nempe quid in hac re sentiam de mente P. Augustini. Dicendum censeo cum Thomistis, quod Deus ante omnem prævisionem nostri actus, decernit decreto absoluto, & efficaci nostrum velle liberum, & nostrum facere. Pro hoc decreto concipiendo, nulla alia scientia præcedit in Deo, nisi scientia necessaria simplicis intelligentia, qua noscit se esse omnipotentem, & habere in potestate sua infinita media, quibus potest congruenter vocare creaturam, ut velit; & movere, ut faciat. Posito isto decreto, jam per scientiam visionis videt nostrum consensum, & velle absolute futurum. Ceterum adhuc non videt per quod medium exequatur illa futuritio. Nam visio medij pertinet ad executionem, & ordinem executivum; decretum autem illud

illud fuit veluti intentio, & de ordine intentivo, in quo satis est videre intentum, & scire in communi dari media pro illo certa, præscindendo ab hoc, vel illo medio in particulari; quod non pertinet ad intentionem, sed ad executionem, imperatam ab intentione in signo sequenti.

Hoc modo in sententia Thomistica, & Patris Suarij, & quamplurimæ Societatis, docentium cum S. P. Augustino quod electio ad gloriam, etiã per modum coronæ, est ante omnem prævisionem meritorum; illa electio est veluti intentio gloriæ dandæ pro meritis, sed non supponit cognitionem meritorum, sed unice scientiam simplicis intelligentia, qua Deus noscens se esse omnipotentem, noscit posse facere infallibiliter nos merentes, quando, & quomodo voluerit. Pro signo autem sequenti ad istam intentionem, quod est signum executionis, cogitat de medijs, nempe de meritis, & auxilijs ad merita requisitis, ea eligens, quæ opportuna sunt. Et hæc electio executiva, imperatur à prima intentione absoluta dandi gloriam, & est ut effectus ejus. Quare licet in ordine executionis merita præcedant gloriam, in ordine tamen intentionis, gloria præcedit merita, & videtur absolute futura ante omne meritum. Sic in decernendo nostrum velle, & nostrum facere, ordine executionis auxilium præcedit nostrum actus; sed ordiue intentionis, prius vi decreti actus noster est futurus, quam prævideatur à Deo auxilium sub quo erit actus noster: imò ab in-

tentione efficaci dandi nostrum velle, movetur Deus investigare auxilia congrua, & illa nobis exhibere.

Sic dicendum censeo de mente P. N. tum quia hic ordo Divinae Providentia congruit maximè Divinae Sapientia, & omnipotentia, ut bene ostendit P. Suarius lib. 3. de auxilijs cap. 15. & 16. tum quia talem ordinem ponit P. Augustinus in electione nostra ad gloriam, ut apud eundem, & ferè omnes Thomistas, videri potest. Lege S. Patrem lib. de Corr. & Gratia cap. 7. & de Gratia & lib. arb. cap. 17. Tum tandem, quia sic loquitur Apostolus Gratia Doctor ad Rom. 8. dicens: *ijs, qui secundum propositum vocati sunt Sancti*. Vbi vocationem congruam, qua Sancti vocantur, eam vocat *secundum propositum*: idem est propositum ac intentio. Deum efficax de effectu: ergo ab illo proposito, & intentione, imperata est scientia investigans congruitatem vocationis; & data est vocatio secundum propositum, & intentionem præconceptam.

Hunc modum loquendi Doctoris Gratia sequitur Defensor Gratia S. P. Augustinus, ubique, ostendens, qui nam vocentur congruenter, qui incongruenter, nempe illi congruenter qui secundum propositum vocati sunt: qui à Deo misere, vocatur; & quoniam Deus nullius frustra miseretur, (en intentio efficax) sic vocat quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat; En scientia congruitatis auxilij, & ejus exhibitio, pertinentes ad ordinem executivum, & imperata ab intentione

tionem efficaci, & proposito Dei miserentis.

99. Hoc duplici ordine intentione, & executivo, conciliantur plura Scripturæ, & PP. præsertim P. Augustini, testimonia contraria. Nam S. P. lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. insinuat; quod electio ad gloriam est post prævisionem meritorum. Dicit sic: *Non electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio. Nemo enim eligitur nisi jam distans ab eo, qui rejicitur.* En expressa autoritas, imò & ratio probativa, ut electio sit post merita prævisa. Nam nemo eligitur, nisi distans, & dissimilis ab eo, qui rejicitur; si enim nullo dato discrimine, unum eligitur, aliud rejicitur, sine ratione fit electio: sed discrimen electi à reprobo non est ante justificationem unius, si uterque æquè manet in peccato originali, aut personali: ergo electio non præcedit justificationem electi, sed potius justificatio præcedit electionem. Nihilominus scripturæ docet cum Apostolo, præsertim lib. de Prædest. Sanctorum cap. 17. *Quod Deus elegit nos ut essemus Sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate,* non quia eramus Sancti, sed quia futuri eramus Sancti. Egregium testimonium habetur lib. de dono Persever. cap. 14. ubi de Tyrijs, & Sidonijs ait: *Quoniam ut crederent, non erat eis datum* (en intentio dandi fidei non fuit pro eis) *ideò unde crederent* (nempe auxilium congruum) *fuit eis negatum.*

Hæc, & alia tum S. P. Augustini, tum aliorum PP. sibi adversantia vi-

dentur; sed revera non sunt, posito illo duplici ordine intentionis, & executionis. In executione meritum, & justificatio, præcedunt electionem ad gloriam; quia in re non eligitur nisi Sanctus, justus, & meritis plenus, quibus distat, & secernitur ab injusto. Sed ordine intentionis, electio præcedit justificationem, ut causa ejus, quia secundum propositum vocantur, qui vocantur, ut justificentur.

100. Dices: ergo sicut ante omnem prævisionem nostri boni actus, Deus decernit nostros actus bonos decreto positivo, quo eos vult efficaciter; ita ante omnem prævisionem nostri mali actus, Deus decernit etiam decreto permissivo nostrum peccatum. Ergo Deus nos deserit denegans gratiâ congruam; antequam à nobis deseratur, & antequam videamur deserventes Deū. Hæc consequentia evertit totam doctrinam nostram, supra datam, quæ diximus Deum nulli negare gratiam, nisi se impediens: ergo nec decernere potest permissionem peccati, sequenti ex denegatione gratiæ, nisi prævisa causa ex parte nostra, nempe nostro dissensu, aut impedimento, posito Divinæ vocationi.

Recentiores Thomistæ, ut videre est apud Ioannem à Santo Thoma, docent, quod sicut electio ad gloriam est ante prævisa merita; ita reprobatio negativa, hoc est exclusio à gloria, est ante prævisa demerita. Hanc putant consequentiam doctrinæ, ut salvent utramque intentionem dandi, vel negandi gloriam, esse à Deo absolute Domino dandi, vel denegandi

negandi quod nulli debetur. Hinc inferunt, quod sicut intentio Dei, quæ decernit nobis dare gratiam efficacem, præcedit omne meritum nostrum, & omnem prævisionem causæ, aut rationis ex parte nostra; ita intentio Dei, quæ decernit denegare nobis gratiâ efficacem ad meritum, nullâ habet causam ex parte nostra, nec à Deo prævidetur quid ante illud decretum, sed unice quia vult, nobis denegat gratiam efficacem ad meritum.

Istam consequentiam non admittit Concilium Valentinum cap. 3. dicens: *In electione Salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem peccatorum meritum malum præcedere justum iudicium.* Nec hic est recursus ad duplicem ordinem intentionis, & executionis. Nam ordine executionis æquè præcedit meritum bonum gloriam; sicut meritum malum pœnam: ergo loquitur de ordine intentionis, in quo solum meritum malum, non autem bonum præcedunt suas intentiones. Eandem consequentiam negavit P. Augustinus docens quod *Potest Deus sine meritis dare gloriam, quia bonus est; sed non potest dare pœnam sine demeritis, quia justus est.* Quare ante prævisionem saltem peccati originalis, nemo excluditur à gloria juxta S. P. Augustinum. De quo vide nostrum Noris in vindicijs, & N. Gavardi tom. 2. Theolog. quæst. 5. de reprobatione.

Ob id S. Parens ferè tribus capitibus integris libri de Cor. & Gratia, negat donum perseverantiæ, aut auxilium quo fuisse necessarium Ada-

mo innocenti ad perseverandum; ne admittens illud esse necessarium, & Adamo denegatum; illud concederet denegatum ante omne demeritum prævisum. Vide dicta §. 6. Ergo ante prævisionem alicujus peccati, saltem originalis in cujus pœnam negetur gratia congrua, vel efficax, nullam datur in Deo decretum negandi gratiam efficacem, & permittendi peccatum. Quare consequentia illa replicæ factæ, quæ à Thomistis laudatis conceditur, à nobis neganda est cum S. P. Augustino, & consequenter ad doctrinam in tota hac quæstione datam.

Rursus. Hæc non est bona consequentia: Substantia prædestinati est effectus prædestinationis: ergo & substantia reprobæ est effectus reprobationis. Nam licet Divinæ bonitatis congruat creare aliquem, ut illum beatificet; non tamen aliquem creare, ut illum damnet. Ergo licet Deo maxime conveniat, quærere gratiam congruam ex intentione nostri meriti; ei repugnat, quærere gratiam incongruam ex intentione nostri peccati. Vnde S. Thomas concedens Deum esse primam causam collationis gratiæ, negat illationem, nempe quod Deus sit prima causa denegationis gratiæ. Sic 1. 2. q. 117. art. 3. ad 3. dicens: *Quod defectus gratiæ causa est ex nobis: sed collationis gratiæ prima causa est ex Deo, secundum illud Osæ: Perditio tua ex te Israel, tam in modo in me auxilium tuum.* Idem clarior docet 3. contra Gentes cap. 159.

Hæc difficultas, quæ plurimum

contortit ingenia; semel me presente facta est in publicis disputationibus Universitatis Salmanticensis, convenientibus arguente, & respondente in eo, quod nodus iste esset insolubilis. Nam quod ante primum peccatum præcedit permissio ejus, certissimum est, pariter etiam certum quod ante primum peccatum nullum aliud præcessit peccatum, quo creatura desereret Deum. Ergo Deus non deserit à creatura; illam deserit, permittendo peccatum ejus? Hoc nequit concedi, quia est contra Scripturam, & Concilia, præsertim Tridentinum. Quid ergo in his pressuris confugium restat? certè non apparet.

101 Gratias Deo demus, qui nobis in sententia Augustiniana, quam intendimus explicare, viam sic perviam Augustino duce donavit, ut ferè evanescat difficultas, quæ talis est, quoniam falsum supponit. Deus ergo non aliter deserit, teste Augustino, & PP. nisi negando gratiam requisitam ad agendum. Dum enim in Scripturis Deus dicitur indurare Pharaonem. seducere peccatores; & alia similia; quæ locutiones sunt propheticae, nobis obscuræ, sed mysterijs plenæ; non indurat, aut seducit *impertiendo malitiam* (hoc enim solius demonis est) *sed denegando gratiam*, teste P. Augustino, *Occulto quidem judicio, semper tamen justo*. Sic derelinquit Deus, non dando malitiam, sed denegando gratiam, & ea auxilia, quæ nobis necessaria sunt ad vitandam malitiam, & peccatum. Permissio peccati secundi, quæ supponit aliud peccatum

personale, vel originale, est quidem desertio Dei, qua nos deserit, & nobis negat gratiam. Ceterum hæc jam supponit causam ex parte nostra, nempe primum peccatum, quo omnem gratiam demerimus: quare secundum peccatum dicitur à P. Augustino *Peccatum, & pena peccati*. De hac permissione non procedit difficultas, sed de permissione primi peccati, ante quod supponitur natura innocens, ut in Angelis, recenter creatis, & in Adamo innocente ante lapsum.

De his concedimus, quod ante eorum peccatum præcessit permissio Dei. Sed negamus quod illa permissio sit desertio. Hoc arguens statuit, quia supponit quod omnis permissio peccati est denegatio gratiæ, requisitæ antecedenter, vel consequenter ad vitandum peccatum: nam non aliter Deus deserit, ut dictum est. Ceterum hoc suppositum est falsum in doctrina Augustini, data toto §. 6. ubi vidimus, quod Adam innocens per gratiam acceptam poterat perseverare, non solum potentia antecedenti, sed consequenti; quare poterat sine nova gratia vitare omne peccatum. Ergo licet in nobis lapsis, qui nova gratia indigemus ad perseverandum, permissio peccati nostri, sit denegatio gratiæ requisitæ, & ideo sit desertio: at permissio primi peccati in natura innocente, non est denegatio gratiæ requisitæ, & sic non est desertio. Ergo licet ante primum peccatum Deus permiserit Adamum peccare; non ideo deseruit Adamum: quare nunquam nobis Augustinianis, tenentibus doctri-

doctrinam, datam §. 6. potest probari, quod Deus deserat, nisi prius deseratur.

Posuit Deus in Adamo innocente gratiam, qua posset consequenter perseverare sine peccato, si vellet: ut autem vellet, in ejus reliquit arbitrio, sicut ex P. Augustino dictum est. Ergo cum ejus perseverantia penderet unice ex illius velle, non autem ex ulteriori dono; permittere quod Adamus non vellet perseverare, non fuit denegatio gratiæ, nec desertio; sed fuit ponere gratiam in manu liberi arbitrij innocentis; quod non est pœna, sed beneficium, & gratia specialis illius status innocentiae, quam perdidimus primi peccati granditate, ut ait S. P. Hæc sufficiunt pro nodo solvendo. At profundior restat, ni fallimur, explicanda Augustini doctrina.

102 Dicit S. P. lib. 12. de Civ. Dei cap. 9. quod Angeli stantes fuerunt *amplius adjuti*, vel quod cadentes *minorem Divini amoris gratiam acceperunt*. Satis hic insinuat, omnes æqualiter ruituros, si cum equali gratia, eadem, & æqualis tentatio ipsos urgeret. Pone Deum prævidisse omnes ruituros, ut insinuat Patens noster. Nam si verum est, quod ab Augustino insinuat; de fide est, quod hoc à Deo prænotum sit. Vidit Deus in decreto sue Providentiæ generalis erga omnes Angelos, quo statuit eis dare æqualem gratiam, & eis permittere æqualem tentationem; omnes æqualiter ruituros. En in isto signo generalis providentiæ peccatum om-

nium prævisum, ut futurum.

Post ejus prævisionem Providentiæ Dei specialis, quosdam elegit, & prædestinavit ad gloriam; quosdam dereliquit, & reprobavit. Quos reprobat, justè reprobavit, nempe in pœnâ peccati futuri, prævisi à Deo in decreto sue Providentiæ generalis. Quos elegit, & prædestinavit, misericorditer, & gratis elegit, cum nullum eorum præviderit meritum, sed potius demeritum futurum in vi Providentiæ generalis; quod demeritum infallibiliter fuisset existens, nisi præservatis Angelis per specialem Dei providentiâ, vi ejus essent *amplius adjuti*. Totum hoc insinuat P. Augustinus tunc loco laudato, tum ubi supra dicens: *Deum sic ordinasse hominum, & Angelorum naturam, ut in ea prius ostenderet quid posset liberum arbitrium, deinde sua gratiæ beneficium, justumque judicium*.

Nota ly *prius, & deinde*, etiam in natura Angelorum: ut videas, quod iuxta P. N. etiam in natura Angelicâ Deus duplicem effectum ostendit sue Providentiæ. *Prius ostendit* sua Providentiæ generali, quid posset liberum arbitrium, etiam gratia adjutum, & magna gratia, sed *quam libero eorum reliquit arbitrio*, ut dicitur de Cor. & gratia. Quid potuit? certè quod Deus prævidit, nempe omnes æqualiter casuros. *Deinde ostendit*, nempe sua providentiâ speciali, qua *distinxit lucem à tenebris, quid posset sua gratiæ beneficium, justumque judicium*. Nam eligendo, & prædestinando quosdam, eos amplius adjovit, à peccato infallibiliter futuro præservavit, eosque

salvos in finem coronavit. Hoc totum fuit *sue gratiae beneficium*. In eodem signo reliquos reprobavit, ostendens in eis sanam iustam iudicium, quoniam reprobatio facta est in pœnam peccati futuri, jam prævisi, quod Deus noluit impedire, nec debuit; cum Angelis dederit gratiam, qua poterant etiam consequenter illud vitare, si vellent, ut §. 6. ostensum est. Cur autem si omnes æqualiter prævisi sūt casuri, quosdam elegit præservandos, quosdam non? Penes ipsam est. Sic voluit: nec de casu velis iudicare, si non vis errare, ut sæpè monet S. P.

Sic dicendam puto in doctrina S. Parentis sine præiudicio melioris iudicij aliorum, qui in doctrina, & Schola Augustiniana amplius profecerunt; quibus hæc ultima doctrina, & quidquid in tota quæstione à me dictum est, corrigendum, & emendandum subijcio. Sic salvatur dogma illud Augustinianum etiam in Angelis, quòd licet Deus ante prævisa merita elegerit quosdam ad gloriam, nullam à gloria exclusit, ante ejus prævisa demerita. Sic etiam salvatur quòd prima permissio peccati, futuri in vi providentiæ generalis, non fuit desertio Angelorum, aut negatio gratiæ, requisitæ ad peccatum vitandum, ut ex dictis num. 101. constat. Postea verò per providentiã specialem, reprobantem tertiam partem stellarũ, permisit iterum eorum peccatum, & eis denegavit illud *amplius adjutorium*, quòd concessit electis. Hac permissione secunda eos deseruit, sed jam Deus erat ab eis desertus per peccatũ

prævisum, ut futurum. Salvatur etiã, quòd sicut collatio illius *amplioris adjutorij* fuit medium ad assecutionem finis intenti, nempe gloriæ, dandæ electis, quare fuit effectus intentionis dandi gloriam, & fuit gratia data *secundum propositum ipsi, qui vocati sunt Sancti*. Sic secunda illa permissio peccati in reprobis, fuit medium causatum ab intentione eos reprobandi. Et resplendet Sapiencia Dei, misericordia, & iustitia in illa duplici Providentiã explicata; nec non *prius quid possit liberum arbitrium, deinde sua gratiæ beneficium, iustumque iudicium*.

§. VLTIMVS.

Quædam consuetudines ex dictis.

103 **E**X tota quæstione constat, quòd nostra sententia clarè ostendit omnia, quæ contendit sententia Thomistica. Ponunt Thomistæ Deum esse primã causam, primum determinantem, primum discernentem, primum, & unicum donatorem nostri meriti, & plenè dominum, & omnipotentem, ut nos convertat ad quodcumque voluerit, quãdo, & quomodo voluerit; imò magis habet in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi suas. En totum in nostra sententia.

Nam ut prima causa finalis movet vocatione sua, & hæc incipit à Deo, nec est in nostra potestate illam acquirere, aut quòd vocemur sic vel aliter, congruè, aut incongruè ut ex S. P. Augustino dictum est num. 26.

In genere autem causæ efficientis, etiam Deus est primus, quia ejus actio immanens præcedit nostrum *velle*, quòd causa, ut vera causa præcedit effectum. Ergo ponimus in utroque genere causæ finalis, & efficientis, priorem Deum, & sic causam primam, posteriorem creaturam, & sic causam secundam, & subordinatam primæ.

Hinc sequitur esse in eodem genere primum determinans, nam causat finaliter vocando, & vocatione finaliter movet. Causat efficiendo nostrum *velle*, & sic movet efficienter, ut dictum est: ergo si est causa prima efficiens, & finalis, est in utroque genere primum determinans. Nec tollit primitatem motionis efficientis, quòd præcedat consensus noster datus vocationi. Nam ille est negativus sine efficientia, unde spectat ad genus causæ moralis. Et sicut causa finalis omnium prima, non tollit quòd Deus in genere efficientis sit prima causa; sic consensus noster de genere finali, licet antecedat motionem physicam Dei, non tollit quòd in genere physico motio Dei sit prima.

Salvatur quòd Deus sit primus discernens, ut num. 88. ostensum est clarissimè. Tum quia à solo Deo datur gratia congrua, & congrua vocatione, unde primò incipit discretio: tum quia cum in genere finali, & efficienti sit prima causa nostri meriti, est primus discretor.

Rursus, revera donat nobis meritum, tum quia gratis dat gratiam ad meritum requisitam; tum quia

cum meritum pendeat à vocatione congrua, qui dat illam, potens dare incongruam, verè donat nobis meritum, ex congrua vocatione sequutum.

Tandem est plenè Dominus, & plenè potens nos convertere, quia in sua potestate habet infinitos modos vocandi congruenter, & incongruenter, & pro suo libito utitur congruentibus. Et incongruentibus. Ergo dũ utitur congruentibus, ostendit suum posse convertendo quem vult, & suum dominium, nam pro libito utitur congruentibus.

Hinc clarè ostenditur, quòd nostrum *velle* est magis in potestate Dei, quàm nostra. Nam cum nostra potestas sit solum efficiens, potentia autem Dei non solum factiva nostri *velle*, sed inclinativa voluntatis moraliter per vocationem congruam, quam nos non possumus nobis dare; idè *velle* nostrum pendens necessariò ab illa vocatione, magis est liberum Deo, quàm nobis. Hoc supræ urgentissimè ostensum est. ex. S. P. August. q. 2. ad Simplicianum.

Hic vides nostram sententiam explicare; & ostendere quidquid Thomistica; quare non apparet motum, argens, cur hic dicendi modus Thomisticis displiceat. Quantas autem utilitates afferat pro explicando misterio prædestinationis, & reprobationis, pro concordia gratiæ Dei cum libertate nostra, & pro alijs difficilissimis doctrinæ Augustinianæ intelligendis; non est opus hic repetere. Lege dicta, & passim invenies.

doctrina dat Scholæ Societatis quam plura ejusdem dogmata. Ipsi docent, quod gratia consistit in vocatione congrua, resistibili, & respectiva, quæ unum potest movere, alium non movere. Quare quod in uno fortiat effectum, non in alio, oritur ex quo uni sit congrua, secus alteri. Docent, quod concursus, & influxus Dei in nostrum actum, supponit nostrum consensum: quare per dissentum præcedens, possumus impedire ne Deus influat in nostrum velle, & in nostrum agere. Rursus, posito consensu nostro vocationi, statim sequitur concursus Dei in nostram actionem.

Hoc totum damus, plenè admittentes illam congruitatem vocationis, ut ab eis ponitur. Et notato quod consensus, quem expectat Dei concursus effectivus, non est consensus positivus, ut ipsi ajunt, sed negativus cum B. Ægidio explicatus; in reliquis ferè plenè convenimus. Ob id §. 5. opus fuit nostram sententiam fecernere à sententia Societatis per illa discrimina, quæ posita sunt num. 35. Et patet insuper quantum utraque sententia concordet, ex quo potest sententia nostra defendi deperdenter à scientia media, ut ostensum est num. 91.

Quia tamen num. 98. insinuvimus, dicendum veriùs de mente S. P. Augustini nostram sententiam fundari meliùs in decreto Thomistico absoluto, & efficaci, quo excluditur scientia media: ideò nobis non probatur illud principium Scholæ Societatis docentis; *Quod omne antecede-*

dens actum, illum inferens infallibiliter, si non sit in nostra potestate illud acquirere, vel impedire, tollit libertatem. Hoc principium reputamus falsum, sicut Thomistæ, nam decretum Dei est antecedens, & infallibile, nec potest à nobis acquiri, vel impediri, & tamen non tollit, sed causat libertatem, quia non decernit actum nostrum utcumque, sed actum liberum: ergo infert infallibiliter nostram libertatem in agendo.

Hæc ratio data est à S. P. Augustino lib. 5. de Civit. Dei cap. 9. contra Ciceronem, qui ne tolleretur libertatem nostram, negavit in Deo scientiam actuum nostrorum; unde *ut homines faceret liberos, fecit sacrilegos.* Salvat scientiam, & libertatem S. P. Augustinus, quia Deus non tantum vidit nostros actus, sed nostras voluntates, hoc est nostras liberas voluntates: ergo vidit nos operaturos, & liberè operaturos: sed quoniam vidit nos operaturos, infallibiliter operabimur: ergo quia vidit nos liberè operaturos, infallibiliter operabimur liberè. Id applica ad decretum Dei infrustrabile.

Rursus, cum Scientia Dei, & decretum, sint plenè extrinseca nobis, non immutant nos intrinsecè, nec tollunt intrinsecam indifferentiam nostræ voluntatis, quæ nequit tolli per purum extrinsecum. Sed manet in nobis intrinsecè indifferentia; manet intacta libertas in ea consistens: ergo suppositio antecedens scientiæ & decreti, non obest libertati.

Præterea. Decretum unicè poterat cogere nos causaliter, nempe causando in nobis aliquid necessitans, patà qualitatem præviam Thomisticam, aut quid simile. Tale omne relegavimus, constituentes auxilium quo per illa principia, vel indifferentia, ut sunt vocationes, vel efficacia, ut actio Dei influens, sed quæ pendet à consensu nostro. At medium

Q U E S T I O XIX.

An causæ creatæ sint invicem causæ?

§ I.

Proponuntur sententiæ cum suis fundamentis.

CAUSAS ad invicem esse causas, est axioma sumptum ab Aristotele 2. Physicæ text. 30. & lib. 5. Metaphysicæ textu 2. At in contrarium obstat aliud axioma, nempe: *Quod est causa causæ, est causa causati.* Unde sequitur quod si causæ sunt invicem causæ, idem erit causa saltem mediata sui ipsius; quod est impossibile apud omnes, & docetur à S. P. Augustino lib. 1. de Trin: cap. 1. ubi ait: *Nulla omnino res est, quæ seipsam gignat ut sit.* Item tractatu 1. in Idam inde probat Verbum Divinum non esse factum, quia *per se ipsum fieri non potuit, per quod facta sunt omnia.* Rationem dedit S. P. lib. de Immortalitate animæ cap. 8. dicens: *Sit igitur nostræ rationationis exordium, quod nulla res se facit, aut gignit; alioquin erat antequam esset: quod*

indifferens non tollit libertatem: medium autem efficax, si supponat nostrum consensum, non præjudicat libertati, cum sit necessitas consequens nostrum consensum: ergo decretum non cogit nos, nec formaliter, quia est plenè extrinsecum, nec causaliter, quia nil ponit in tempore, quod suavissimè non cohereat libertati.

si falsum est; illud verum est. En ratio: Res nequit existere antequam sit: existeret sic, si esset causa sui; cum omnis causa existat ante suum effectum.

Hinc pro concordia utriusque axiomatis omnes supponunt, causas non posse se invicem causare in eodem genere causæ; nam inde sequeretur clarè unamquamque esse causam sui. Hoc suppositum, si accipitur de causis quoad primū sui esse, est receptissimum in omni Scholâ, ut testantur Oviedo, & Lince. Suadetur; Nam idem respectu ejusdem, & secundum idem, nequit simul esse prius, & posterius: sed si causæ in eodem genere respectu primi esse, se invicem causarent, idem respectu ejusdem esset prius, & posterius: ergo &c. Probat minor. Pone duos ignes se invicem

vicem causantes, tunc ignis *A* causans ignem *B* esset prior illo. Rursus cum causeretur à *B*, esset posterior igne *B*: ergo esset simul prior, & posterior igne *B*.

Confirmatur. Nam implicat ignem *A* esse posteriorem seipso: at hoc sequeretur ex data hypothese: ergo implicatoria est. Probaturs sequela. Ignis *A* est posterior igne *B*, à quo causatur: ergo est posterior ad causam causantem ignem *B*. Sed ignis *A* causat ignem *B*: ergo ignis *A* est posterior igne *A*, unde est seipso posterior. Hæc ratio variè urgetur, sive prioritas sit dependentia effectus à causa; sive quædam præsuppositio causæ ad effectum: quidquid teneas, equè repugnat causam præsupponi ad seipsam, ac dependere à seipsa.

Confirmatur 2. Nullus effectus oritur à causa efficiente, quia est, sed ut sit: sed data mutua causalitate, effectus oriretur à causa, quia est: ergo &c. Probaturs minor. Omnis effectus oritur quia ejus causa est, & quia existit causa suæ causæ: at ipse effectus in hac hypothese esset causa suæ causæ: ergo data mutua causalitate &c.

Confirmatur 3. à contratio. Causa non agit ut sit, sed quia est: sed data mutua causalitate, causa agit ut sit: ergo idem. Probaturs minor. Causa agit ut sit ejus effectus, & quidquid ab effectu ejus dependet: at ipsa causa tunc esset dependens, & causata à suo effectu: ergo tunc causa ageret, ut sit.

Quartò: Implicat quòd causa

recipiatur à suo effectu potentiam proximam producendi effectum: hoc accideret in casu mutua causalitatis: ergo idem. Probaturs sequela. Nam data mutua causalitate, causa recipit à suo effectu suam entitatem, & quæ entitatem sequuntur: potentia autem agendi sequitur entitatem.

Tandem suadeturs. Quia ex mutua causalitate sequitur circulus viciosus in causis. Hic damnatur à Philosophis, qui inde probant lib. 7. Physicorum deveniendum esse ad primam causam, à nulla causatam: quæ probatio dato circulo causarum, non tenet. Sequela probatur. Nam data mutua causalitate inter duos ignes, si quæris cur ignis *B* existit? benè respondes, quia existit ignis *A*, à quo causatur. Si iterum quæras, cur existit ignis *A*? Respondebis, quia existit ignis *B*, à quo causatur. Quòd si de *B* inquiras, cur existit? redditur circulus.

2. Hoc supposito, ut impossibili in omnium sententijs circa causas in diverso genere causæ docet prima sententia posse se invicem causare. Citanturs communiter Thomistæ, dicent non equè se explicent, sed varijs restrictionibus tum ad genera causarum, tum ad esse causatum. Probaturs absolutè hæc sententia, & simul explicatur autoritate *D. Thomæ* quæst. 28. de Veritate art. 7. & opusc. 31. §. 2. sed luculentius 5. Metaph. lect. 2. ubi sic habet.

Sciendum est, quòd cum sint quatuor causæ, earum duæ sibi invicem respondent, quia efficiens est principium motus,

motus, finis autem terminus: & similiter materia & forma, nam forma dat esse, materia autem recipit. Est igitur efficiens causa finis, finis autem causa efficientis. Efficiens est causa finis quantum ad esse quidè, quia movendo producit efficiens ad hoc ut sit finis: finis autem est causa efficientis non quantum ad esse, sed quantum ad rationem causalitatis; nam efficiens est causa in quantum agit, non autem agit, nisi causa finis. Unde ex fine habet suam causalitatem efficiens. Forma autem & materia sibi invicem sunt causæ quantum ad esse; forma quidem materia in quantum dat ei esse actu; materia verò formæ in quantum sustentat ipsam.

Ex hac autoritate, sequitur causas posse invicem se causare in diverso genere causæ, non in eodem, nam ponit exemplum inter causam finalem, & efficientem, quæ invicem se causant, cū causa efficiens operetur propter finem, & sic mota à fine, qualiter est effectus ejus. Rursus, finis efficiturs sæpè à causa efficiente, & sic est effectus efficiens. Quòd docuit Arist. 1. Physic. text. 30. dicens: Sunt autè quædam ad invicem causæ, ut laborare causa est boni habitus (idest valetudinis) & hic laborandi. Sed non eodem modo, sed hæc quidem sicut finis, illa sicut principium. Idem patet in materia & forma. Nam licet duæ materiæ non possint se mutuo causare, quia non possunt se invicem recipere, sicut nec duæ formæ se mutuo informare; at se mutuo causant materia, & forma in diverso genere, ita ut materia quæ in genere materiali est

causa formæ, sit effectus formæ in genere causæ formalis.

Et ratione suadeturs. Nam materia, & forma sunt causæ, quæ mutuo dependent realiter inter se: ergo mutuo se causant realiter. Patet consequentia: quia hæc dependentia est ut à principio, à quo habet esse; & sic est ut à causa. Antecedens probatur: Nam forma dependet à materia ut à sustentante naturaliter; cū non possit existere sine materia forma ulla materialis. Materia autem dependet à forma, ut sit, cū sine formæ non possit existere.

Et confirmatur. Nam idem efficiens, & finalis mutuo se causant apud omnes, quia causa finalis non petit existentiam realem ad causandum, sed intentionalem, & in apprehensione. At etiam causa materialis, & causa formalis non petunt existentiam realem præhabitam ad causandum, sed sufficit, quòd coexistent in eodem instanti reali, quo materia recipit, & forma informat, ut dictum est libro præcedenti: ergo possunt se mutuo causare. Vide hic dicta à nobis q. 5. §. 1.

3. Probaturs secundò à ratione. Non implicat mutua prioritas in diverso genere causæ: ergo nec mutua causalitas. Consequentia patet ex dictis. Antecedens probatur. Ultima dispositio ad formam præcedit formam in genere causæ materialis: at illa dispositio est effectus formæ in genere causæ efficientis: ergo in diverso genere se mutuo præcedunt. Major patet, quia forma non introducitur nisi

si in materia ultimò disposita: ergò præcedit ultima dispositio formam. Minor probatur. Quia ultima dispositio ad formam ignis v.g. est calor in summo, qui est proprietas ignis: sed proprietates dimanant ab essentia, & forma, cujus sunt proprietates; & dimanatio est quasi efficientia à principio dimanationis, ut dictum est lib. 2. q. 10. §. 7. in fine: ergo.

Confirmatur. Contritio peccatoris est ultima dispositio ad gratiam justificantem, quæ ipsi infunditur, ut contrito, & bene disposito; quare præcedit infusionem gratiæ: sed aliunde contritio illa cum sit effectus gratiæ in genere causæ efficientis, sequitur ad gratiam: ergo datur inter contritionem, & gratiam mutua prioritas, & mutua causalitas in diverso genere causæ.

Confirmatur secundò exemplis. Aperiatio fenestriæ ab aere impellente, est simul dispositio ad ingressum aeris, & effectus ejus; unde præcedit, & sequitur ingressum aeris. Si enim fenestra non aperiretur, non ingrederetur aer in cubiculo, & si aer ingrediendo non impelleret fenestram, hæc non aperiretur. Rursus, lapides in summitate fornacis arcuati, mutuo se sustentant. Baculi in pyramidem erecti, mutuo se sustentant. Manus item se conficantes, mutuo se calefaciunt. Vasa testea mutuo se confringunt, & sic de alijs. Vinum etiam calefacit stomachum, & stomachus vinum. Ergo multis, & obvijs exemplis, edocemur à natura de mutua actione, & causalitate,

4. Probatur tertio à ratione. Actio creativa Angeli, cum sit causalitas productiva termini, ipsum præcedit in genere causæ efficientis: sed aliunde, cum actio illa recipiatur in termino, ut in subjecto inhaesionis, à quo dependet ut à causa materiali receptiva, est posterior ad terminum, & effectus ejus in genere causæ materialis: ergo actio, & terminus creationis, mutuo se causant, & præcedunt in diverso genere causæ.

Confirmatur validè à Patre Vazquo. Quando ex ligno fit ignis, duo eveniunt, nempe expulsio formæ ligni, & introductio formæ ignis. Sed expulsio formæ ligni præcedit in genere causæ materialis; in genere autem causæ formalis præcedit introductio formæ ignis: ergo mutua prioritas ibi intervenit in diverso genere causæ. Minor quoad 1. patet, quia expulsio formæ ligni reddit materiã dispositam ad formam ignis; dispositio autem præcedit formam, ad quam disponit, in genere causæ materialis. Quoad 2. patet minor. Nam effectus primarius formæ ignis non est expellere formam præcedentem, sed informare materiam, & ei dare esse: ergo in genere causæ formalis prius est ignem informare materiam, quam expellere formam ligni.

5. Contraria sententia negat causas, adhuc in diverso genere, posse se invicem causare physicè. Nota ly *physicè*, ut excludas ab hoc asserto causam finalem, & efficientem, quæ licet se mutuo causent, ut docet Arist. at finis non causat physicè, sed intentiona-

lionaliter; & ob id non petit existentiam physicam, sed intentionalem, ut causet, nempe in apprehensione, quia causat, ut cognitum. Ita frequenter DD. Societatis cum P. Suarrio in Metaphysica disp. 27. sect. 2. licet forsitan potius stet pro nostra sententia, infra explicanda.

Probatur hæc sententia 1. ex P. August. lib. qq. ad Simplicianum quæst. 1. ubi mutuam prioritatem excludit inter gratiam, & opus bonum, negans hoc esse dispositionem ad gratiam, à qua efficitur; quod suadet exemplis, quibus in omni materia excluditur mutua prioritas. Dicit sic: *Non ex operibus, sed ex vocatione dictum est, major serviet minori. Vocantis est ergo gratia, percipientis verò gratiæ consequenter sunt opera bona; non quæ gratiam pariant, sed quæ gratia pariantur. Non enim ut ferreat, calefacit ignis, sed quia ferreat. Nec idè bene currit rota, ut rotunda sit, sed quia rotunda est. Sic nemo propterea operatur, ut accipiat gratiam, sed quia accipit gratiam.*

En S. Parens negat gratiam subsequi ad opus bonum, ut ad dispositionem in genere causæ materialis, ex eo præcisè, quia gratia est causa efficiens operis boni, & sic in eo genere præcedens: ergo negat mutuam prioritatem etiam in diverso genere causæ. Nec hoc tantum in ordine superno, sed in naturali, & artificiali, ut patet ex exemplis à S. P. inductis pro asserto suo gratiæ, & operis boni.

Et Confirmatur. Nam juxta

DD. primæ sententiæ implicat mutua causalitas in eodem genere causæ, ut num. 1. ostensum est: sed rationes ibi adductæ, probant æquè de causis in diverso genere: ergo implicat etiã in diverso genere &c. Probatur minor. Et sit sermo de calore, ultimo disponente ad formam ignis, qui dicitur à Thomistis effectus ejus in genere efficiendi. Nam ille calor disponsens ad ignem, existeret ante formam ignis; alioquin non disponderet, cum calor non existens, nequeat materiam disponere: ergo cum aliunde sit effectus formæ ignis, existeret ante suam causam efficientem. Rursus, forma ignis efficeret calorem, non quia est, sed ut sit; quia nequit esse ignis, nisi per calorem disponentem materiam. Rursus, cum ignis sit in materia, quia hæc est disposita, ignis habet entitatem, & potentiam effectivam dependentem à materia disposita: ergo si calor disponsens, est effectus ignis, ignis causat calorem, ut habeat entitatem, & virtutem efficiendi. Vide alias rationes, quæ omnes serè mutatis terminis, probant de causis in diverso genere.

Confirmatur 2. Calor disponsens ad ignem, non est improductus, sed productus, & extra suas causas. Ergo supponit suam causam efficientem. Ergo si ejus causa est forma ignis, supponit existentem formam ignis. Ergo pro illo priori, quo calor præcedit formam ignis, existit forma ignis causans calorem. Hoc est implicatorium, nisi ponatur quòd ignis in illo

priori existit ante seipsum; quod non minus implicatorium est.

6 Quodd si dicas. Signum illud, quo præcedit calor disponens, non esse signum existentia, sed causa materialis, quæ non petit existentiam ad causandum. Contra est. Nam calor non existens, nequit disponere materiam: ergo signum quo calor præcedit disponens, est signum quo præcedit existens, & sic est signum existentia tum caloris, tum causæ efficientis calorem. Eodem argumento probant DD. isti, quod signum quo materia præcedit formam, est signum existentia. Nam materia nõ existens, nequit recipere formam; cum sit nihilum, & in nihilo nequeat forma recipi. Ergo eodem argumento, quo probatur calorem non posse esse effectum ignis, ad quem disponit, probatur materiam non posse esse effectum formæ, quam recipit. Quare nec inter materiam & formam admittunt mutuam causalitatem nisi secundum quid. Vide Oviedum, Arriagam, & alios.

§ II.

Nostri sententia proponitur, & probatur.

7 **N**ostri sententia quoad causas in eodem genere, negat cum communi, posse se invicem causare. Id notum est, tum quia duo fines non possunt se finalizare; duæ materia non possunt se recipere in-

vicem; nec duæ formæ se invicem informare; nec tandem duæ causæ efficientes dare sibi esse mutuo; quod constat rationibus positis num. 1.

Quoad causas in diverso genere, dicimus etiã cū cõmuni, finalè, & efficientem se mutuo causare. Id patet ex Aristotele, & ex ratione data num. 5. Nam cùm efficiens causet per existentiam, & virtutem physicam; finalis autem per intentionalem; jam habent diversas rationes causandi, & diversas existentias, inter quas non repugnat mutua prioritas. Nec inde fit urgens paritas ad causas reales, & physicas, quæ licet in diverso genere, habent tamen realem vim causandi, & æquè petunt realem existentiam, in qua nequit esse mutua prioritas.

Quantum autem ad causas physicè causantes, dicimus non posse adhuc in diverso genere se mutuo causare quoad primum esse simpliciter, bene verò quoad aliquod esse, ita ut una causet aliam quoad primum esse, & ab illa causetur quoad esse secundum. Ita N. Villanova 2. Physic. disp. 6. dub. 2. sequens B. Ægidium in 2. dist. 9. q. 1. art. 5. dub. 3. Sic forsan conciliatur utraque sententia supra laudata, nec aliud suadent ejus probationes. Quantum autem ad ultimam dispositionem formæ est specialis difficultas, quam non licet cum præfenti confundere; quare sigillatim, quid nobis tenendum sit, dicemus § sequenti.

8 Nostri ergo sententia quoad mate-

materiam, & formam patet ex verbis D. Thomæ, positis num. 1. Vbi concedit materiam, & formam se invicem causare; at non quoad esse simpliciter primum. Nam licet materia det formæ primum esse, quod ex materia educitur, & in materia sustentatur; at forma non dat materiæ primum esse, sed secundum, *in quantum dat ei esse actu*, ut ait D. Thomas. Sed esse actuale, quod forma dat materiæ, supponit in materia esse potentiale, & materiale, quod habet materia à Deo per creationem: ergo materia, & forma se invicem causantes, non dant sibi mutuo primum esse, sed se mutuo causant quoad aliquod esse taliter, ut materia causet quoad esse simpliciter primum, & causetur quoad esse formale, quod est secundum in materia.

Totum hoc confirmatur rationibus supra positis. Nam fundamenta Thomistica probant causas posse se invicem dare aliquod esse, & hoc verum est. Rationes autem secundæ sententiæ probant non posse sibi mutuo dare primum esse simpliciter; sed una primum, alia eidem secundum esse.

Et urgetur doctrina, & exemplis. Sanctus Dominicus Calciatensis obtinuit resurrectionem sui Patris, quare fuit causa instrumentalis suæ secundæ existentia, cùm tamen à suo Patre receperit primum esse, & primam existentiam. Christus D. instituens Sacramentum Eucharistiæ, quod ponitur existentia Christi, & ubica-

tio sacramentalis sub speciebus Eucharisticis, fuit, & est causa suæ existentia per actionem consecratiivam; quare causat suum esse secundum, ut cum alijs docet P. Suarius de termino consecrationis. Ergo si idem potest causare seipsum quoad secundum esse, & causare secundum esse suæ causæ: poterunt causæ nedum in diverso genere, sed etiam in eodem, ut suadent exempla, se mutuo causare quoad aliquod esse, ita ut sit primum in una, & secundum in altera.

9 Nec contra faciunt fundamenta posita utriusque. Ad dicta num. 1. dicimus P. Augustinum ibi negare quod aliquid sit causa sui ipsius quoad primum esse. Hoc sanè est impossibile, sed non sequitur ex nostra sententia, nec ex illo axionate: *Quod est causa causæ &c.* Nam licet materia causans formam, sit causa effectus causati à forma, non sequitur quod materia sit causa sui ipsius quoad primum esse, sed quoad secundum, nempe formale: & hoc non inconvenit, ut dictum est. Imò materia causat formam, ut media forma habeat in se esse formale, quod nisi per formam non potest habere.

Quodd si vice versa arguas sic; forma est causa materiæ: sed hæc dat formæ primum esse: ergo forma est causa mediata sui ipsius, quoad primum esse. Quod negamus cum P. Augustino. Respondeo; quod forma est causa materiæ quoad secundum esse; & hujus secundi esse non est effectus forma, quæ est effectus materiæ

teriarum quoad primum esse materiae. Confundis in replica primum, & secundum esse materiae; & ob id fallaciter concludis. Si enim forma foret effectus secundi esse materiae, causati à forma; tunc juxta axioma dictum, forma esset effectus sui. At non sic: quia forma est effectus primi esse materiae; & hoc non est effectus formae, sed Dei creatantis.

At rationes positas ibi pro causis in eodem genere, dic eas probare de primo esse, sed non de secundo. Nostra sententia admittit mutuam prioritatem v.g. inter materiam, & formam, sed non secundum idem esse, sed secundum diversa: quare cessat contradictio, quae est affirmatio, & negatio ejusdem de eodem secundum idem. At 1. Confirmationem dic, non implicare quod idem sit prius, & posterius seipso quoad diversum esse; unde Christus Dominus quoad esse realis existentiae circumscriptivae, est prior se ipso quoad esse praesentiae sacramentalis. Et materia quoad esse materiale est prior se ipsa quoad esse formale receptum à forma. De 2. 3. & 4. confirmatione dicemus infra.

Ad ultimam dic, Philosophum damnare circulum in causis, qui vitiosus sit. Vitiosus est, quando datur in eodem genere causae, sed non in diverso, quia tunc non est circulus formalis, sed materialis; & hic est utilis; imò à Philosopho usurpatus, qui probat pluviam ex vaporibus, & vapores ex pluvia, se mutuo causan-

tes in diverso genere causae. Nec sequitur circulus causarum in eodem genere, si se causant quoad secundum esse. Doctrina autem lib. 7, Physicorum procedit de causis in eodem genere, & quoad primum esse. Fundamenta Thomistica, posita num. 2, sunt pro nobis, dummodo ea explices doctrina data num. 8. De positivis num. 3. erit sermo §. sequenti.

10 Ad fundamenta secundae sententiae, posita num. 5. respondeamus, & ad auctoritatem S. P. Augustini dicimus in ea non negare quod dispositio ad gratiam sit effectus gratiae; de hoc ibi non agit, imò ejus mens de dispositione ad gratiam pro nobis est, ut §. sequenti constabit. Est ergo mens S. Patris in loco nobis objecto, negare mutuam prioritatem, & causalitatem inter gratiam & opus meritorium quoad primum esse; quod verissimum est, & est nostra assertio.

Quod hæc sit mens S. P. constat; quia ibi impugnat sententiam, quam olim tenuit, & postea fuit error Semipelagianorum, docentium quod initium fidei est ex nobis, & non ex gratia; & quod Deus intuitu boni initij nostri dat gratiam, quam mereamur, & pariunt merita nostra. En agit de primo esse meriti nostri, & de initio fidei; agit etiam de primo esse gratiae, nempe de vocatione, à qua incipit gratia. Ergo dum negat mutuam causalitatem inter initium fidei, & vocationem, negat mutuam causalitatem inter meritum, & gra-

tiam

tiam quoad primum esse; quod verissimum est, & est assertio nostra. Ut ergo dispositio ad gratiam sit effectus gratiae, non requiritur mutua prioritas quoad primum esse, sed quoad secundum, ut dicemus; talis autem repugnans non est, ut ex dictis patet.

Ad 1. Confirmationem nego quod rationes probantes impossibilem mutuam causalitatem in eodem genere probent etiam in diverso, si loquamur de secundo esse; si autem de primo; tunc concedo æquè repugnare in diverso genere, ac in eodem mutuam causalitatem. Contra hoc non tenent probationes minoris. Pro quarum solutione nota ex dicendis §. sequenti, quod dispositio ad formam ignis, non est causa materialis ejus quoad primum esse, sed quoad secundum; nec est effectus formae ignis, sumptae quoad secundum esse, sed quoad primum. Ratio est, quia forma ignis habet gradus, & secundum primum universalem praecedit in materia ante omnem calorem disponentem, sic existens in materia, est causa caloris in summo, & calor hic in summo est dispositio ad formam ignis secundum gradum specificum minus universalem. Quod docuit D. Thomas 1. p. q. 76. art. 6. ad 1. & est doctrina etiam N. B. Aegidij. Hic vides, quod forma ignis est causa caloris quoad primum esse; ceterum calor non est causa dispositiva ad primum esse formae ignis, sed ad secundum: ergo ex mutua prioritate

inter formam, & ultimam dispositionem, non sequitur mutua causalitas quoad primum esse, sed quoad secundum. Et hæc non implicat, ut dictum est.

11 Hoc notato cessat difficultas omnium probationum. Nam admissio omnem causam requirere existentiam ad causandum, quod de sola efficiente probatum est à nobis supra quaest. 5. §. 1. Nego quod dispositio ad formam intelligatur existens ante suam causam. Equidem existit dispositio ante formam sub gradu specifico; at forma sub isto gradu non est causa dispositionis, sed sub gradu generico, & universali. At dispositio non praecedit, sed subsequitur ad formam sub gradu generico: ergo ex mutua causalitate inter formam, & dispositionem, non sequitur quod dispositio existat ante suam causam.

Hinc sequitur qualiter verificatur quod ignis efficit calorem, quia ignis est, non ut sit. Ignis enim sub gradu universali est causa caloris; sed sub isto gradu jam est ante calorem; unde illum efficit, quia ignis est. Ceterum quia calor disponit ad formam ignis sub gradu specifico, ideo ignis efficit calorem ut sit; sed non ut sit quoad primum esse, sed quoad secundum, ut dictum est.

Patet etiam quod ignis efficiens calorem, disponentem ad secundum esse ignis, non efficit calorem, ut recipiat entitatem, & virtutem agendi secutam ex primo esse ignis; hoc enim bene probatur implicatorium, sed

sed

sed efficit calorem, ut habeat in materia disposita suum esse specificum, & vim comburendi secutam ex illo esse specifico, quod est esse secundum. Hoc autem non implicat, ut dictum est.

Ad 2. confirmationem nega ultimam sequelam, vel illam distingue. Nam juxta doctrinam datam unice sequitur quod ignis secundum gradum genericum intelligatur existens ante seipsum secundum gradum specificum: & hoc non est implicatorium, sed veræ philosophiæ consentaneum, ut dicemur infra. Ordo in generatione ignis est hic. Præcedit forma ignis in materia secundum gradum universalem, qui non petit calorem summum, ut sui dispositionem. Ab illa forma sic, oritur calor summus, & hic disponit ad formam ignis secundum gradum specificum, secundum quæ sequitur ad calorem. Ergo non sequitur quod forma ignis secundum eundem gradum præcedat seipsam, sed secundum diversos: quod implicatorium non est. Ad id quod additur num. 6. nil dicimus in præfenti, quia abundè constat ex dictis à nobis lib. 1.

§ III.

An ultima dispositio ad formam sit effectus formæ?

NON est animus præsentem questionem ple-

nè discutere, quia non est hujus loci, sed pertinet ad libros de Gener. & Corr. & quoniam est eadem difficultas de dispositione ad gratiam habitualement, quæ est forma sanctificans, cujus examen spectat ad Theologos; ideo hic tantum insinuabimus quid tenendum sit de mente S. P. Augustini, D. Thomæ, & B. Ægidij, ne ob hujus ignorantiam defectuosa maneat quæstio præcedens, verè philosophica, de mutua causalitate.

Quantum ad formas naturales affirmat Thomistæ communiter cum D. Thoma 1. p. q. 76. art. 6. ad 1. quam doctrinam latè defendit B. Ægidius contra corruptorem in Defensorio ad 1. p. art. 32. Alij negant communiter, quibus adhærent ex nostris Villanova hic disp. 6. dub. 2. num. 29. & videtur mens B. Ægidij in 2. dist. 28. q. 1. art. 3. & alijs locis, quæ allegat N. Mendoza in Quodlibetis q. 2. Scholastica. Rationes Thomistarum positæ sunt hic num. 3. & 4. rationes autem sententiæ negantis insinuatae sunt numer. 5.

Quantum ad gratiam habitualement, cujus ultima dispositio in peccatore est actus contritionis, & dilectio Dei super omnia; mens D. Thomæ non est clara, ut benè observat Magister Serna tractatu illo, inserto scriptis Ferre tom. 3. in 1. 2. Quapropter Thomistæ divisi sunt, quidam affirmantes contritionem disponentem ad gratiam, esse effectum gratiæ,

gratiæ, cum D. Thoma 1. 2. q. 113. art. 7. & 8. & supra Epist. ad Rom. cap. 5. lect. 1. & alijs locis citatis à Serna. Alij negant cum eodem D. Thoma 1. p. q. 62. art. 3. & 1. 2. q. 117. & 3. p. q. 89. art. 1. ad 1. & alijs locis.

Serna movetur defendere affirmativam, quoniam difficiliorem; nos eidem subscrivimus nobiliori titulo, nempe, quoniam expressa est in S. P. Augustino, & Sacris litteris; nec Sancto Parenti nostri asserti debemus tantum probationem, verum, & solutionem præcipui, aut forsan unici fundamenti sententiæ contrariæ.

13 Pro intelligentia dicendorum nota, quod omnes supponunt ut verum, quod in eodem instanti, quo creatura per contritionem diligit Deum super omnia, in eodem diligitur à Deo amore amicabile, aut amicitia, quo ipsi communicat gratiam habitualement justificantem peccatorem. Hujus ratio est duplex, una philosophica, nempe quia in eodem instanti quo est in subjecto ultima dispositio ad formam, est etiam in subjecto forma; nequit enim esse in materia calor in summo gradu, quin in eodem instanti sit in materia forma ignis. Sed contritio juxta Concilium Tridentinum sess. 6. de justificatione est in peccatore ultima dispositio ad gratiam justificantem: ergo in eodem instanti quo peccator conteritur, recipit gratiam, & justificatur.

Ratio Theologica sumitur ex

Proverb. 8. ubi dicitur: *Ego diligens me diligo.* Cui consonat illud Christi D. Ioann. 16. *ipse Pater amat vos, quia vos me amastis.* Et illud Magdalene dictum: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* His edocemur, quod in eodè instanti, quo nos Deum amamus, amamur à Deo, & justificamur à peccatis. Sed Deus amans nos, dat nobis gratiam suam, qua sola justificamur, à peccatisque mundamur: ergo hoc totum accidit in eodem instanti.

Accedit, quod nemo potest perfectè Deum amare, nisi Deus in eo sit per gratiam, & charitatem, ut docuit S. Gregorius Papa Hom. 30. in Evangelia, dicens: *Qui ergo Deum mere integræ desiderat, perfectio jam habet quem amat: nec quisquam posset Deum diligere, si eum, quem diligit, non haberet.* Ratio traditur à D. Thoma ex S. P. Augustino & Magno Gregorio. Nemo potest agere opus perfectum alicujus naturæ, nisi habeat talem naturam in se, vel participatam: sed dilectio super omnia Dei est actio supernaturalis propria naturæ supernaturalis Dei: ergo à nullo potest Deus diligi, nisi habeat naturam Dei participatam. Hæc est gratia habitualis, quæ est natura Divina participata, vel formalis participatio naturæ Divinæ, ut docent Theologi cum Apostolo Petro.

Hoc supposito in omnium sententia, dubium est quid primò intelligatur, an gratia habitualis, an contritio, & amor noster disponens ad gratiam?

gratiam? Qui dicit contritionem præcedere, docent illam non effici à gratia, sed ab auxilio dicto, quod Deus donat, ut ad ipsum convertamur. Qui docent gratiam præcedere, tenent quòd gratia est causa effectiva nostri amoris. Quæ quæstio sub alijs terminis agitata est à SS. PP. Nam cum gratia habitualis sit effectus amoris Dei amicabile, quærere an amor Dei amicabile præcedat amorem nostrum, & sit causa ejus, an verò sequatur, & sit quasi effectus amoris nostri; est quærere an gratia habitualis præcedat amorem nostrum, ut causa ejus, an verò sequatur, ut effectus amoris nostri in genere causæ materialis, & dispositivæ?

14. Sub his terminis agitata quæstione, eam P. Augustinus decidit, semper tenens, quòd dilectio Dei prior est, & causa dilectionis nostræ. Quare dilectio nostra est effectus gratiæ nobis datæ per dilectionem Dei, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Sic docet S. P. multis locis, quibus quæstionem istam versat, & acutissimè solvit. Lib. de Gratia Christi cap. 26. tract. 7. in Joannem tractatu 64. in eundem. Lib. de Spiritu, & litt. cap. 3. lib. de Cathecizandis rudibus cap. ultimo, & alibi.

Audiatur tractatu 102. in Joannem, ubi quæstionem instituit sic: *Adèd amat Deus, quia nos amamus; an potius quia ille amat, nos amamus?* En-

quæstio nostra: cui S. P. respondet sic: *Ex epistola sua Evangelista idem respondeat. Nos diligimus, inquit, quia ipse prior dilexit nos. Hinc ergo factum est ut diligeremus, quia dilecti sumus.* Quo vides quæstionem istam decidam ab Apostolo Joanne in sua Epistola Canonica, eodem modo decidi à P. N.

Communis solutio sententiæ contrariæ, dicit duos esse Dei amores, eosque communicativos alicujus doni supernaturalis. Alter dicitur amicabile, & hic donat nobis gratiam habitualement, qua justificamur, & efficimur amici Dei. Alter est non amicabile, & eo donat Deus auxilia supernaturalia, sine quibus non possumus credere, sperare, dolere de peccato, & nos disponere ad justificationem, & receptionem gratiæ. Dum ergo Apostolus, & Augustinus docent amorem Dei præcedere nostrum, loquuntur de amore non amibili, quo Deus dat auxilium supernaturale quo conterimur, & Deum diligimus; non loquuntur de amore Dei amibili, quo donat habitualement gratiam.

Hæc solutio ad mentem S. P. Augustini non est, nam ibi immediatè reponit post verba laudata: *Prorsus donum Dei est diligere Deum, ipse enim, ut diligeretur dedit, quem dilectus dilexit. Displicentes amati sumus; ut haberet in nobis unde placere-mus; diffundit enim charitatem in cordibus nostris spiritus Patris, & Filij, què cum Patre amamus & Filio.* En dilectio

lectio Dei præcedens nostram, est illa juxta S. P. Augustinum, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: Sed dilectio dans nobis charitatem, dat nobis gratiã, sine qua nõ stat charitas estque donans nobis Spiritum sanctum, non solum moventem; sed etiam inhabitantem, ut docet D. Thomas 1. p. q. 43. art. 3. ad 2. quare est dilectio Dei amicabile: ergo S. P. Augustinus cum Apost. Joanne docent quòd dilectio Dei amicabile præcedit dilectionem nostram.

15. Confirmatur ex S. P. qui tractatu 64. in Joannem solvit præcipuam, & fortè unicam difficultatem contra nostrum assertum. Difficultas præsens est, amor noster disponit ad gratiam, quæ nobis datur intuitu amoris nostri: ergo gratia non præcedit ut causa amoris nostri, sed potius sequitur ad amorem nostrum, ut effectus ejus in genere causæ materialis. Dicit sic: *Quomodo ergo Dominus dicit Joannis 14. Si diligitis me, mandata mea servate, & ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis; cum hoc dicat de Spiritu sancto, quem nisi ipsum habeamus, nec diligere Deum possumus, nec ejus mandata servare? Quomodo diligemus, ut eum accipiamus, quem nisi habeamus, diligere non valemus?* Muta nomen Dei in nomen gratiæ, qua Deum habemus, & dic sic: *Quomodo diligemus, ut gratiam accipiamus, quam nisi habeamus,*

diligere non valemus? En difficultas.

Respondet S. Parens sic: *Restat ergo ut intelligamus, Spiritum sanctum (idest gratiam habitualement, & charitatem) qui diligit, & habendo mereri ut plus habeat, ut plus habendo, plus diligat.* En conciliat Verba Christi Domini cum nostro asserto; & ne concedat nos posse diligere sine Spiritu sancto, & charitate, dicit, quòd semel habitum Deum diligimus, & dilectione nostra meremur augmentum charitatis, idest quòd plus nobis donetur. Sic respondet etiam D. Thomas loco laudato Ioan. lect. 4. dicens: *Et ita sensus est, si diligitis me per Spiritum sanctum, quem habetis, recipietis Spiritum sanctum in ampliori plenitudine.*

16. Ordo ergo justificationis nostræ in hac sententiã sic debet disponi. Primò infunditur gratia, & recipitur in anima nondum disposita. Secundò per eam gratiam movetur liberum arbitrium in Deum amando. Tertio ex isto amore per actum pœnitentiæ detestatur peccatum. Quarto in anima sic disposita recipitur voluntaria gratia, & remittitur peccatum. Totum accidit in eodem instanti, ut diximus num. 13. Sed signa diversa sunt, & hoc modo distribuenda. Hic vides gratiam bis recipi in subjecto, nempe primò in subjecto non disposito; deinde in subjecto disposito. Restat ostendere quomodo; & ad quid gratia bis recipiatur.

Totum hoc patet ex doctrina

B. Ægidij, quæ est etiam D. Thomæ 1. p. q. 76. art. 6. ad 1. cujus Verba dedimus, & latè explicavimus lib. 1. q. 9. §. 3. ubi de mente utriusque Doctoris diximus, quòd forma substantialis habet gradus, quare anima priùs informat materiam sub gradu corporeitatis, & accidentia quæ sequuntur formam secundùm istum gradum, disponunt materiam ad receptionem formæ secundùm gradum viventis. Sic secundò recepta anima, ab ea dimanant accidentia, quæ disponunt materiam ad receptionem formæ sub gradu sensibilis. Et sic usque ad gradum infimum. Quòd dicendum est necessariò, ne ponatur quòd anima recipiatur in materia non disposita, vel quòd accidentia disponentia recipiuntur in sola materia nuda, quòd suprà ut falsum rejectum est. Vide dicta lib. 2. q. 8. Ergo forma substantialis potest bis, ter, aut quater recipi in eadem materia; & semel inducta sine dispositionibus, potest denuò induci in subjecto disposito.

Rationem hujus asserti dedit B. Ægidius in Defensorio loco citato. Nam forma sub gradu universalissimo entis, & corporis, est proportionata materiæ corporeæ: ergo pro forma sub isto gradu non indiget dispositionibus materia corporea. At forma secundùm alios gradus viventis, sensibilis &c. est improporcionata materiæ: ergo secundùm istos indiget materia dis-

poni. Ergo licèt forma secundùm primum recipiatur in materia non disposita, secundùm alios gradus non recipitur nisi in disposita materia.

Dic idem de gratia in anima recepta, quæ potest bis recipi, nempe in anima non disposita, & sic est dum peccatori primò infunditur. Sed posita contritione, qua disponimur ad susceptionem gratiæ, iterùm recipitur gratia in anima disposita. Nec duplex ista receptio ejusdem gratiæ in anima, prima sine dispositionibus, secunda cum eis, obitat bonæ philosophiæ; ut de substantiali forma dictum est.

17 Accedit ratio Theologica, & Philosophica, suadens binam receptionem gratiæ. Nam gratia est à Deo, qui non eget dispositionibus nostris, ut gratiam creet, vel educat, & nobis infundat. Patet in parvulis, quibus Deus infundit gratiam sine motu eorum voluntario disponente. Idem accidere potest adultis, quos Deus in somno potest justificare, & gratiam infundere. Sed quia agens naturale potest inducere sine dispositionibus formam sub gradu corporeitatis; & sub alijs gradibus media dispositione; idè bis inducit formam in materia, nempe non disposita, & disposita: ergo dum primò Deus infundit gratiam sine dispositione, eam recipimus non dispositi; sed posita contritione nostra, eam iterum

iterum recipimus dispositi.

Rursus, nostra justificatio convenit cum justificatione parvulorum, quia utraque fit per gratiam, quam Deus singulis infundit prout vult; differt autem, quia in adultis receptio gratiæ est eis voluntaria, quatenus per actus voluntarios se disponunt ad ejus receptionem: ergo gratia bis recipitur in adultis, primò involuntariè, & à solo Deo infundente illam prout vult; secundò voluntariè juxta propriam cujusque dispositionem.

Hæc ratio, sicut & bina gratiæ receptio, confirmatur ex Tridentino sess. 6. de justific. cap. 5. dicente, nos justificari, *justitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundùm mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cujusque dispositionem.* En recipimus gratiam à Spiritu sancto, partiente singulis prout vult, & secundùm dispositionem nostram; sed nequit hoc intelligi de unica receptione: ergo restat exponendum de duplici, à nobis explicata. Probatur minor. *Ly prout vult*, excludit omne debitum, & meritum etiam de congruo ex parte nostra, ut docet D. Thomas, Glossa ordin. & Lira ad illa verba 1. ad Corinth. 12. *dividens singulis prout vult.* Ergo dum datur etiam gratia secundùm dispositionem nostram, bis datur, & distincta tributione; quare consequenter

gratia bis in adulto recipitur.

Explicatur. Ut gratia in nobis recipiatur involuntariè, nulla est necessaria dispositio nostra, sed sola infusio Dei prout vult, ut patet in parvulis. Ut autem gratia recipiatur in nobis voluntariè prærequiritur dispositio nostra voluntaria. Sed juxta Concilium gratia in nobis adultis recipitur primò involuntariè, infusa à Deo partiente singulis ut vult; deinde voluntariè juxta propriam cujusque dispositionem: ergo bis recipitur, nempe involuntariè ante omnem dispositionem nostram; deinde voluntariè post nostram dispositionem. Id docuit D. Thomas 1. 2. q. 113. art. 8. ad 2. dicens: *Motus liberi arbitrij naturæ ordine præcedit gratiæ consecutionem; sequitur autem gratiæ infusionem.* En contritio sequitur infusionem gratiæ, quæ gratia involuntariè recipitur in nobis, ut in parvulis. Ceterum præcedit consecutionem voluntariam gratiæ, quia per nostros actus affectuamur secundam receptionem, quæ idè est voluntaria nobis.

18 Hac doctrina facilè solvens difficilia argumenta Patris Suariz, contra Thomistas, docentes contritionem esse effectum gratiæ infusæ, sed non gratiæ receptæ, quia disponit contritio ad receptionem gratiæ. Contra hos probat quòd pro illo priori, quo gratia est nobis infusa, est in nobis recepta. Inde inferens quòd contritio dispo-

nens ad receptionem gratiæ, nequit esse effectus gratiæ infusæ, & ad gratiam posterior, sed prior; & causa ejus meritoria, aut dispositiva. Distingue sic duplicem receptionem, & concede quod pro illo priori quo gratia est infusa, est recepta involuntariè. Gratia sic, est causa contritionis, disponentis ad receptionem voluntariam.

Colliges etiam quod contritio non est causa suæ causæ quoad primum esse, sed quoad secundum. Nam non causat gratiam quoad primam sui receptionem in anima, sed quoad secundam, quæ est receptio voluntaria. Idem potest esse causa suæ causæ quoad secundum esse, ut dictum est.

Colliges tandem formam substantialem sub gradu universalis, recipi in materia non disposita, & sic receptam causare dispositiones, quæ materiam disponunt ad ulteriorem receptionem ejusdem formæ sub gradu minus universalis. Quod si replices cum nostro Mendoza ubi

suprà, ignem sub gradu corporis non petere calorem in summo, nec illum posse efficere sub isto gradu. Respondeo, ignem sub gradu corporis connecti essentialiter cum seipso sub gradu specifico: ergo existens in materia sub gradu generico, petit ei communicari sub specifico: ergo petit summum calorem, quo materia disponatur ad gradum specificum ignis. Hoc sufficit ut ab igne sub gradu corporis dimanet ille summus calor, ut dictum est suprà lib. 2. q. 10. §. 7. agendo de emanatione.

Argumenta, quæ suprà posita sunt num. 5. facile solvuntur ex doctrina hîc data: Forma quidem ignis sub gradu generico recepta in materia, est causa caloris disponentis materiam ad formam sub gradu specifico. Vide dicta num. 11. ubi soluta sunt. Et pro alijs vide Complutenses disput. 2. de Gener. quest. 8. §. 3. ubi hanc doctrinam de Gradibus formarum defendunt de mente D. Thomæ.

An causa connectatur metaphysicè cum possibilitate suorum effectuum?

§. I.

Proponuntur sententiæ cum suis fundamentis:

F. CONnexa dicuntur quorum unum non stat sine alio. Sic creaturæ non stant sine Deo. Aliquando connexio est mutua, ut in relativis, quæ mutud se ponunt, & interimunt. Pater enim, & filius sic connectuntur, ut non stet pater sine filio, nec filius sine patre. Connexio non mutua est quando unum pendet ab alio, sed non è contrà. Loquimur de dependentia lata. Sic existentiã creaturæ non stat sine existentiã Dei; at existentiã Dei stat sine existentiã creaturæ; quia de fide est Deum ab æterno extitisse, cum tamen nulla creatura extiterit ab æterno.

Connexio alia est physica, alia metaphysica, alia logica. Connexio logica vocatur illativa, & consistit in eo quod unum inferatur ex alio. Talis est inter hominem, & rationale; nam valet *Est homo: ergo est rationalis*. Connexio autem realis, & in re, est illa, quam suprà explicavimus; & hæc dicitur physica, quando est conformis ordini naturali, sed potuit aliter evenire. Sic Abel connectitur cum Adamo ut patre, quia sic à Deo ordinatù est; sed potuit aliter fieri, si Adâ fuisset genitus ab Abele. Connexio metaphysica est idem ac essentialis, & ob id invariabilis; hæc datur inter

extrema, quorum uno negato, negatur illativè aliud per locum intrinsecum. De hac est questio.

Nec unicè dubitatur de causa creata, sed de increata, quia nulla habet potentiam ad effectum impossibilem: ergo quæcumque petit possibilitatem sui effectus. An autem sic petat, ut deficiente possibilitate effectus, deficiat virtus causæ; dubium præsens est, quantum ad causas creatas philosophicum; quantum ad increatam theologicum, de quo DD. antiqui cum Magistro in 2. dist. 35. moderni cum D. Thoma 1. p. q. 12. & 14. quærentes, an Deus & Beati videant creaturas posibles in essentia Divina, & omnipotentia, ut in causa, & medio prius cognito? Nam ut cognoscantur certò posibles, debet medium ducere in possibilitatem determinatam creaturarum: sed medium quod non connectitur cum possibilitate, est indifferens ad possibilitatem, & impossibilitatem creaturarum: ergo vel omnipotentia connectitur cum creaturis possibiliibus; vel non est medium certò cognoscendi creaturas.

2. Hac via Illustrif. Godoy 1. p. q. 14. disp. 26. §. 7. probat multis rationibus connexionem omnipotentis

tia cum possibilibus. Eas omittimus Theologis expendendas. Nostris autem Philosophis dicimus, eas non probare connexionem mutuam omnipotentia cum possibilibus, de qua est quaestio, sed non mutuam, de qua non est dubium. Ut ergo omnipotentia sit medium determinatum, ducens certo in cognitionem possibilem, non requiritur quod omnipotentia *subjectivè* connectatur cum eis, sed sufficit quod connectatur *terminativè* cum illis; id est sufficit quod creatura pendeat ab omnipotentia, & quod omnipotentia terminet dependentiam, relationem, & connexionem creaturarum. Nam Deus videns suam omnipotentiam, videt eam terminate connexionem alterius mundi, non autem hircocervi: ergo videt determinatè possibilem alium mundum, non autem hircocervum. Ut quid ergo ponis connexionem subjectivam, si sufficit terminativa?

Urgetur. Deus se videns, videt determinatè se esse Dominum creaturarum existentium, non autem possibilem: at non videt hoc, quia in ipso sit relatio dominij ad creaturas; sed quia videt se terminare relationem, quam ad ipsum dicunt existentes, & non dicunt possibilem: ergo posita innegabili connexionem non mutua possibilem cum omnipotentia, Deus videns se terminare connexionem possibilem, non autem impossibilem, videt alium mundum esse determinatè possibilem, non autem esse possibilem hircocervum; nec ad hoc est necessaria subjectiva connectio:

omnipotentia.

Idem patet in Deo conservatore, qui se ipsum videns, videt certo, & determinatè quas creaturas conservat, quas non. Sed pro hoc non est necessaria in Deo relatio ad creaturas, sed sufficit, quod creatura dicat relationem ad Deum conservatorem, ut sic Deus eas videat determinatè conservari, quarum relationem determinatè terminat: ergo sufficit Deum terminare connexionem possibilem &c. Hinc vides talem connexionem debere alio titulo probari; nec restat alius, nisi æquè probet de causa creatura; quare quaestionem disputabimus aliquantulum etiam de omnipotentia. Eam latissimè discussi in scriptis theologicis, ex quibus aliqua hic breviter proponam.

Observa non esse quaestionem de causa in actu secundo, nam hæc est actus causans, & talis in omnium sententia connectitur cum effectu nedum possibili, sed existente. Est ergo de causa in actu primo, hoc est de virtute causativa, an deficiat, si ejus effectus reddatur impossibilem? Observa etiam quod connectio non est idem ac relatio. Nam ferè omnes, præcipuè Thomistæ, negant omnipotentiam dicere relationem realem ad creaturas; cum tamen Thomistæ propugnent eam connecti realiter metaphysicè cum eis. Quare non acquiescimus nostro Villanovano, probanti omnipotentiam non connecti, quia non dicit relationem realem ad creaturas, putans, & fortassis probans omnem connexionem esse relationem. Quid quid

quid sit de hoc, non quaerimus, an causa dicat relationem transcendentalem ad suos effectus, sed an connectatur cum eorum possibilitate?

3. Prima sententia affirmat. Ita Thomistæ communiter, quibus ex nostris adherent Lusitanus, Albiz citati à Villanova in Philosophia disp. 6. dub. 4. cap. 2. docetur etiam à N. Arim. in 1. dist. 30. q. 1. concl. 3. ex DD. Societatis Suavius, Granados, Albertinus, Ruiz, Hurtado, Arriaga, in Philosophia disp. 6. & 7. Et est satis communis in Scholis. Accedunt quotquot putant omnem causam dicere relationem realem ad suos effectus, ut Salas, Basolus, Durandus, & alij citati à P. Alphoso in Philosophia disp. 1.

Probatur hæc sententia 1. auctoritate D. Thomæ q. 2. de Veritate art. 3. ad 11. ubi ait: *Dicendum, quod quavis à linea diminuat punctus in actu, nihil deperit de linea quantitate; si tamen diminuat de linea quod sit ad punctum terminabilis, peribit linea substantia. Similiter etiam est de Deo: non enim aliquid Deo deperit, si hujusmodi creatura ponantur non esse; deperit tamen perfectio ipsius, si auferatur ab eo perfectio, seu potestas producendi creaturas. Non autem cognoscit res solum secundum quod sunt in actu, sed etiam secundum quod sunt in potentia ejus.* Hæc S. D.

Ex quibus sic. Aliquid perfectionis tollitur à Deo, si tollitur ab ipso potestas producendi creaturas: sed si aliqua creatura redditur impossibilis, tollitur à Deo potestas produ-

cendi illam: ergo tollitur à Deo aliquid perfectionis. Sed hoc ablatum est omnipotentia, quæ est potestas producendi creaturas: ergo ex defectu cuiuscumque creaturae possibilis, sequitur defectus omnipotentia. Hoc, & nihil aliud est omnipotentiam connecti cum possibilibus, ut dictum est.

Confirmatur 1. Posse producere hominem, est perfectio Dei, identificata cum omnipotentia: sed si homo redderetur impossibilem, deficeret Deo posse producere hominem; cum posse Dei non sit ad impossibilem: ergo deficeret aliqua perfectio identificata cum omnipotentia: ergo deficeret omnipotentia ipsa. Patet hoc, quia ex identificatis nequit unum deficere sine alio. Maj. patet, quia posse producere hominem, est eminentialis continentia naturæ humanæ, & activitas ad eam; unde sicut homo in se est formalis perfectio creata, continentia eminentialis hominis est perfectio formalis increata, identificata cum omnipotentia.

Confirmatur 2. Continentia eminentialis hominis est perfectio Dei, cum ipso, & omnipotentia identificata: sed hæc deficeret, si homo redderetur impossibilem; nam Deus non continet eminenter, nisi quod potest facere; non potest autem facere impossibilem: ergo &c. Maj. patet, quia continere eminenter hominem, est habere formaliter esse participabile ab homine: sic habere esse, est perfectio, & summa perfectio.

Explicatur. Quod esse Dei si participabile ab homine, nascitur e-

quo Deus ob suam infinitatem est infinite participabilis: sed si homo redderetur impossibilis, deficeret esse Dei participabile ab homine, nec tunc Deus esset infinitis modis participabilis: ergo deficeret aliqua perfectio Dei. Min. patet, quia Deus solum est participabilis à creatura, quam potest producere; non potest producere id quod est impossibile.

4. Confirmatur 3. Nequit deficere possibilitas formalis alicujus creature, quin deficiat possibilitas ejus radicalis: sed possibilitas radicalis creature est Deus ipse, vel veritas Divina: ergo nequit aliqua creatura reddi impossibilis, quin Deus ipse, & aliquid Divinum deficiat. Major patet, quia solum deficit possibilitas formalis hominis, dum homo redditur impossibilis; ac tunc deficit in Deo esse participabile ab homine, quod est possibilitas ejus radicalis. Min. etiam est certa, quia sicut esse creature venit à Deo, ut à fonte totius esse; sic possibilitas creature venit à Deo, ut à radice. Quare non repugnantia creature in prædicatis essentialibus, quæ est possibilitas ejus formalis, radicitur in ipso Dei esse, quod est participabile à creatura sine tali repugnantia; & tale esse Dei est possibilitas radicalis creature.

Confirm. 4. Nunc de facto est Deus idea hominis, cum Divina essentia sit imitabilis ab homine. Rursus est species impressa, representativa nature humanæ, quam Deus, sicut alias creaturas cognoscit in se ipso, ut cum P. August. docent Theologi

lib. 83. qq. quæst. 46. Rursus scientia simplicis intelligentiæ, quæ est necessaria, cognoscit hominem possibilem. Sed si homo redderetur impossibilis, omnia hæc deficerent: ergo &c. Probatur min. Deficeret idea, quæ solum est factibile, impossibile autem non est factibile. Deficeret species impressa, quæ solum est imago intentionalis eorum, quæ continet in esse entitativo, non potest Deus continere hominem impossibilem. Deficeret scientia, quæ non est nisi verorum; tunc autem non posset, nisi falso cognoscere hominem, ut possibilem.

Conf. 5. Si omnipotentia non necitur cum hoc, vel illo possibili, in particulari, erit inconnexa cum omnibus: ergo repugnantibus omnibus, adhuc maneret in Deo omnipotentia. Sed hoc est falsum: ergo tenendum est omnipotentiam connecti cum omnibus, & singulis. Probatur min. Repugnantibus omnibus possibilibus, nihil posset Deus extra se producere: ergo non esset omnipotens, sed nihil potens. Rursus quid est omnipotentia, nisi virtus omnium factiva? At in casu repugnantia omnium possibilium, omnipotentia non esset omnium factiva, nisi ponatur factiva impossibilem, quod repugnat: ergo non staret omnipotentia. Tandem non stat in Deo omnipotentia, nisi Deum denominet omnipotentem, infinite productivum ad extra, & potentem ad omne possibile. At in casu repugnantia totius collectionis possibilium, Deus non diceretur omnipotens, sed nihil potens, nec esset productivus ad

extra; nec potens ad omne possibile, cum nullum daretur possibile: ergo non esset in Deo tunc omnipotentia.

Tandem confirmatur. Quia cum Deus suam libertatem exercent solam circa creaturas, suam item providentiam, scientiam visionis, librum vite, immensitatem, & alias perfectiones, quæ respiciunt directe creaturas, si omnes creature redderentur impossibiles, hæc Dei attributa deficerent: ergo cum omnipotentia conectatur cum his perfectionibus Dei, connectitur necessario cum possibilitate creaturarum, sine qua non stant illæ perfectiones in Deo. Quæ dicta sunt de omnipotentia probant æqualiter de causa creata relatè ad suos effectus, ut videbis apud Prado in Philosophia. Quare ex doctrina infra danda pro omnipotentia, constabit quid teneamus de causis creatis.

5. Secunda sententia negat connectionem omnipotentie cum possibilibus, & causæ creatæ cum suis effectibus. Tribuitur Henrico Quodlib. 8. q. 3. Scoto in 1. Sent. dist. 30. & 43. quem sequitur Mastrius, ut omnem dependentiam Dei à creaturis depellat. Expressè traditur à P. Vazquio 1. p. disp. 50. & 104. cap. 6. quem sequuntur RR. aliqui Societatis, Ex nostris citatur N. Basilius Legionensis q. 8. Scholastica. Eam propugnat ut Ægidianam N. Villanova in Philosophia loco citato; etiam principia Ægidiana longè diversa sint à rationibus, quibus Vazquius, Mastrius, & alij defendunt sententiam istam, ut patebit.

Probatur hæc sententia à Vazquio, quia entitas, & veritas omnium possibilium, cum sit finita, & creata, non est ita necessaria, sicut entitas, & veritas Dei, quæ infinita, & increata est: sed nequit dari mutua connectio inter extrema inæqualiter necessaria, ita ut unum deficiat ex defectu alterius: Quis enim dicat Deum defecturum ex vi quod formica repugnaret? Ergo omnipotentia non connectitur cum possibilitate creaturarum.

Confirmatur. Deus in sui existentia est ens à se, & à nullo dependens: sed si connecteretur metaphysicè cum possibilibus, ab eis dependeret; nam semel quod unum fieret impossibile, rueret Deus ipse: ergo ne faciamus Deum dependentem à creaturis, debemus ipsam concipere independentem.

Hanc rationem confirmat P. Alphonsus in Philosophia ex illo Actorum 17. ubi de Deo dicitur: *Non indigens aliquo.* Et Psalm. 119. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Eodem fundamento utitur Mastrius ubi supra: & ipso suaderi potest in Theologia, Verbum Divinum non procedere ex cognitione, qua Pater æternus noscitur possibilis; nam Verbum habet infinitam necessitatem in essendo, quam non habent possibilis, ut ostensum est.

Quod si cum Thomistis instes, quod deficiente quolibet possibili, deficit in Deo vis contentiva ejus, & hæc identificatur cum omnipotentia; unde deficit omnipotentia. Respondet Vazquius talem vim non deficere.

re; nam nunc de facto omnipotentia est virtus contentiva hominis v.g. nō absolute, sed sub conditione quōd homo sit possibilis: ergo adhuc reddito homine impossibili, maneret in Deo virtus ad hominē sub conditione quōd non esset impossibilis. Ergo maneret tunc, sicut nunc omnipotentia.

6. Hoc fundamentum Vazquij validē impugnatur à Thomistis, ut videbis in Godoy loco citato, in Ioānie à S. Thoma 1. p. disp. 14. & alijs, quibus plenē assentimur; quare cum eis sic argumentamur. Juxta Vazquijū omnipotentia cōnectitur saltem cum possibilibus conditionatē, licet non absolute; hoc est cōnectitur sub cōditione quōd non sint impossibilia. Patet hoc tunc ex solutione Vazquij, quia omnipotentia est virtus ad omne non repugnans. Sed possibilia sub ista conditione non sunt æquē necessaria, ac Deus: ergo jam stat mutua connexio inter extrema nō æquē necessaria. Ruit ergo unicum Vazquijū fundamentum.

Rursus. Essentia creata metaphysicē cōnectitur cum suis proprietatibus, & in hac connexione fundatur scibilitas objecti creati, ut in lib. 1. Logica dictum est; & tamen proprietates non sunt ita necessariae sicut essentia: ergo inter inæqualiter necessaria stat mutua connexio.

Nec tenet confirmatio. Quia in Divinis inter Patrem & Filium stat mutua connexio. Inde enim P. Aug. impugnat Arium, concedentem ab æterno Patrem, sed negantem Filium

ejus esse æternum; quia non stat Filius sine Patre, aut e contra: quare si ab æterno est Pater, ab æterno ad est Filius, sine quo nequit esse Pater. Et tamen Pater & Filius, mutuo connexi, nullo modo invicem dependēt: ergo stat connexio sine dependentia. Quare ex independentia Dei à creaturis, perpetam probatur inconnexio.

7. Absolute evertitur hoc fundamentum. Nam omnipotentia non est virtus ad extrā sub conditione penitus repugnante: sed conditio de possibilitate impossibilis, est penitus repugnans: ergo omnipotentia non est virtus ad possibilia conditionatē, sed absolute. Min. multis, sed difficilibus, probatur à Bajona in Philosophia lib. 2. q. 9. art. 2. num. 24. ubi ea videbis. Facilius à nobis probatur sic. Suppositio destruens subjectum questionis, est penitus repugnans V.g. quæris an homo sit risibilis? Si supponas quōd homo non est rationalis, destruis subjectum questionis; unde est suppositio plenē repugnans. At si supponis quōd possibile non est possibile, aut quōd impossibile non est impossibile, destruis subjectum; quia tollis aliquid identificatum cū subjecto, nempe possibilitatem, quæ identificatur cum possibili; & impossibilitatem, quæ identificatur negativē cum impossibili: ergo &c.

Confirmatur. Actio creativa nequit terminari ad chimæram sub cōditione quōd sit possibilis, & non sit impossibilis: ergo nec omnipotentia sub ista conditione potest respicere impossibile. Patet conseq. Quia sicut

aut causa in actu primo respicit terminum ut possibilem; sic causa in actu secundo media actione respicit terminum, ut existentem: ergo si actio Dei nequit &c.

Hic dicunt, & bonè Thomistæ, quōd cōnnexio omnipotentia cū formica non est connexio dependentia à formica, sed est cōnnexio activē, & activæ continentia, qua Deus continet formicam. Quare impossibilitata formica, Deus plenē indepēdens, deficeret, non titulo dependentia, sed continentia, nam deficeret Deo illa continentia. At illa continentia est prædicatum identificatum cum Deo, & est Deus ipse: ergo deficeret Deus ipse, casu quo deficeret formica à sua possibilitate. Hæc sufficiat insinuasse de hæc inter Vazquium, & Thomistas. Veniamus ad nostram sententiam.

§. I I.

Probatur quōd ex defectu unius, vel alterius possibilis, non sequitur defectus omnipotentia, aut causa creata.

3. **P**robatur hæc assertio primo sic. Ex defectu unius vel alterius effectus, non deficit virtus causa creata: ergo ex defectu unius vel alterius possibilis, non deficit virtus increata omnipotentia. Cōsequentia negatur à Prado, sed postea efficaciter probabitur. Probatur antea recedens sic. Manente objecto specificativo virtutis, licet deficiat terminus

us, & objectum extensivum ejus, nō deficit virtus creata: sed deficiente uno, vel altero effectū, dummodo nō deficient omnes, manet specificativū virtutis creata, & solum deficit objectum extensivum: ergo ex defectu unius &c. Major, & minor sunt probanda.

Probatur maj. sic. Specificativū, & specificatum sunt correlativa, quæ mutuo se ponunt, & interimunt: ergo manente specificativo virtutis, manet virtus specificata. Tum etiam, quia cū objectum extensivum non det esse virtuti, neque existentia, speciem, aut unitatem, nam hæc omnia præstantur ab objecto specificativo, solum potest à posteriori probari defectus virtutis ex defectu objecti specificativi. Tum tandem, quia sicut virtus habet objectum, & terminum specificativum, & extensivum, sic relatio: sed relatio non deficit per defectum solius termini extensivi, dummodo maneat terminus formalis; ut patet in relatione patris ad plures filios, quæ non deficit per defectum unius filij: ergo manente specificativo virtutis &c.

Probatur min. principalis. Virtus creata non specificatur ab effectibus in particulari, sed à ratione communi, in qua conveniunt: sed licet deficiat unus, vel alter effectus, dummodo maneat aliquis, in eo salvatur ratio communis specificativa virtutis: ergo deficiente uno, vel altero effectū &c. Min. patet tum ex se, tum exemplo relationis ad plures filios, cuius terminus formalis salvatur in

quolibet Major autem est expressa in D. Thoma 1. p. q. 77. art. 3. & opposit. 70. q. 5. art. 1. ubi docet quod diversitas formalis objecti diversificat potentiam; non autem diversitas materialis. Et in solutione ad 4. dicit quod potentia superior respicit universalior rationem objecti, quam potentia inferior. Et explicat doctrinam istam in potentia visiva, quae unica est in specie, licet respiciat colores specificè diversos, & contrarios, ut sunt album & nigrum, quia scilicet non inspiciuntur à potentia, ut particulares & contrarij sunt, sed sub ratione communi colorati, in qua conveniunt, quae in eis una est, & salvatur in quolibet. Ergo juxta D. Thomam potentia, & ejus virtus respicit pro formali objecto specificativo rationem communem, in qua effectus conveniunt; extensivè autem, & per accidens respicit singularia.

In hac communi doctrina fundatur unitas specifica scientiarum, & habituum, de qua egimus in Logica lib. 1. quaest. 6. Nam juxta D. Thomam, ubi nuper, habitus specificantur per actus, & actus per objecta, sed idem habitus unus in specie, respicit actus specie diversos, quia non respicit illos sub ratione in qua differunt, sed sub ea, in qua conveniunt; & ab ea sic specificatur habitus, & fit unus specificè. Hoc patet in Logica, quae respicit actus diffiniendi, dividendi, & argumentandi, qui specie differunt inter se: & tamen Logica est una scientia in specie, quia respicit illos sub ratione communi modi sciendi,

in qua conveniunt; & haec ratio est una, & sic specificat, & dat Logicæ unitatem specificam. Ergo ex principijs communibus Thomistarum, fundatis in D. Thoma probatur, quod objectum specificativum virtutis est ratio communis, in qua conveniunt omnes effectus; ratio verò particularis eorum est objectum extensivum; quare deficiente, effectu particulari, deficit objectum extensivum, non autem objectum specificativum, & consequenter non deficit virtus creata.

9. Hæc doctrina est Magistri Prædo versatissimi in D. Thoma, ut testantur ejus scripta. Ea movetur defendere in Philosophia lib. 2. q. 21. §. 4. quod ex defectu unius, vel alterius effectus, non sequitur defectus virtutis creatæ: & quod hæc connectitur cum possibilitate effectuum in communi, sed non in particulari. Negat tamen consequentiam ad virtutem increatam, monens quod omnipotentia connectitur cum possibilibus tam in communi, quam in particulari. Hanc monitionem putamus inutilem, & inconsequentem. Quare

Probatur consequenter de causis creatis ad increatam. Nam idem apud Thomistas omnipotentia connectitur cum possibilibus nedum in communi; sed etiam in particulari, vel quia est medium cognoscendi illas, non solum in communi, sed etiam in particulari; vel quia deficiente effectu particulari, deficeret in omnipotentia vis contentiva illius. At etiam causa creata est medium determinatè cognoscendi effectum in communi, & in particulari, dum

ab

ab Angelò, vel à nobis scientificè cognoscitur: item deficeret etià causæ creatæ vis contentiva illius, si ille deficeret: ergo utrobique aequaliter dabitur connexio, vel inconnexio cum effectu in particulari.

Rursus. Cum causa creata dicat ordinem transcendentalem ad suos effectus, quem non dicit causa increata, major est connexio causæ creatæ cum suis effectibus, quam causæ increatæ. Hujus connexio est solius continentiae, creatæ autem est connexio continentiae, & dependentiae. Ergo si connexio major, cui adjuncta est dependentia, non est cum effectu in particulari, potiori titulo connexio causæ increatæ, quæ est sine dependentia, & ordine transcendentali.

Tandem. Idem Prædo negat causæ creatæ connexionem cum effectu in particulari, quia virtus ejus non specificatur ab effectu in particulari, sed à ratione communi reperta in omnibus effectibus: atqui virtus omnipotentiae non specificatur à creaturis possibilibus nec secundum rationem particularem, nec secundum rationem communem, ut ipse fatetur, & est certissimum, quia nihil Divinum specificari potest ab aliquo extrinseco, & creato: ergo potiori titulo causa increata non connectitur cum possibilitate effectus in particulari.

10. Hæc doctrina potest confirmari ex D. Thoma 1. p. q. 25. art. 3. ubi quaerit an Deus sit omnipotens? Ibi in corpore loquens de impossibili dicit: *Hoc enim omnipotentia non subditur, non propter defectum Divinae po-*

tentia, sed quia non potest habere rationem factibilis, neque possibilis. Et infra: *Vnde convenientius dicitur, quod ea non possunt fieri, quam quod Deus non possit facere.* Hoc totum videtur desumptum ex P. August. lib. 3. contra Maximinum cap. 12. ubi cum hereticus diceret Filium Dei non esse omnipotentem, & æqualem Patri, cum Filius non possit generare sicut potest Pater. Respondet P. N. Filium non generare alium filium *Non quia non potuit, sed quia non oportuit.* Quod explicans D. Thomas 1. p. q. 41. art. 6. dicit: *Ad secundum dicendum, quod Augustinus in illis verbis non intendit dicere, quod Filius posset generare filium: sed quod hoc non est ex impotentia Filij, quod non generet.*

En argumentum. Dato quod unus, vel alter effectus reddatur impossibilis, se habebit sicut nunc se habet chimæra: sed chimæra nunc non arguit defectum omnipotentiae juxta D. Thomam, quia subterfugit Divinam omnipotentiam, *Sed non propter defectum Divinae potentia, sed quia chimæra non potest habere rationem factibilis:* ergo nec in casu quaestionis defectus illius possibilis argueret defectum Divinae omnipotentiae. Et urgetur, Nam licet alter filius sit impossibilis in Divinis, ut docet fides, hoc non arguit in Filio defectum potentiae generandi juxta P. N. August. explicatum à D. Thoma: ergo quod lapis v. g. redderetur impossibilis, non arguit defectum potentiae in Deo juxta utrumque S. Doct.

Hujus ratio est duplex. Prima ja

Hh

tra

tradita, quia scilicet omnipotentia, & potentia generativa salvatur in unico termino, in quo sit ratio formalis specificativa. At in casu repugnantiae lapidis, manent alia possibilia, in quibus reservatur ratio entis possibilis specificativa omnipotentiae. Similiter cum potentia generativa in Filio sit eadem ac in Patre, & in Patre habeat terminum specificativum, salvatur potentia in Filio, licet alter terminus repugnet. Ergo ratio tradita est de mente utriusque Doct.

Altera ratio dicti Augustini est. Quod generatio effectus aliquando est impossibilis ob defectum causae, v.g. dum ignis tepidus applicatur aquae gelidae, tunc non sequitur calefactio, sed defectus venit à causa tepida. Aliquando effectus est impossibilis ob solam repugnantiam termini, v.g. dum lavas Aethiopem, ut eum dealbes. Nō sequitur dealbatio, sed repugnantia venit tota à termino, non ab aqua potente mundare, & dealbare. Ergo non semper impossibilitas effectus arguit defectum causae, nisi solum, quando terminus est possibilis ex se, nam tunc bene arguitur insufficientia causae, si illum non possit producere, ut in igne tepido dictum est. At nūc supponimus effectum particularem reddi impossibilem ex parte termini: ergo inde non infertur defectus causae increatae, nec creatae.

11. Confirmatur conclusio ista à ratione iterum sic. Ex dubitatione possibilitatis unius vel alterius possibilis, non sequitur dubitatio existentiae omnipotentiae; ergo ex suppositione

defectus unius vel alterius possibilis, non sequitur defectus omnipotentiae. Patet consequentia. 1. Quia si dubitare de impossibilitate effectus, non est dubitare de existentia omnipotentiae: ergo nec supponere impossibilitatem effectus, erit supponere, aut illativè inferre defectum omnipotentiae. Secundò, quia *Sic se habet simpliciter ad simpliciter, sicut magis ad magis.* Sed magis est supponere aliquid impossibile, quàm dubitare an sit impossibile: ergo si ex dubio impossibilitatis effectus non sequitur dubium de existentia omnipotentiae &c. Tertio, quia idè ex dubio possibilitatis effectus non sequitur dubium de existentia omnipotentiae, quia restant alij effectus erga quos omnipotentia potest sine dubio exerceri; nec ille, de quo dubitatur, repugnat defectu causae, sed ex parte termini. Atqui ex suppositione quòd unus vel alter repugnet, non sequitur quòd omnes effectus sint impossibiles, nec ille, qui supponitur repugnans, supponitur ita ex parte causae, sed ex parte termini: ergo &c.

Primum antecedens patet, quia plura in Theologia, & Philosophia sunt, de quorum possibilitate disputatur, & dubitatur. V.g. an sit possibilis substantia supernaturalis creata? An sit possibilis species impressa creata quiddativè representativa Divinae essentiae? An sit possibilis existentia materiae denudatae ab omni forma? An sit possibilis bilocatio circumscriptiva ejusdem corporis? Atqui ex dubitatione possibilitatis harum creaturarum nemo intulit adhuc remotissimè

simè dubitationem de existentia Divinae omnipotentiae: ergo ex dubitatione possibilitatis unius, vel alterius possibilis &c.

Urgetur. Supposito quòd ex repugnàtia omnium possibilium sequitur defectus omnipotentiae; qui dubitaret de possibilitate omnium possibilium, dubitaret illativè de existentia omnipotentiae. Ergo si ex defectu unius vel alterius possibilis sequeretur defectus omnipotentiae; qui dubitaret de possibilitate unius vel alterius effectus, dubitaret consequenter de existentia omnipotentiae. At hoc est falsissimum: ergo quia falsum est, quòd ex defectu unius, vel alterius possibilis, sequatur defectus omnipotentiae.

Urgetur 2. Quia ex quo aliquid sit impossibile, sequitur quòd omnipotentia nō se extendat ad illud; idè qui dubitat an substantia supernaturalis sit possibilis, dubitat consequenter, an omnipotentia se extendat ad illam producendam: ergo si ex impossibilitate unius, vel alterius effectus, sequeretur defectus omnipotentiae, dubitare de possibilitate illius effectus, esset dubitare de existentia omnipotentiae. Sed hoc est falsum: ergo & falsum est, quòd ex defectu unius, vel alterius &c.

Contra istam conclus. præter argumenta supra posita, de quibus infra, sunt alia quae inveniuntur in P. Hurtado disp. 8. Philosophiae sect. 3. & in Arriaga disp. 7. contendentibus quòd potentia, & habitus non specificantur ab aliqua ratione communi, ut num. 8. dictum est, sed à rationi-

bus particularibus. Eisdem rationibus probatur quòd non datur universalitas in rebus, de quibus sint scientiae, sed quòd istae sunt de singularibus. Ea nunc omittimus, tum quia soluta ex parte invenies apud Prado loco citato, tum quia doctrina de specificatione scientiarum non à singularibus, sed à ratione communi, constans est inter Thomistas, & nostros, quare in eorum libris abundè invenies, quòtalia argumenta dissolvas.

§. III.

Probatur quòd ex defectu omnium possibilium non sequitur defectus Divinae omnipotentiae.

12. HÆC conclusio addit difficultatem supra præcedentem, tum quia non est idem salvare virtutem causae cū defectu unius vel alterius effectus, ac cū repugnantia omnium. Tum etiam, quia repugnante uno, vel altero tantum, salvatur in reliquis ratio formalis specificativa virtutis, & sic subsistit virtus specificativa, ut arguebamus num. 8. ceterū si tota collectio repugnat, perit etiam ratio communis specificativa virtutis, & sic non potest virtus subsistere. Tum tandem, quia implicat virtus productiva, quae sit productiva nihili, aut quòd non sit alicujus productiva. Sed repugnantibus omnibus possibilibus, virtus non esset productiva alicujus, sed nihil: ergo non esset virtus productiva, sed deficeret. Quo vides, quòd principia primae as-

fectionis nostræ non deserviunt pro hac; quare aliunde probanda est.

Eam defendit ut expressam de mente B. Ægidij N. Villanovæ duplici principio Ægidiano illam probās. Primum est, quod nulla virtus repugnat ex vi quod repugnet ejus effectus secundarius, si manet primarius. At effectus primarius omnipotentia est perficere Deum ad intrā, secundarius autem est reddere potentem ad extrā: ergo licet in casu quæstionis omnipotentia nō esset productiva ad extrā, non deficeret; sed subsisteret tota perfectio omnipotentia, ut perfectiva Dei ad intrā. Hęc ratio probat etiam de causa creata; cujus virtus maneret ut perfectiva subjecti in ordine ad se, etsi non maneret sub expressione virtutis activæ ad extrā. Sumitur hæc ratio ex Ægidio Theorem. 6. de Sacramento Altaris.

Secundum, idque unice probās de omnipotentia, consistit in eo, quod nulla virtus deficit ex sola repugnantia termini secundarij, nam reservatur per ordinem ad terminum primarium. At creaturæ possibiles non sunt terminus primarius omnipotentia, sed secundarius: ergo eis omnibus repugnantibus non deficeret omnipotentia. Docetur hoc principium à D. N. in Prologo ad 1. Sent. q. 3. art. 1. Vtrumque principium videtur desumptum ex S. Anselmo in Monologio cap. 3.

13. Probatur ergo nostra assertio ex primo principio sic. Nulla forma, aut virtus deficit, manente ejus exercitio primario; licet repugnet e-

ius exercitium secundarium: sed, deficientibus omnibus possibilibus, deficeret Deo solum posse ad extrā; & hoc posse est exercitium secundarium Divina omnipotentia: ergo non deficeret Deo omnipotentia. Major patet, quia licet Christo repugnet esse filium adoptivum Dei, eò quod est filius naturalis ejus; at illi non repugnat habere gratiam habitualem, cujus effectus secundarius est constitutere filium adoptivum. Hoc ideo, quia gratia dat illi effectum primarium sanctificandi, & manente effectu primario, manet forma, licet repugnet secundarius. Præterea: Effectus, & exercitium secundarium, non addunt perfectionem supra primarium, sed tota perfectio formæ, aut virtutis salvatur in effectu, & exercitio primario: ergo nulla forma, aut virtus deficit, manente &c.

Minor probatur 1. Quia nulla est perfectio in Deo, quæ non sit primario ad intrā, & propter ipsam Deum; quare posse ad extrā est exercitium secundarium omnipotentia. Si enim nulla est facta creatura, quæ non sit primario propter Deum, testante Scriptura, quod omnia propter semetipsum operatus est Dominus: ergo nulla est in Deo perfectio, quæ sit primario propter creaturas, sed omnis est primario propter Deum: ergo posse omnipotentia ut ad extrā, est exercitium secundarium omnipotentia, supponens posse, ut ad intrā, quod est exercitium primarium omnipotentia, &c. Probatur secundo, & explicatur Omnipotentia juxta Thomistas non est

est perfectio virtualiter adæquatè distincta ab intellectu, & voluntate Dei, ut docet cum communi Illust. Godoy. Ergo posse omnipotentia est posse intellectus, & voluntatis Divina. Sed posse intellectus, & voluntatis Dei, ut respicit creaturas, est exercitium secundarium; ut autem respicit esse intelligibile, & volibile Dei, est exercitium primarium: ergo posse Divinum ad extrā, quod in casu quæstionis deficeret, esset exercitium secundarium.

Probatur 3. Potentia generativa Dei non est distincta ab omnipotentia, ut constat ex P. August. num. 10. ubi ne neget Filium omnipotentem, dicit in ipso esse potentiam generandi. Idem dic de potentia spirativa, quæ non distinguitur ab omnipotentia. Ergo omnipotentia Dei est productiva ad intrā Divinarum Personarum, & ad extrā est productiva creaturarum. At prius est productiva ad intrā, quàm ad extrā, ut docet fides: ergo esse productivam ad extrā est exercitium secundarium. Quidquid sit de his probationibus, quæ theologica sunt.

14. Probatur minor principalis ratione philosophica, communi ad formas creatas. Nulla est forma, quæ prius non perficiat subjectum in ordine ad se, quàm in ordine ad aliud: sed reddere Deum potentem ad extrā, est perficere Deum in ordine ad extrā, nempe ad creaturas: ergo hoc posse non est effectus primarius omnipotentia, sed secundarius. Probatur major Tum in formis, quæ purè faciunt ad esse, ut quantitas, & figura; tum in

eis quæ faciunt ad operari, ut calor ignis, intellectus, voluntas &c. Quantitas prius extendit partes in ordine ad se, quàm in ordine ad locum. Figura prius disponit partes inter se, quàm in ordine ad situm. Calor prius reddit subjectum calidum in se, quàm potens alia calefacere: virtus prius reddit subjectum in se qualificatum, quàm potens, & virtuosum ad extrā. Intellectus prius reddit hominem intellectivum sui, quàm aliorum, & sic de alijs in universum. Ergo nulla est forma, quæ prius &c.

Hinc deduces, quod virtus quælibet activa duo habet munera, unum relatè ad subjectum quod actuat, qualificat, ornat, & reddit virtuosum; aliud in ordine ad effectum quem continet, & potest producere. Primum munus est effectus primarius virtutis, ut forma est relatè ad subjectum; secundum munus est effectus secundarius virtutis, ut activa est, & de genere efficiendi. Licet ergo repugnante effectu, deficiat virtus illa sub munere activo, non tamen absolutè deficit virtus à subjecto, nam reservatur in eo penes munus qualificandi, & actuandi subjectum in se, quod est effectus primarius virtutis, ei conveniens ut forma est. In hac doctrina fundatur sententia N. Argentiniensis, & plurium aliorum, docentium quod in Beatis manent habitus fidei, & spei. Nam licet actus fidei sit impossibilis Beato videnti Deum; sicut actus spei Beato jam possidenti beatitudinem; at habitus harum virtutum non repugnant, nec sunt inutiles Beatis, nam

eos qualificant, & ornant in genere causæ formalis, licet non reddant eos potentes credere, & sperare, quod est munus secundarum illarum virtutum.

Hinc facile solves importunum quaesitum in casu quaestionis, nempe quid daret omnipotentia Deo repugnantibus omnibus possibilibus? Respondeo, quod juxta sententiam communiorē Thomistarū, non distinguentem omnipotentiam ab intellectu, & voluntate, daret Deo posse intelligere, & posse velle se ipsum: & in hoc posse salvaretur omnipotentia, & Deū redderet sic omnipotentem ad intrā. Si verò cum alijs non distinguas omnipotentiam à potētia generativa Filij, & spirativa Spiritus sancti; tunc omnipotentia etiā redderet Deū ad intrā potentē generare, & spirare. Quare tunc esset in Deo etiam omnipotentia ut virtus activa, non ad extrā, sed ad intrā; nec esset potentia nihili, aut *nihil potentia*, ut dicunt aliqui, sed adhuc esset potentia infinite activa intellectiois, & volitionis, & esset infinite productiva Filij, & Spiritus sancti; unde solum careret termino ad extrā, sed inde nullus defectus in Deo sequeretur, cum productio ad extrā sit munus secundarium omnipotentia, ut dictum est.

At quia N. Gavardi de mente B. Aegidij putat probabilius omnipotentiam adquatē distingui ab intellectu & voluntate; & vi consequentiæ forsā distinguitur etiam à potentijs generativa, & spirativa; in his principijs non est ita pervia responsio. Dicimus tamen quod omnipotentia tūc

forsā non distingueretur ab intellectu, & voluntate, cum non haberet diversum specificativum, quod nunc, nempe ens possibile, vel ens Divinū ut ad extrā participabile. Tunc enim daretur ens Divinum, sed non esset participabile, quia ab impossibilibus nequit participari. Dato tamen subsistere omnipotentiam ut distinctam, dicimus eam non manere ut activam efficienter, quia terminus adquatē, repugnans supponitur. Maneret tamē ut activa formaliter, actuando Deum, & complendo in sua linea, sicut dictū est de fide, & spe in Beatis. Hæc dicimus juxta principia hujus assertiois, sed §. seq. ostendemus, quomodo adhuc in casu repugnantia omnium possibilium, manet omnipotentia in Deo, ut activa, & constitueret Deum æquē potentem ac nunc.

15. Probatur 2. nostra assertio. Nulla potentia potest deficere ob defectum solum termini secundarij ipsius: sed creaturæ sunt termini tantum secundarius Divinae omnipotentia: ergo ex repugnantia omnium possibilium non sequitur defectus Divinae omnipotentia. Major patet, quia tota perfectio intensiva potentia salvatur in termino primario. Idem patet in habitibus, & scientijs, quarum perfectio tota salvatur in objecto primario: relatē autem ad objectum, & terminum secundarium solum sumitur perfectio extensiva potentia, habitus, aut scientia; quare ex repugnantia objecti, & termini secundarij, non sequitur defectus virtutis, sed repugnantia extensionis ejus, quod nihil

of-

officit virtuti in se.

Minor autem probatur 1. in sententia non distinguente omnipotentia ab intellectu, & voluntate Dei. Nam in hac sententia idem est objectum, & terminus omnipotentia, ac Divini intellectus, & voluntatis: sed intellectus & voluntas Dei non respiciunt creaturas primario, sed secundario: ergo eodem modo omnipotentia.

Probatur 2. in sententia non distinguente potentiam generativam, & spirativam ab omnipotentia. Nā terminus primarius potentia active Dei est terminus ad intrā, nempe Filius productus, & Spiritus sanctus spiratus: sed creaturæ non sunt terminus potentia Dei ad intrā, sed ad extrā: ergo non sunt terminus primarius, sed secundarius.

Probatur 3. in sententia distinguente omnipotentiam ab intellectu, & voluntate, & potentijs activis ad intrā. Nam adhuc in hac sententia objectum omnipotentia, & ejus terminus primarius, non est aliquid creatum, cum nihil creatum possit primario inspicere à prædicato Divino. At creaturæ posibles sunt quid creatū; ergo non sunt terminus primarius sed secundarius Divinae omnipotentia.

16. Hinc solves, quæ num. 12. posita sunt. Ad 1. dic, quod repugnantibus omnibus possibilibus, non repugnat ratio specificativa omnipotentia; nam hæc non est ratio aliqua creata, nec ratio communis entis factibilis, quæ creata est; sed est quid Divinum juxta has tres sententias, nuper relatas, juxta primam est verum, & bo-

num Divinum, quæ specificant intellectum, & voluntatem Dei. Juxta secundam est natura Divina infinite communicabilis per generationem, & spirationem. Juxta tertiam est esse Divinum, ut communicabile finito modo ad extrā. Hæc omnia manent, etsi omnia possible repugnent: ergo falso dicitur tunc defecturum specificativum omnipotentia.

Ad 2. dic, quod omnipotentia tunc esset activa, & productiva ad intrā, ut ostensum est num. 14. sed juxta sententiam B. Aegidij, quam admittimus, tunc non esset activa efficienter, esset tamen activa formaliter, ut explicatum est. Nec denominatio activa efficienter est primaria in omnipotentia, sed secundaria. Ex defectu autem denominationis, & effectus secundarij, non sequitur defectus virtutis, sed extensionis ejus. Hæc dixerim juxta principia hujus assertiois, sed me vide §. sequenti, invenies omnipotentiam tunc æquē factivam, sicut nunc.

17. Dices. Repugnantibus omnibus possibilibus, repugnat ens Divinum, ut participabile ad extrā: sed ens Divinum sic est specificativum omnipotentia juxta tertiam sententiam B. Aegidij: ergo repugnantibus possibilebus, repugnat specificativum omnipotentia, & ejus terminus, & objectum primarium: quare repugnat omnipotentia.

Respondeo, quod ens Divinum finito modo communicabile, duo dicit, unum in recto, nempe entitatem Divinam, aliud in obliquo, nempe respectum rationis ad creaturas, quibus

huc potest communicari. Sic dicunt omnes quod idea Divina, quæ est essentia Divina imitabilis à creaturis, dicit pro recto Divinam essentiam, & pro obliquo respectum idealem, & relationem rationis ad creaturas, ut in Logica explicatum est libro 2. q. 7. In casu, quo repugnarent omnia possibilia, repugnaret ens Divinum participabile, at non repugnaret quoad rectum, sed quoad obliquum. Atqui omnipotentia non specificatur ab ente Divino participabile, secundum obliquum, sed secundum quod dicitur in recto. Si enim omnipotentia non potest specificari ab aliquo creato, multò minùs ab ente rationis. Ergo cum rectum illud maneret, repugnantibus possibilibus, maneret specificativum omnipotentia.

Observa, quod aliud est manere omnipotentiam, aliud manere ut distinctam à reliquis potentijs Dei. Illud obliquum forsan deservit ad distinctionem omnipotentia; quare obliquo ablato, non maneret ut distincta. At non deservit pro constituenda in suo esse omnipotentia. Vnde maneret ablato obliquo, licet forsan indistincta ab alijs potentijs Dei. Sic diximus in Logica quod respectus ideales deserviunt ad distinctionem idearum, sed non ad constitutionem earum, cum nil Divinum possit constitui per ens rationis. Vnde sicut ablatis respectibus idealibus, manerent ideæ, sed non earum distinctio. Sic ablato obliquo specificativi omnipotentia, maneret omnipotentia; at tunc forsan non maneret, ut distincta à reliquis potè-

tijjs Dei. Nisi dicas distingui adhuc tunc; quia intellectus Dei respicit verum, voluntas bonum, generatio Filium, spiratio impulsus, & omnipotentia ens Divinum.

§. IV.

Probatur quod repugnantè tota collectione possibilium, adhuc omnipotentia esset æquè productiva ad extrà.

18. **H**ÆC assertio videtur implicatoria, nam si tota collectio possibilium redditur impossibilis, nihil remanet possibile: ergo nihil remanet producibile ad extrà. Quomodo ergo dici potest, nisi implicatoriè, quod tunc manet omnipotentia ut productiva ad extrà, immò æquè productiva ac tunc? Respondemus breviter, solvendo implicationem, & explicando sensum nostri asserti, quod à nemine videtur negandù, si stemus communi doctrinæ.

Nunc de facto homo est possibilis, & contradictorium hominis est impossibile. Patet hoc, quia sicut duo contradictoria non possunt esse simul vera, nec simul falsa; ita non possunt esse vel simul possibilia, vel simul impossibilia. Ergo homo, & quidquid nunc possibile est, habet contradictorium, quod modò impossibile est. Ergo collectio omnium possibilium habet collectionem sibi contradictoriam omnium impossibilium. Nunc sic. Juxta communem doctrinam duo contradictoria non possunt esse vel si

simul possibilia, vel simul impossibilia. Ergo casu quo tota collectio possibilium, quæ nunc datur, redderetur impossibilis, collectio contradictoria impossibilium redderetur possibilis. Patet consequentia, quia ex opposito sequeretur utramque collectionem contradictoriã manere simul impossibilem. Sed collectio impossibilium, quæ redderetur possibilis, esset producibilis ab omnipotentia: ergo casu quo tota collectio possibilium, quæ nunc est, redderetur impossibilis, adhuc omnipotentia manet ut productiva ad extrà, immò æquè productiva, ac nunc.

Confirmatur. Idèò duo contradictoria non possunt esse simul vera, nec simul falsa, quia verum est hoc principium, *Quodlibet est, vel non est*: et etiam hoc: *Impossibile est rem simul esse, & non esse*. At hæc principia æquè probant quod duo contradictoria non possunt esse simul possibilia, aut simul impossibilia; implicat enim rem simul esse possibilem, & non esse possibilem. Ergo ex suppositione quod tota collectio possibilium redderetur impossibilis, contradictoria collectio impossibilium redderetur possibilis; & sic respectu eorum omnipotentia esset productiva ad extrà, & æquè ac nunc productiva.

Explicatur. Nulla nunc est creatura possibilis, cujus contradictorium non sit impossibile. Ergo tot sunt nunc contradictoria impossibilia, quot nunc sunt creature possibilis. Ergo in casu quo omnes creature redderentur impossibiles, tot contradictoria nunc

impossibilia, redderentur tunc possibilia. Ergo æquè productiva ad extrà esset tunc omnipotentia, ac nunc est.

19. Probatur 2. conclusio nostra in particulari. Nullum est cogitabile impossibile, quod sit simplex, & incomplexum; quare omnia impossibilia complexa sunt, vel dependentia à complexione, qua vel identificantur quæ sunt distincta, ut in hircocervo; vel distinguuntur, & separantur quæ sunt identificata, ut in animalitate hominis separata à rationalitate; vel adunantur quæ sunt incompatibilia, ut coexistentia gratia & peccati juxta Thomistas; vel separantur inconjungibilia ut albedo à colore; vel attribuantur quæ repugnant subjecto, ut si Deum facias peccatorem &c. Cogita quodcumque impossibile, illius impossibilitas consistit vel in identitate distinctorum, vel in distinctione identifierum, vel in conjunctione, & attributione inconjungibilium, & repugnantium, vel in separatione inconjungibilium.

Nunc sic. Implicat quod hircocervus sit impossibilis ratione identitatis hirci, & cervi; & quod distinctio hirci à cervo non sit determinatè possibilis. Ergo casu quo distinctio hirci, & cervi, quæ nunc est possibilis, redderetur impossibilis, identitas ei contraria redderetur possibilis; unde redderetur possibilis hircocervus.

Similiter. Nunc homo est possibilis, quia identitas animalitatis cum rationalitate possibilis est, & non repugnans: ergo nunc impossibilis est

distinctio realis animalitatis hominis à rationalitate. Sed casu quo homo redderetur impossibilis, impossibilis redderetur identitas animalis cum rationali: ergo tunc distinctio animalis hominis à rationali redderetur possibilis. Patet conseq. quia idéitas, & distinctio extremorum nequit esse simul possibilis, aut simul impossibilis. Quare suppositio reddés impossibilem identitatem, reddit possibilem distinctionem.

Quæ dicta sunt de identitate, & distinctione, dic etiam de conjunctione, & separatione. Nunc conjunctio gratiæ cum peccato est impossibilis juxta Thomistas, sed possibilis juxta omnes separata existentia utriusque. Demus hoc possibile reddi impossibile; tunc conjunctio utriusque, quæ nunc est impossibilis, redderetur possibilis. Patet conseq. Quia per id impossibile redditur possibile, per quod tollitur formaliter ejus impossibilitas: sed impossibilitas consistens in separatione, tollitur formaliter per conjunctionem: ergo si existentia separata gratiæ, & peccati redderetur impossibilis, conjunctio, & coexistentia gratiæ cum peccato, redderetur possibilis.

20. Hæc assertio aliqua habet contra se, quæ oportet dissolvere. Argues 1. contra rationem probativam. Ex quo unum possibile reddatur impossibile, non sequitur quodd ejus contradictorium reddatur possibile: ergo ruit unicum fundamentum nostri asserti. Probatur antecedens. Possunt duo contradictoria esse simul impossi-

bilia: ergo ex quo unum &c. Probatur antecedens. Possunt duo contradictoria esse simul possibilis: ergo & simul impossibilis. Patet conseq. quia eadem est utriusque ratio. Probatur antecedens. Tam possibilis est de facto existentia hominis, quàm ejus carentia; utrumque enim est possibile; nempe hominem existeré, & hominè non existeré: at ista sunt contradictoria: ergo.

Confirmatur 1. Nunc de facto tam possibilis est existentia hominis, quàm carentia existentia hominis: ergo casu quo homo redderetur impossibilis, tam impossibilis esset existentia hominis, quàm carentia existentia hominis. Patet conseq. quia si oppositio contradictoria inter existentiam, & carentiam existentia, non obstat, ut utrumque nunc sit simul possibile, non obstat in casu quæstionis, ut utrumque sit simul impossibile.

Explicatur. Si homo redderetur impossibilis, se haberet tunc, sicut se habet chimæra: sed chimæra, & existentia chimæra, & carentia existentia chimæra, sunt nunc simul impossibilis. Ergo tunc homo, & carentia hominis, aut ejus contradictoriū, essent simul impossibilia.

Confirmatur 2. Ex eo quodd nūc cursus Petri sit possibilis, non sequitur quodd carentia cursus Petri sit impossibilis: ergo ex eo quodd cursus Petri redderetur impossibilis, non sequeretur quodd carentia cursus Petri esset possibilis.

Confirmatur 3. Tam libera est Deo

Deo existentia alterius mundi, quàm ejus contradictorium, nempe carentia existentia alterius mundi: ergo quia utrumque est possibile. Patet conseq. quia circa extremum impossibile nequit exerceri Divina libertas. Nunc sic. Mundus, & ejus contradictorium sunt de facto possibilis: ergo si tota possibilium collectio redderetur impossibilis, nedum mundus redderetur impossibilis, sed etiam ejus contradictorium. Quare cum eadem sit ratio de ceteris possibilibus, perperam intulimus, quodd eorum contradictoria redderentur possibilis.

Tandem. Propositiones contradictoriae antecedenter ad decretum Dei, nullam habent determinatam veritatem, ut dictum est lib. 8. Logicæ quæst. 2. §. 4. de his *Petrus sedebit, Petrus non sedebit*, quarum nulla est determinatè vera ante decretum Dei. Ergo utraq. ante decretum est possibiliter vera. Ergo objectum utriusque est possibile. Sed objectum duplicis contradictoriae est oppositum contradictoriè: ergo ante decretum Dei, tam res, quàm ejus contradictorium est possibile: ergo casu quo collectio possibilium redderetur impossibilis, etiam eorum contradictoria redderetur impossibilia.

Hæc omnia facilè, & ferè uno verbo solvuntur. Equivocat arguens inter essentiam & existentiam, imò & inter ipsam existentiam, quæ arguens sumit *exercitè*, & nos *signatè*. Explico hoc. Ista sunt contradictoria, *Homo, & carentia hominis*. At carentia illa vel negat existentiam hominis

vel ejus essentiam. Si primum? Utrumque contradictorium est possibile, utrumque contingens, & Deo liberum, ut probat argumentum. Sed non est contra nos, qui non utimur regula contradictoriarum in materia contingenti: homo autem ut dicit existentiam; & carentia hominis, ut negat existentiam ejus, sunt materia contingens. Homo autem ut dicit essentiam objectivè sumptam, id est prædicata essentialia non repugnantia; & carentia hominis, ut negat essentiam hominis, sunt contradictoria; sed in materia necessaria, quia homo est essentialiter possibilis, & non repugnans; carentia autem hominis sic sumpti, est necessariò impossibilis. De his contradictorijs in materia necessaria procedit nostra probatio, & in tali materia tenet optimè regula contradictoriarum.

Similiter, quia existentia semper habet essentiam, & prædicata essentialia non repugnantia; non tamen semper existentia existit, sed aliquando, & contingenter: idèd existentia ipsa potest sumi *signatè* pro essentia existentia, & *exercitè* pro munere exercitè essendi extra causas. Ergo carentia existentia aliquando negat existentiam signatam, aliquando existentiam exercitam. Quo fit, quodd tam existentia exercita, quàm carentia existentia exercita, sint extrema contingenti Deo libera, & ante decretum æquè possibilis. Ceterum carentia existentia signata est determinatè, & necessariò impossibilis; quia existentia signata est determinatè possibilis, &

non repugnans.

Hinc sume tibi hanc regulam pro omnibus, quæ possunt obijci contra nostram doctrinam. Omne ens finitum, *subjectivè* sumptum, & quoad existentiam, est Deo liberum, & contingens; quare est possibile illud, & possibile etiam carentia ejus. At omne ens, *objectivè* sumptum, & quoad essentiam, est Deo necessarium, & ejus carentia est necessariò impossibilis. Ob id enim de possibilibus, hoc est de creaturis quoad esse objectivum, & essentialiter, habet Deus scientiam necessariam, quæ dicitur à Theologis scientia simplicis intelligentiæ. Est enim scientia necessaria, quia ejus objectum necessarium est. Similiter existentia cujusvis entis, *signatè* sumpta, est necessaria, & ejus carentia est necessariò impossibilis. Sed *exercitè* sumpta est contingens, & ejus carentia æquè possibilis, ac existentia. Nostra probatio est de possibilibus *signatè*, & *objectivè* acceptis; argumentum totum est de possibilibus *subjectivè*, & *exercitè* sumptis: quare non est contra nos.

22. In forma ad argumentum respondeo, & ad primum nego antecedens de contradictorijs *signatis*, & in materia necessaria, & concedo de exercitjs, & in materia contingente. Ad probationem dic, quod existentia exercita hominis, & ejus carentia, sunt æquè possible; sed de eis sic sumptis nil ad nos. Existentia autem hominis *signatè* sumpta, & ejus carentia, non sunt æquè possible; quia existentia sic est determinatè possibi-

lis, & essentialiter non repugnans; carentia autem ejus est determinatè, & necessariò impossibilis. De hac procedit nostra probatio.

Quod si quæras, cur contradictoria exercita sunt æquè possible, secus contradictoria *signata*? Respondeo quia illa sunt in materia contingente, in qua due propositiones contradictoriæ possunt esse indeterminatè veræ, v.g. *Petrus sedebit, Petrus non sedebit*. Utraque potest esse vera: ergo objectum utriusque est æquè possibile. At propositiones in materia necessaria non sic. V.g. *Homo est animal rationale: homo non est animal rationale*. Quarum prima est necessariò vera, secunda falsa. Ergo objectum utriusque non est æquè possibile, sed unum est necessariò possibile, aliud impossibile. Ergo homo ut dicit essentiam, est necessariò possibilis, & carentia hominis, ut negat essentiam, est necessariò impossibilis.

Ad 1. confirmationem concede totum de existentia exercita hominis, & de ejus carentia, quæ sicut nunc sunt æquè possible, æquè redderentur impossibiles. Nega totum de existentia *signata*, quæ nunc est determinatè, & necessariò possibilis, & ejus carentia impossibiles. Quare si existentia *signata* hominis redderetur impossibilis, ejus carentia redderetur possibilis. Ad explicationem concede antecedenti nega consequentiã. Quia carentia existentie chimæra non est impossibilis, sed tam necessariò possibilis, quàm est impossibilis existentia chimæra. Valet enim Existentia

chi

chimæra est impossibilis: ergo carentia existentie chimæra est necessaria. Quid ea sit, dicam in seq. argum.

Ad 2. confirmationem concede antecedens de cursu Petri exercito, & *subjectivè* sumpto: nego de eodem *objectivè*, & *signatè* accepto, ut dictum est. Eodem modo disting. consequens, nam probatio nostra de contradictorijs solum valet in materia necessaria, & talis est cursus Petri *signatè*, & *objectivè* sumptus, quia essentialiter est non repugnans.

Ad 3. confirmationem concede totum de mundo, & ejus carentia exercitè sumptis, quæ sunt Deo contingente, & libera; quare æquè possible, & æquè redderentur impossible in casu quæstionis. At mundus *signatè*, & *objectivè*, non est Deo contingens, sed objectum necessarium scientiæ ejus simplicis intelligentiæ, & ejus carentia sic, est Deo necessariò impossibilis. Quare si mundus sic redderetur impossibilis, tunc ejus carentia *signata* redderetur possibilis, & circa illam exercitè sumptam, sicut modo circa mundum exercitè, Deus suam exerceret libertatem.

Ad ultimum patet ex dictis. Doctrina illa de contradictorijs ante decretum solum tenet in materia contingente; nam in materia necessaria ante omne decretum una earum est determinatè vera, alia falsa, ut patet ex dictis. Cum ergo collectio possibilium *signatè* sumptorum sit materia necessaria, quia possibilitas est non repugnantia in prædicatis essentialibus, & hæc non distinguitur ab ipsis

prædicatis, quæ faciunt propositionem in materia necessaria; ideo ante omne decretum collectio illa est necessariò possibilis, & ejus contradictoriū est necessariò impossibile. Ergo si collectio redderetur impossibilis, ejus contradictorium redderetur possibile vi ejusdem suppositionis.

23. Argues secundo, & est replica contra dicta. Ex eo quod repugnante homine, redderetur possibile ejus contradictorium, non sequitur quod omnipotentia possit illud producere: ergo adhuc dato quod interdiximus, non haberet omnipotentia quid produceret ad extrã. Probatur antecedens. Contradictorium hominis est carentia hominis, & sic quid negativum, & non ens: sed negatio, & non ens, licet reddatur possibile, non est factibile, & producibile; quia sola entia fiunt, & producuntur: ergo.

Confirmatur. Si homo redderetur impossibilis, se haberet tunc, sicut nunc chimæra: sed nunc chimæra, nec contradictorium chimæra, est à Deo producibile; si enim carentia entis positivi non est producibilis, multò minùs carentia chimæra, quæ est nihil: ergo tunc nec homo, nec ejus contradictorium esset à Deo producibile.

Confirmat. 2. Ex nostra ratione probativa sequitur, quod casu quo Deus redderetur impossibilis, ejus contradictorium redderetur possibile. Nunc sic. Vel illud possibile esset Deus, vel aliquid creabile. Non hoc quia sine Deo existente nihil est crea-

bi

bile. Non etiam primum; quia carentia Dei nequit esse Deus: contradictorium autem hujus Dei est carentia Dei. Est ergo doctrina nostra plenè repugnans.

Resp. ad argum. quòd cum homo sit nunc ens positivum, ejus carentia est nihil, quia carentia entis nihil est. At in casu quo homo redderetur impossibilis, homo esset nihil, quia impossibile non est ens, sed non ens: ergo carentia hominis impossibilis esset aliquid, & ens; nam esset carentia nihili, & carentia nihili est ens. Quare sicut carentia hominis transiret de impossibili ad esse possibilem, sic transiret ad esse positivum, & hoc esset à Deo producibile.

Ad 1. confirmationem negotii. quoad 2. partem: nam contradictorium chimæ, est carentia ejus; ipsa est nihil: ergo contradictorium chimæ est carentia nihili. At carentia nihili est ens, & idèò producibile; sicut carentia entis est non ens, & improducibile: ergo contradictorium chimæ est producibile à Deo. Casu quo collectio possibilium redderetur impossibilis, omnia eorum contradictoria essent carentia nihili: ergo omnia essent ens, & quid à Deo producibile.

Ad 2. confirmat. dic, quòd si Deus redderetur impossibilis, ejus carentia redderetur possibilis, & esset Deus. Ratio est: nam nunc Deus non est carentia omnis Dei impossibilis: ergo carentia hujus Dei, qui redderetur impossibilis, fieret ens positivum, & Divinum: unde esset Deus.

Quòd si dicas id implicare. Respondeo etiam implicare suppositionem nostræ quæstionis: sed dato illo impossibili, sequeretur aliud necessariò. Vel dic quòd suppositio de impossibilitate hujus Dei non est admittenda, quia destruit subjectum quæstionis. Hic quærimus an Deus sit omnipotens in omni eventu? Si supponas Deum reddi impossibilem, tollis subjectum de quo disputatur: unde destruis quæstionem. Vide dicta num. 7.

24. Argues 3. Dato, quòd collectio ista possibilium reddatur impossibilis, tunc vel nil haberet omnipotentia producibile ad extrà; vel esset collectio possibilium distincta ab ista, quæ nunc datur: ergo tunc vel non maneret omnipotentia, vel esset omnipotentia distincta ab hac, quæ de facto datur. Patet conseq. Quia omnipotentia saltè extrinsecè specificatur ab ente possibili ut sic; & tunc variaretur ens possibile, sicut collectio possibilium. Nunc sic. Sed quæcumque omnipotentia distincta ab ista quæ nunc datur, est chimærica, & repugnans: ergo tunc ad summum Deus haberet omnipotentiam chimæricam, & repugnantem; careret tamè omnipotentia vera, quam habet nunc.

Confirmatur. Deus juxta communem Theologorum sententiam nequit in tempore velle, quæ prius volebat: ergo nequit in tempore posse quæ prius non poterat. Patet conseq. quia non minùs ex uno, quàm ex alio Deus mutaretur intrinsecè, & sic non esset Deus, cum non esset immutabilis. Nunc sic. Sed mutata col-

lectione possibilium, Deus inciperet posse illa producere, quæ prius non poterat, quoniam erant impossibilia: ergo mutaretur intrinsecè &c.

Resp. ad argum. negando consequentiam, quam non suadet probatio, cum nullo modo omnipotentia specificetur ab ente possibili, nec ab aliquo creato, adhuc extrinsecè, sed à solo ente Divino, nempe à Divina entitate, ut communicabili creaturis. In casu quæstionis eadem maneret essentia Divina imitabilis, & participabilis; sed cum hoc discrimine, quòd tunc esset imitabilis à diversa collectione possibilium, ac nunc est. Hac diversitas non mutat omnipotentiam, quia non mutatur rectum specificativi omnipotentia, nempe essentia Divina, sed solùm obliquum specificativi nempe relatio rationis ad diversas creaturas imitantes. Ab hac relatione rationis non pendet; nec specificatur omnipotentia; quare variata relatione illa, non mutatur omnipotentia, nisi ad summum quoad obliquum, ut infra dicemus. Quòd si nunc omnipotentia nec quoad obliquum est variabilis, idèò est, quia possibilia supponuntur necessariò possibilis. Sed hæc ratio non habet locum in presenti, dum supponimus, quòd possibile redditur impossibile.

Ad confirmationem dic, quòd licèt non in tempore, tamen ab æterno potuit Deus velle quæ noluit; noluit enim alium mundum creare, sed ab æterno potuit velle illius creationem. Ergo ab æterno sine sui mutatione potuit posse ab æterno quæ non

potest. Semel quòd ab æterno possibilis redderetur impossibilis. Hoc sufficit pro nostro asserto ad ostendendam inconnexiorem omnipotentia cum possibilibus.

Admissò tamen quòd in tempore impossibiliterentur impossibilia; Deus tunc inciperet posse in tempore quæ non poterat. Ceterum sine mutatione physica, aut morali, non mutaretur moraliter; hoc est juxta prudentum existimationem, quia prudentes noscerent causam totam refundi in creaturas; quæ impossibilitata sunt, non in omnipotentiam, quæ semper est potentia ad omne non repugnans. Non mutaretur physicè, quia solùm variaretur in Deo relatio rationis ad creaturas; ut dictam est. Ex mutatione relationis rationis non sequitur mutatio realis physica, ut patet.

Expenduntur fundamenta contraria.

25. **F**UNDAMENTA sententia contraria, quæ posita sunt num. 3. & 4. possunt solvi diversis modè, quia diversis principijs fundavimus primam, & secundam assertionem nostram. Idèò, ut distinctius procedamus, ea solvemus primò juxta doctrinam primæ assertionis.

Ad omnia ergo quæ pro Thomæ objecta sunt, ut unica, & generali solutione respondeas, nota quòd defectus creatura potest oriri vel ex parte solius causæ, vel ex parte

solus termini, vel ex parte utriusque. Si deficiat creatura ex parte utriusque, vel saltem ex parte causæ, argumentum Thomisticum convincit, & est doctrina expressa D. Thomæ loco nobis objecto. Si creatura unice repugnet ex parte termini, argumentum nihil probat; immò est contra D. Thomam à nobis allegatum num. 10, ubi expressè docet, quòd *impossibile non subditur omnipotentia: non propter defectum Divinae potentia, sed quia non potest habere rationem factibilis, vel possibilis.* En nunc impossibile nil tollit ab omnipotentia, quia unice repugnet ex parte termini: ergo si creatura unice repugnat ex parte termini, probare inde defectum omnipotentia, est probare contra D. Thom. & veritatem.

Restat ergo ut aliquid probetur contra nos, quòd debeat probari quòd in casu quaestionis creatura repugnaret non solum ex parte termini, sed ex parte causæ. At hoc nullatenus probatur argumento posito num. 3, cuius sola tertia confirmatio hoc intendit, sed doctrina ad minus incerta, ut videbimus. Nec id suadet suppositio quaestionis, quia non supponimus quòd creatura reddatur impossibilis ob defectum causæ, nam hæc suppositio non relinquit locum quaestioni. Si enim supponas hominem repugnare ob defectum omnipotentia, supponis, quòd deficit omnipotentia. Restat ergo quòd omnes supponamus hominem repugnare tantum ex parte termini: & tunc duo videnda sunt. Primò, an hoc sufficiat ne Deus sit

omnipotens? Et respondemus negativè cù D. Thomæ ubi supra. Secundò, an ex vi quòd homo repugnet ex parte termini, sequatur quòd repugnet etiam ex parte causæ? Hoc negamus, nec à contrarijs suadet nisi in sola tertia confirmatione, quæ traditur à Ioanne à Santo Thomæ 1. p. disp. 15. art. 3. num. 25.

Nos autem directè probavimus, quòd tunc homo solum repugnaret ex parte termini. Primò, quia tunc homo se haberet, sicut nunc chimæra: at nunc chimæra juxta D. Thomam unice repugnat ex parte termini, & non propter defectum Divinae potentia: ergo & homo in casu quaestionis. Secundò, Quia nequit dari defectus causæ, vel ex parte virtutis ejus, nisi quando deficit virtutis specificativum: sed hoc non deficit per solum defectum hominis, vel alterius possibilis in particulari, ut ex D. Thomæ ostensum est num. 8. ergo idem. Tertio. Quia si repugnantia effectus numquam esset ex parte termini solum, sed semper etiam ex parte causæ, numquam possemus dubitare an aliquid sit possibile, v.g. an sit possibile infinitum in actu? nisi dubitarem, an Omnipotentia sit infinite activa, & infinite virtutis? Hoc secundum à nemine catholicè potest dubitari. Tandem quia juxta S. P. Augustinum, & D. Thomam datur in Filio Dei potentia generativa, licet terminus repugnet; quare ibi terminus unice repugnat ex parte termini, quin illativè inferatur repugnantia ex parte virtutis. Ergo sic repugnaret homo

homo in casu quaestionis, & non aliter. Sic cessat plenè argumentum nobis objectum.

26. Respondemus 2. ad illud in particulari. Ad auctoritatem D. Thomæ illam concedimus, ut jacet, nam certè aliquid deperit omnipotentia, si ab ea tollatur *Potestas producendi creaturas.* Ad rationem fundatam in verbis D. Thomæ, nego quòd reddita aliqua creatura impossibili, auferatur à Deo potestas producendi illam. Hoc nego duplici ratione. Primò, quia non datur duplex, sed unica omnipotentia; quare virtus ad productionem unius, est virtus ad omnes creaturas. Sed ex defectu unius creaturae non sequitur defectus virtutis ad alias, cum in reliquis maneat specificativum virtutis, ut dictum est: ergo non tollitur in casu potestas &c. Et observa quòd D. Thomas in verbis objectis nò dicit *creaturam*, sed potestas producendi creaturas in plurali. Ut videas favere nostro primo asserto de repugnantia unius, vel alterius creaturae, non autem omnium. Secundò, Quia defectus potentia solum datur, quando terminus non repugnat purè ex parte termini, sed ex parte causæ: at in presenti non sic, ut probatum est: ergo &c.

Dices. Per nos tunc non tollitur potestas, ad producendum illam creaturam, sed manet in Deo: at illa creatura est impossibilis: ergo manet in Deo potestas ad producendum aliquid impossibile. Hoc autem est absurdum. Pater Vazquius cum suis concedit consequentiam addens non manere po-

testatem ad illam absolute, sed conditionate, nepe sub conditione, quòd aliquando sit possibilis. Hæc solutio validè impugnatur à Thomistis, quibus num. 6. subscripsimus. Nunc addimus esse contra mentem D. Thomæ 1. p. q. 25. art. 3. in corpore, ubi explicat omnipotentiam in ordine ad possibilia absoluta, non autem in ordine ad conditionata.

Respondemus juxta nostra principia distinguendo consequens, & concedo quòd manet illa potestas *quoad rectum*, sed nò manet *quoad obliquum*. Potestas producendi creaturam illam dicit in recto virtutem omnipotentia, in obliquo autem creaturam. Hæc reddita impossibili, deficit obliquè; ceterum non deficit rectum illius potentia formaliter, aut illativè. Non formaliter, quia creatura non est formaliter rectum omnipotentia, sed obliquum ejus. Nò etiam illativè, quia ex solo defectu specificativi formalis infertur defectus potentia. Illa autem creatura in particulari non est specificativum omnipotentia, sed extensio ejus, quæ specificatur à ratione communi, quæ salvatur in reliquis creaturis, licet una deficiat. Sic mō posse videre Petrum, est perfectio identificata cum mea potentia visiva. Deimus Petrum repugnare: tunc deficeret illud posse me videre Petrum, sed non deficeret quoad rectum potentia, sed quoad obliquum. Sic materiam posse recipere animam rationalem, est perfectio identificata cum materia. Hæc non deficeret quoad rectum, etiam si repugnaret anima rationalis;

deficeret tamen illud posse quoad obliquum; ceterum illud obliquum non est quid identificatum cum materia. Ferè innumera exempla sunt pro doctrina ista.

Si tamen philosophica displiceant pro omnipotentia Dei, en aliud theologicum, & Augustinianum. In Filio Dei est potentia generandi, ut diximus cum P. N. Augustino. Non generandi se ipsum, quia hæc repugnat. Non generandi alium filium distinctum à se ipso, quia hic est impossibile. Ergo vel erit potentia generandi nihilum; & hoc implicat. Vel generandi terminum impossibilem, & hoc est impossibile. Quomodo ergo in Filio est potentia generandi? Respondet D. Thomas, quod est in eo potentia illa quoad rectum, sed non quoad obliquum. Respondet secundò, quod *ly generandi*, non sumitur activè, sed passivè, ita ut sensus sit, quod eadem est potentia in Filio ut generetur, ac in Patre, ut generet. Vtraque solutio est pro nobis: prima jam patet ex dictis. Secunda etiam, quia in Deo non est nisi unica omnipotentia: ergo potestas producendi hanc creaturam, est potestas ad alias: ergo cum maneat potestas ad alias in casu repugnantia unius, non deficit potestas, quæ erat ad illam.

27. Ad 1. confirmationem dic, quod posse producere hominem, est quoad rectum perfectio identificata cum Deo, sed non quoad obliquum; nam obliquum illius posse est homo, & hic non identificatur, sed distin-

guitur à Deo. Casu quo homo redatur impossibilis, deficit obliquum illius posse, sed non deficit illud posse quoad rectum, quia hoc salvatur præcisè ex vi quod subsistat ratio entis possibilis, quæ saltem extrinsecè in his principijs specificat omnipotentiam. Hæc ratio entis stat, etiam si homo, vel alia creatura deficiat in particulari, ut dictum est.

Ad 2. confirm. distingue eodem modo: nam continere hominè est perfectio Dei, sumpta continentia quoad rectum, sed non quoad obliquum, quia obliquum ejus est homo contentus, rectum autem continentia est esse Dei formale, quod est omne esse. Deficeret in casu continètia illa, quoad obliquum, sed non quoad rectum. Et observa quod esse formale Dei, & esse eminentiale, non sunt duo esse, sed unicum, quod si sumitur absolutè, dicitur formale; si autem sumitur relativè ad creaturas, dicitur eminentiale: unde hoc solù addit supra formale relationem rationis ad creaturas. Casu quo una; vel omnes deficerent, deficeret Deo illa relatio rationis: at illa non est perfectio Dei, ut patet: ergo tunc nil deficeret perfectionis Deo. Hinc ad explicationem dic, quod tunc Deus non esset infinitè participabilis defectu obliqui, sed defectu reati: quia rectum est esse infinitum Dei, quod tunc sicut nunc maneret invariabile.

28. Pro 3. confirmatione nota, quod sicut futurum juxta Thomistas habet à Divino decreto quod sit futu-

turum; ita dicunt quod possibile habet à Divino aliquo predicato, quod sit possibile. Hoc multis probat Bajona in Philosophia, sed non assignat quale predicatum Divinum dat possibilibus possibilitatem. Magister S. Thoma dicit esse veritatem Divinam hoc predicatum. Et breviter probatur assumptam. Quia futurum habet à Deo futuritionem: ergo & possibile possibilitatem. Secundò, Quia creatura non est ens à se, sed ab alio: ergo quidquid habet, & etiam possibilitatem habendi, recipit à Deo.

Hanc doctrinam latè versavi in scriptis theologicis. Hic autem breviter illam impugno. Quia ratio à priori cur veritas Divina repræsentat hominem, ut possibilem, secus chimæram, est quia chimæra repugnat, secus homo. Quod si à D. Thoma quæras cur chimæra, & non homo repugnat? Respondet, quia chimæra includit esse, & non esse, quod est contradictio; secus homo. Ergo Divina veritas non est causa possibilitatis hominis, nec ratio à priori ejus; sed potius possibilitas hominis est ratio à priori repræsentationis ejus in Divina veritate, & continentia illius in Divina omnipotentia.

Rursus. Implicat quod Divinù predicatum sit radix impossibilitatis creaturæ. Licet enim Deus sit fons omnis esse, non tamen à Deo venit non esse; impossibilitas est non esse, & repugantia ad esse: ergo hæc non venit à Deo ut à ratione, sed ex parte termini est totaliter; nempe quia

repugnat. Et urgetur. Da nobiscum quod repugnat infinitū in actu. Hæc impossibilitas nascitur à Deo? Neutiquam: quia à causa infinita non potest oriri impossibilitas effectus infiniti: ergo restat quod tota oriatur ex parte termini. Rursus. Chimæra juxta D. Thomam non subditur omnipotentia, quia ipsa in se non habet rationem factibilis, & non ob defectū Divinae potentia, ut vidimus: ergo quia sentit, quod impossibilitas ejus non venit adhuc radicaliter à Deo, sed unicè, & totaliter à se ipsa ex parte termini.

Nec urgent fundamenta contraria. Quia futurum, & non futurum; est materia contingens, & pendet à voluntate Dei, quæ potest pro libito se habere positivè ad unum, & negativè ad aliud; & sic est causa futuritionis. At possibile, & impossibile, est materia necessaria, quæ petit discrimen vel ex parte causæ, vel ex parte termini. Sed ex parte causæ non apparet ratio, cur potius omnipotentia contineat hominem, quam chimæram: ergo sola adest ex parte termini, nempe, quia chimæra repugnat, non autem homo. Ad aliud dic, quod esse subjectivum hominis est à Deo; possibilitas autem, & esse objectivum hominis, est ab alio signatè, non exercitè; quia exercitè est nihil de præsentis, id quod de præsentis vocamus possibile. Possibilia non sunt ens actualiale, sed possibile, quod potest esse si à Deo fiat: ergo non sunt actu ens ab alio, sed sunt actu nihil, quod tamen potest esse ab alio, si à Deo produ-

ducatur. Ergo possibilitas non est à Deo actualiter, & exercitè, sed est quid objectivum, quod erit à Deo, si subjectivè, & exercitè producat. His notatis.

29. Ad 3. confirm. nego quòd Deus ipse, vel veritas Divina sit possibilitas radicalis creaturæ, alioquin etiam Deus ipse esset impossibilitas radicalis chimæ, quod negatur à D. Thoma. Ad probationem minoris dic, quòd licèt esse Dei sit radix, & causa esse creaturæ, non tamen possibilitatis ejus. Vel distinguendo possibilitates dic: Deum esse causam possibilitatis subjectivæ creaturæ, sicut & esse subjectivi creati. At non est causa possibilitatis objectivæ, quia hæc est pura non repugnantia, quæ explicatur per istam conditionalem, *Si producat homo, non implicabit contradictionem*. Hujus Deus non est causa, immò hæc conditionalis est ratio à priori illatiya continentie hominis in Deo, & extensionis omnipotentie ad hominem.

Ad 4. confirm. distingue min. tunc reddito homine impossibili, deficeret Deo scientia de homine, idea ejus, species impressa &c. deficeret quoad rectum, & ex parte Dei, nego; quoad obliquum, & ex parte termini, concedo min. & nego consequentiam. Vide dicta de continentia hominis, & de posse Dei; & ea nunc applica ad scientiam, ideam, & alia attributa, quæ se extendunt ad hominem, nec se extenderent, si homo redderetur impossibilis.

30. Ut autem omnia quæ dicta

sunt in casu quo unum possibile redderetur impossibile, confirmare possis opportuno exemplo, en doctrina D. Thomæ 1. p. q. 25. art. 4. ubi quaerit, an Deus possit facere quòd præteritum non fuerit? Respondet negativè. Sed arguit sic contra se: *Quidquid Deus potuit facere, potest, cù ejus potentia non minuat: sed Deus potuit facere, antequam Socrates curreret, quòd non curreret: ergo postquàm cucurrit, potest facere quòd non cucurrit*. Respondet sic: *Ad secundum dicendum, quòd sicut Deus quantum est ad perfectionem Divinæ potentie omnia potest, sed quædam non subjacent omnipotentie, quia deficiunt à ratione possibilitatis; ita si attendatur immutabilitas Divinæ omnipotentie, quidquid Deus potuit, potest. Aliqua tamen olim habuerunt rationem possibilitatis, dum erant fienda, quæ jam deficiunt à ratione possibilitatis, dum sunt facta. Et sic dicitur Deus ea non posse, quia ea non possunt fieri*.

Plura hic nota. Primo casus, in quo unum possibile reddatur impossibile, nedum potest dari in falsa suppositione quæstionis nostræ, sed datur de facto. Nam hæc veritas, *Socrates non cucurrit*, fuit possibilis; sed posito cursu, jam non est possibilis. Idè dic in omnibus præteritis.

Secundò nota, quòd hoc possibile redditur impossibile sine mutatione Divinæ potentie: ergo in casu nostræ quæstionis idè accideret; nec est quomodo probes contra nos, nisi probando etiam quòd Deus mutat quando præteritum redditur impossi-

sibi

ibile. Ratio est: quia per te Deus mutatur, si modò non potest omnia quæ potuit: atqui modò non potest facere quòd Socrates non cucurrit, potuit tamen facere antequam curreret, impediendo cursum: ergo Deus mutatur per hoc quòd possibile illud reddatur impossibile. En tuum argumentum, sed probat contra D. Thom. & contra catholicam veritatem docentè, Deum immutabilem, licèt non possit facere quòd præteritum non sit præteritum.

Tertiò. Ideò dum per præteritionem possibile redditur impossibile, non derogat Divinæ potentie, quia repugnantia non oritur ex parte causæ, sed ex parte termini, unde repetit D. Thomas hanc causalem, *Quia deficiunt à ratione possibilitatis*. Et in fine ait: *Sic dicitur ea non posse, quia ea non possunt fieri*. Nota causalem, *Quia ea non possunt fieri*. Ergo stat repugnantia ex parte termini sine repugnantia ex parte causæ, ut dicebamus, nec præjudicat causæ repugnantia effectus, vel non posse ad illum, quando tota repugnantia est ex parte termini: hæc & non alia est doctrina nostra cum D. Thoma.

Ad 5. confirmat. dic juxta principia primæ assertionis, quòd non est eadem ratio de repugnantia unius creaturæ, ac omnium. Nam repugnantibus omnibus, deficeret plenè ratio entis possibilis, quam nunc admittimus specificativam omnipotentie; unde deficeret omnipotentia. Hæc ratio non probat, si unum, vel aliud possibile tantum deficiat, ut patet;

quare omnipotentia est connexa cum uno, vel alio possibili indeterminatè, non tamen cum omnibus collectivè, & distributivè, ut volunt Thomittæ RR. Ultima confirmatio non facit contra primam assertionem, sed contra secundam; quare infra solvetur. Hucusque doctrina primæ assertionis. Veniamus ad expendendum argumentum iterum juxta principia assertionis secundæ.

31. Pro doctrina danda juxta secundam assertionem nota ex dictis num. 15. quòd secunda assertio nostra defendi potest vel admittendo omnipotentiam esse adæquatè virtualiter distinctam ab intellectu, & voluntate, & alijs potentijs ad intrà; vel hoc negando. Si admittas primam, doctrina nostra est aliquantulum obscura. Dicendum tamen juxta illam, quòd reddere Deum potentem ad extrà, non est munus primarium omnipotentie, sed secundarium; quòd quidem deficeret in casu repugnantie omnium possibilitatis. At non deficeret omnipotentia, quia maneret ejus munus primarium, nempe perficere Deum in se. Quòd si quaeras, quam perfectionem dat Deo omnipotentia, in illo casu? Respondeo eam non esse reddere Deum potentem ad extrà; quia hæc ut supponitur, deficeret. Nec illud est perfectio defectibilis, sed munus defectibile, secundarium tamen, & ideò non addens perfectionem supra primarium. Nec daret posse ad intrà, quia supponimus omnipotentiam distinctam ab omnipotentia Dei ad intrà,

Da-

Daret ergo omnipotentia Deo in eo casu quamdam actualitatem nobis ignotam, & innominabilem. Sicut, casu quo Deus nullam creaturam produxisset, esset immensus, & perficeretur per immensitatem. At ea perfectio esset à nobis innominabilis, quia nunc illam nominamus, sicut cognoscimus: cognoscimus illam per munus ejus secundarium, quod est reddere Deum ubique presentem ad extrà: tunc autem cum nihil esset extra Deum, non esset Deus presentis ad extrà, nec diceretur immensus. Esset tamen perfectus, & actuatus perfectione immensitatis, quam non possumus, nec scimus nominare. Sic omnipotentia Deum perficit primario, & secundario, nempe ad intrà, & ad extrà. Sed quia non scimus nisi perfectionem ad extrà, nempe reddere Deum omnipotentem; idè in casu defectus hujus muneris secundarii maneret omnipotentia cum primario, sed ignoto nobis, & innominabili.

Hinc ad argum. positum num. 3. & 4. dicendum est, quòd posse producere hominem, & omnia alia, est perfectio Dei pro implicito, sed non pro-explicito: nam est munus secundarium omnipotentia, quòd non addit perfectionem supra primarium, quòd supponit, & dicit pro-implicito. Quare cum in casu repugnantia omnium possibilium, unice deficeret illud posse quoad explicitum potentia ad extrà, non autem quoad implicitum munus perficiendi Deum ad intrà, idè nec omnipotentia deficeret,

nec ulla Dei perfectio deperiret. Quòd si contrarium insinuat D. Thomas verbis allegatis num. 3. exponendus est de casu in quo potestas producendi creaturas tolleretur à Deo tã pro implicito, quàm pro explicito.

32. Si tamen neges omnipotentiam adæquatè distingui ab intellectu & voluntate Dei, & à potentijs generativa, & spirativa; clariùs procedes, & conformiùs ad mentem Thomistarum, cum quibus est presentis controversia. In his principijs dic, quòd omnipotentia dat Deo duas denominationes, nempe reddit Deum infinite potentem ad intrà, intelligere, velle, generare, & spirare: & reddit Deum infinite potètem ad extrà, creare, conservare, movere &c. Harum secunda est denominatio, & effectus formalis secundarius omnipotentia. Tum quia priùs est perficere subjectum in ordine ad se, quàm in ordine ad aliud. Tum, quia nulla perfectio Dei potest primario respicere creaturas, nisi sub denominatione secundaria: ergo omnes rationes, quibus probatur, quòd omnipotentia ut factiva, ut creativa, ut ad extrà, respicit primario creaturas & ens factibile; probant quòd denominatio creantis, facientis &c. sunt denominationes secundaria in omnipotentia. Quare in casu repugnantia omnium possibilium, deficeret quidem omnipotentia, ut factiva ad extrà, & denominatio in Deo potentis ad extrà, quæ est denominatio secundaria. At nulla perfectio Deo deficeret, quia tota salvatur in effectu

primario, & primaria denominatione potentis ad intrà, quæ tunc maneret, ut probatum est.

Sigillatim ad argumentum positum num. 3. respondemus, & ad auctoritatem D. Thomæ dicimus, quòd potestas producendi creaturas est perfectio Dei, sed indistincta à potentia intelligendi, & volendi, & à potentia generandi, & spirandi. Quare si tolleretur tam quoad denominationem, & effectum primarium, quàm secundarium, certè tolleretur perfectio Dei. At in casu quæstionis non sic. Quia repugnantibus omnibus possibilibus, tolleretur à Deo potestas tantum quoad denominationem secundariam omnipotentia, non quoad primariam; quia maneret illa potestas ut intellectiva, & amativa Dei, ut generativa Filij, & spirativa Spiritus sancti.

Ad primam confirmationem dic, quòd posse producere hominem est perfectio Dei, sed indistincta à perfectione, qua potest Filium generare, & Spiritum sanctum ad intrà producere. In casu repugnantia hominis, deficeret illud posse, sed non quoad denominationem primariam, sed quoad secundariam, quòd non inconvenit, ut dictum est.

Ad 2. confirm. dic, quòd continere eminenter hominem, est perfectio Dei, & summa perfectio, sed non distincta virtualiter ab esse formali Dei. Non enim in Deo sunt duo esse, unum formale, quo est Deus in se; aliud eminentiale, quo continet creaturas, Sed unicum, & idem esse

Dei, absolute sumptum, dicitur formale; relative acceptam, dicitur eminentiale. Cumque munus primarium Divini esse sit Deum formaliter constituere; munus autem ejusdem esse sit reddere Deum participabilem ad extrà: idè in casu repugnantia omnium possibilium, deficeret Deo illud esse, quoad munus secundarium, sed non quoad primarium, in quo stat tota perfectio Dei; nam maneret illud esse, ut dans Deo formaliter esse Divinum, & ut reddens Deum infinite communicabilem ad intrà, Filio per generationem, & Spiritui sancto per spirationem. Per quod patet ad explicationem confirmationis.

Ad 3. confirmat. dic, ibi tradita doctrina nobis falsam juxta dicta num. 28. Ceterum admissio, quòd ratio possibilitatis creaturæ sit esse Divinum ut participabile à creatura; concedo quòd in casu repugnantia unius, vel omnium creaturarum, deficeret esse Dei, ut participabile. At distingo assumptum, deficeret esse Dei, quoad munus secundarium reddendi Deum participabilem ad extrà, concedo; quoad munus primarium reddendi Deum Divinum, & infinite communicabilem ad intrà, nego: nec inde sequitur defectus in Deo alicujus perfectionis, quæ tota salvatur in munere primario; sed unice sequitur defectus relationis rationis ad creaturas, ut dictum est n. 17.

33. Ad 4. confirmat. dic, quòd in casu repugnantia omnium possibilium essentia Divina non esset idea; quia

quia hæc est imago factibilium; & tunc nihil esset factibile. At hæc idea deficeret tantum quoad obliquum, non quoad rectum, ut dictum est num. 29. Non est eadem ratio de scientia simplicis intelligentiæ, & de specie impressa. Nam per scientiam illam Deus primario noscit se ipsum, & secundario creaturas; essentia etiam Divina sub munere speciei impressæ primario representat Deum, secundario creaturas. In casu autem repugnantia omnium possibilium, repugnet objectum secundarium scientiæ, non primarium; item deficeret munus secundarium speciei, non primarium: ergo nec scientia Dei, nec munus speciei impressæ deficeret Deo, nam utrumque salvatur sub munere primario, & relatè ad objectum primarium.

Hæc B. Ægidij doctrina sumpta est ex B. Anselmo in Monologio cap. 3. ubi quærit, an si nulla esset creatura, Verbum Dei esset essentia, & non esset Verbum? Idem enim est verbum; ac species expressa objecti cogniti. Respondet negativè, quia in data hypothesi, Verbum Divinum intelligendo se ipsum, esset Verbum sui ipsius. Verba S. Doct. sunt hæc: *Si aternè se intelligit, aternè se dicit: ergo aternè est Verbum ejus apud ipsum. Sive ergo ille cogitur nulla alia existènte essentia, sive alijs existentibus, necesse est Verbum illius coæternum illi esse cum ipso.* Ibidem de essentia Divina dicit, quod in ea hypothesi non diceretur summa, & major bonitas, quia sic dicitur relativè ad creaturas; tunc

autem deficeret relatio illa. *Nec tamen idcirco minus bona esset, aut essentialis sua magnitudinis in aliquo detrimentum pateretur.* Ergo longè est à mente S. Doct. quod in eo casu deficeret Deo perfectio omnipotentia, quod esset pati summum detrimentum.

Ad 5. confirmationem concedo primam sequelam; nempe omnipotentiam esse plenè inconnexam cum omnibus possibilibus; quare admittimus omnium repugnantiam, sed negamus omnipotentiam tunc defectivam. Ad 1. probationem in contrarium dic, tunc Deum esse omnipotentem ad intrà, & potentem infinite intelligere, & velle se ipsum, infinite potentem generare, & spirare. Vnde non esset nihil potens, sed omnia potens ad intrà. Ad 2. dic, quod esse factivam est denominatio secundaria in omnipotentia, cujus primaria est esse activam ad intrà. Hæc maneret, & cum ea omnipotentia, licèt deficeret reduplicativè, ut factiva. Per quod patet ad 3. nam in eo casu omnipotentia non denominaret Deum potentem ad extrà: sed non defectu Dei, sed ob repugnantiam termini ad extrà. Daret tamen tunc Deo primariam denominationem potentis ad intrà, quod sufficit, ut in eo plenè subsisteret sine detrimento aliquo omnipotentia.

Ad ultimam confirmat. nota quod actus liberi Dei est juxta omnes Theologos entitas ipsa volitionis necessariæ Dei. Vnde eadem entitas amoris, ut terminatur ad Deum est actus

actus necessarius, liber tamen ut terminatur ad creaturas. Quid addat ut liber supra necessarium, disputant Theologi, & res incerta manet, manebitque usque dum facie ad faciem videamus Deum. Cum ergo actus liber sit defectibilis, & nulla Dei perfectio defectibilis sit; idèd actus liber non addit perfectionem supra amorem necessarium indefectibilem, sed addit vel connotatum, vel terminationem, vel relationem rationis, vel quid simile juxta varias sententias. Idem dic de scientia visionis, quæ est libera, & sic quoad entitatem indistincta à scientia simplici necessaria, Idem de providentia Dei, & libro vitæ, quæ quoad entitatem sunt idem cum actibus necessarijs intellectus, & voluntatis Dei. Immensitas autem ut est ratio reddens Deum præsentem ad extrà, est denominatio

libera, sed identificata cum quantitate virtutis Dei, qua Deus est in seipso, ut fuit antequam mundus fieret, qui potuit non fieri.

Ista ergo attributa, & quæcumque respiciunt creaturas, deficerent in casu quæstionis, sed non deficerent quoad entitatem, sed quoad connotatum, quoad terminativam, vel quoad relationem rationis ad creaturas juxta varias sententias de constitutivo actus liberi Dei. Vnde quod dixeris de amore hujus mundi, & futuritione ejus, quæ potuit non esse, dic in casu de alijs. Et quod Thomistæ docent de unione identificata cum materia, & forma, quæ in separatione deficit, non quoad entitatem; sed quoad exercitium, vel denominationem; hæc applica: nec de hoc specialis difficultas est, quæ ex dictis non possit plenè dissolvi.

Q V Æ S T I O XXI.

An idem effectus possit procedere à duplici causa totali à

§ I.

Quibusdam notatis proponuntur sententiæ cum suis fundamentis:

NON est quæstio de causis diversi ordinis, quales sunt; quæ specie differunt; & in causando una alteri subordinatur; nam à talibus idem effectus de facto procedit. Sic Deus, Sol, & homo, generant hominem; unde idem homo genitus est effectus illius triplicis causæ; ceterum etsi quælibet in suo or-

dine sit adæquata, & quælibet totum hominem producat, non sequitur ullum inconveniens, aut quod actum agat; nam quælibet agit totum ex parte rationis quæ, licèt sub diversa ratione formali agendi: unde dicitur quod Deus hominem producit sub ratione entis, Sol sub ratione corporis, homo generat sub ratione specifi-

cifica talis entis. Istæ rationes sunt diverse, ut vides, & una inferior altera; quare homo agens sub ratione minus universalis, subordinatur in agendo Deo, & soli, causis universalioribus.

Vbi observa, quod licet homo nequeat generare sine concursu solis, & Dei, non tollitur ab homine ratio causæ adæquatæ in suo ordine. Tum, quia ejus virtus totum effectum producit totalitate effectus, & ex parte rationis quæ; unde est causa adæquata: tum quia sola dependentia à causa ejusdem ordinis tollit totalitatem, aut rationes causæ adæquate. Dependens autem solis à Deo, & hominis à Deo, & sole, non est dependentia à causis ejusdem, sed superioris ordinis. Quo fit, ut homo sit in suo ordine causa adæquata geniti, licet dependeat à Deo, & à sole causis universalioribus.

2 Nec est quæstio de causis intrinsicis, ut sunt materia, & forma; licet ab aliquibus dicatur dubium procedere de omnibus causis. Tum, quia cum causæ intrinsicæ causent per sui exhibitionem, implicat causas esse duas, & intrinsicè exhibitas, & effectum esse unicū. Tum etiam, nam dato quod in eadem materia sit duplex forma substantialis, vel eadem forma in duplici materia; effectus non esset idem; nam à duplici forma haberet materia duplex esse formale, sicut forma duplex esse potentiale, si in duplici materia reciperetur. Quare adhuc data possibilitate utriusque, de qua egimus lib. 1, non habetur in-

Physicorum.

tentum, de unitate effectus à duplici causa totali: unde de solis causis extrinsecis dubium præsens est: nec extendendum ad finales, de quibus supra egimus quæst. 14. §. 2. dub. 4. Sed contrahendum ad solas causas efficientes ejusdem ordinis, putà duos ignes relatè ad eundem calorem, duas lucernas respectu ejusdem illuminationis.

Rursus, non est quæstio de effectibus modalibus, & respectivis, ut sunt actio vitalis, quæ recipitur in eodem principio, à quo egreditur; & quæcumque actio ponatur, quæ sit essentialis determinatio hujus principij efficientis. Implicat enim quod eadem intellectio procedat à duobus intellectibus, & in duplici intellectu recipiatur, sitque vita duorum. Quare dubium est unicè de effectibus absolutis ut calor, ignefactio, lumen, ignis &c.

Nec est quæstio de causis totalibus tantum in actu primo, quales sunt, illæ quæ totum effectum continent, sed in actu secundo attemperantur, cum quælibet non totam, sed partem virtutis explicet in consortio alterius. Sic contingit in duobus portantibus lapidem, quem quilibet potest seorsim portare. Tunc attenda virtute eorum, sunt causæ adæquatæ; ceterum in actu secundo sunt causæ inadæquatæ, & partiales, quoniam non explicant totam suam virtutem, sed partem tantum.

Tandem observa, quod quæstio potest esse de productione effectus à duplici causa simul concurrente, vel à du-

Quæstio XXI.

à duplici divisivè. Nam dubium est, an effectus idem contineatur in duplici causa, ita ut jam ab ista, jam ab alia divisivè, produci possit? Dato autem, quod in duplici contineatur, an utraque simul possit producere talem effectum. Circa utrumque sunt variæ sententiæ, quarum fundamenta sigillatim proponemus.

3 Circa continentiam, prima sententia negat posse eundem effectum contineri in duplici causa totali ejusdem ordinis. Ita recentiores Thomistæ, ut Froylanus, Bayona, Lerma, & alij, quorum fundamenta nedum de potentia ordinaria, sed de absoluta videntur procedere.

Probat 1. ex illo Ecclesiast. 7. *Honora Patrem, & Matrem, quia nisi per illos natus non fuisset.* Ratione dedit D. Thomas quodlib. 5. art. 8. dicens: *Impossibile est eundem filium nasci, sive sit alius pater, sive alia mater; sicut etiam non est idem numero sigillum, sive sit alia cera, sive aliud corpus sigilli ex cujus impressione cera sigillatur.*

Secundò probatur à ratione. Nam causa numero distincta, habet virtutem numero distinctam: sed virtus numero distincta ab alia, nequit eundem effectum continere: ergo in duplici causa numero distincta, nequit contineri idem numero effectus. Et Confirmatur. Nam effectus solum potest produci per actionem ejus propriam, vel per aliam eminentiorem, in qua propriè contineatur: sed eadem numero actio non potest procedere à duplici causa totali; nec

utraque causam actuare; nec itè actio unius creaturæ potest esse formaliter, aut eminenter actio alterius: ergo &c.

Hæc ratio aliter proponitur à Bayona sic. Causæ numero distinctæ, habent spheram activitatis numero distinctam: ergo effectus, qui continetur intra spheram unius, non continetur intra spheram alterius. Probatur consequentia & simul confirmatur ratio. Quia ex opposito sequitur, quod illa duplex spheræ esset diversa, & non esset diversa; esset ut supponitur: Non esset, quia eisdem una, ac altera contineret effectus. Et confirmatur secundò. Quia causæ specie differentes continent effectus specificè diversos: ergo causæ numero differentes continent effectus numero distinctos. Patet consequentia. Quia eadè ratio limitans, ne idem effectus specie contineatur in causis specie diversis, limitat etiam causas numericè distinctas, ne contineant eundem numero effectum.

Probat 3. à PP. Complutensibus. Per hoc quod dentur duo individua ejusdem speciei, non sequitur quod in utroque sit eadem natura, & essentia, sed quod in uno sit natura, & essentia similis alteri: ergo nec sequitur quod possint producere eundem effectum, sed similem alteri.

Et confirmatur. Nam conceptus individualis non minus limitat naturam in esse naturæ, quam in ratione essentiæ: sed differentia individualis ita limitat naturam in esse essentiæ, ut non possit tribuere effectum formalem, quem alia tribuit, nec constituere eandem numero

essentiam compositi, quam alia constituit: ergo nec poterit esse principium radicale ejusdem effectus, quem alia præcontinet.

Confirmatur 2. Formalissima ratio potentiae operativae abstracta ab omnibus individuis, aliquid includit, quod non includit ratio potentiae contracta, & singularis: ergo quia illa est potentia ad omnia individua possible; hæc autem ad sola aliqua. Antecedens patet, & consequentia probatur. Nam si ratio illa abstracta, per contractionem dividitur: ergo natura contracta, & singularis non habet totam virtutem contentivam, sed partem, & ad producenda aliqua, quæ ab alio individuo non possunt produci.

Probatur 4. ab alijs argumento, quo utuntur etiam contra simultaneam productionem. Nam si idem effectus contineretur in duplici causa totali, penderet ab utraque, cum effectus pendeat per se à causa, in qua præcontinetur; & non penderet per se à qualibet, quia sine qualibet posset produci, & effectus non penderet per se, nisi à causa sine qua non potest esse. Sed pendere per se, & non dependere per se, sunt contradictoria: ergo cum hæc sequantur ex continentia effectus in duplici causa, illa continentia est impossibilis, nec divinitus dari potest.

Hæc fundamenta saltem suadent, quod de lege ordinaria non datur duplex causa contentiva ejusdem effectus. Quam sententiam docet Prado citans alios Thomistas in Metaphy-

sica part. 2. controv. 16. art. 4. tenens posse divinitus dari illa duplex continentia.

4. Per oppositum secunda sententia docet, quod de lege ordinaria idem effectus de facto continetur in duplici causa totali, ita ut ignis C possit produci ab igne A, vel ab igne B, si eidem materię, eodem loco, & tempore applicatur. Citantur Scotiste à Poncio pro hac sententia, & traditur à ferè omnibus Societatis cum P. Suario in Metaphysica disp. 26. sect. 5.

Probatur hæc sententia à Scoto 1. argumento Theologico, quia Deus ante prævisum peccatum originale, elegit ad gloriam hos singulares homines, quos prædestinavit, ex quibus nunc multi generantur ex hominibus reprobis. Ceterum si Adam non peccasset, tunc nulli essent reprobi, à quibus generarentur: ergo generarentur electi ab alijs hominibus numero distinctis, ac nunc generantur. Quare idem homo potest jam ab hoc, jam ab alio generari.

Hæc ratio rem claram probat ex obscuris, & incertis. Nam juxta S. P. Augustinum prædestinatio hominum non est facta ante prævisionem peccati originalis, sed post. Rursus etiam Adamo non peccante, non est certum, sed incertum quod posteri non peccarent, & nulli essent reprobi: ergo tam prima, quam secunda propositio argumenti falso, aut incerto assumitur; quare nil concludit contra primam sententiam.

Secundo probat Scotus. Quia duo

duo agentia ejusdem speciei, sunt æqualis virtutis: ergo quidquid potest unum efficere ex tali materia hic, & nunc sibi applicata, potest & aliud; alias non essent æqualis virtutis. Ceterum, ut bene Suarius observat, hæc ratio non convincit; quia æqualitas non est identitas: ergo æqualitas virtutis contentivæ suadet tantum contineri in una; quantum in alia, sed non unum & idem: & de hoc est questio.

5. Probatur ab alijs sic. Ignis B, qui de facto est productus ab igne A, non est ratione sui determinatus, ut unice procedat ab igne A: aliunde nec ignis A, est determinatus ad illud præ alio producendum: ergo hic ignis B, potuit non ab igne A, sed ab alio produci. Major patet, quia si ignis B ratione sui esset determinatus, ut produceretur ab igne A, nec divinitus posset ab alia causa etiam æquivoca, v.g. à sole produci: imò nec à Deo solo. Patet sequela, nam quia actio vitalis est determinata ut sit ab hoc numero vivente, idè à nulla alia causa, nec à prima se sola operante, potest effici, ut patet ex dictis num. 2. Hoc autem à nemine conceditur de igne, qui vel à solo Deo potest effici, vel à causa æquivoca, nempe sole.

Minor etiam est certa. Quia si ignis A esset determinatus ex se ad producendam ignem B, ut illum produceret, non egeret actione distincta. Sicut quia est determinatus ad suam actionem, ut eam efficiat, non eget alia actione. Rursus, si ita esset deter-

minatus, non posset alium ignem producere nisi ignem B. Vtrumque constat esse falsum: ergo & falsum est, quod ignis A sit determinatus ex se ad producendum ignem B.

Confirmatur. Nil peculiare est in igne B, vi cuius non potuerit produci ab alio igne. Probatur. Quia ignis B, excepta differentia individuali, nil habet, quod non conveniat cum ceteris ignibus ab alijs productis: sed per differentiam individualè non habet quod tantum possit produci ab igne A: ergo potest ab alijs produci. Probatur minor. Per differentiam individualem solam habet quod sit numero distinctus ab alijs ignibus: sed esse numero distinctum ab alijs, non sufficit, ne possit produci ab alijs, maxime cum nullus sit ignis, qui non possit plures numero distinctos producere: ergo &c. Omittimus alias rationes, quæ potius sunt redargutiones sententiæ contrariæ.

6. Quantum ad simultaneam productionem, prima sententia docet adhuc divinitus non posse eundem effectum procedere à duplici causa totali. Sic Thomistæ ut in plurimum cum PP. Complutensibus hic disp. 15. quest. 3. ubi hanc opinionem asserunt certam esse in D. Thoma. Ceterum contrarium putat de mente S. Doct. Prado ubi supra docens, quod D. Thomas rarissime disputat de potentia absoluta Dei, sed solum attentis naturis rerum: quod etiam prius asseruit Cayetanus, & signatè in hac questione exponendo articulum tertium

tertium quæstionis 5. primæ partis, ubi S. D. ut probet impossibile duos Angelos esse in eodem loco, assumit pro medio, quod cum sint in loco per operationem, non possunt operari eundem effectum. Ob id Cayetanus, Prado, & alij insignes Thomista, tenent in hac quæstione sententiam affirmativam. Pro negativa sunt etiam Scotista citati à Mastro hic disp. 8. q. 3. art. 2. Vazquius 3. p. disp. 24. cap. 4. & alij pauci Societatis. Quibus ex nostris adhæssere Gavardi in Philosophia lib. 2. q. 3. art. 5. Villanova disp. 6. dub. 5. licet oppositum teneat postea ut probabilius.

Probatur hæc sententia 1. auctor. D. Thomæ in 1. sent. dist. 37. q. 3. art. 3. & 1. de Potentia q. 3. art. 7. & 1. p. q. 52. art. 3. ubi probat duos Angelos non posse esse in eodem loco, quia impossibile est quod dua causa completa sint immediata unius, & ejusdem rei. Si vero cum Cayetano id exponas de impossibili physico, hoc est attentis naturis rerum; non autem de impossibili logico, includente contradictionem, qua est impossibile etiam attentata potentia absoluta Dei. Insurgunt PP. Complutenses contendentem D. Thomam loqui de impossibili Logico, quia ejus rationes ducunt ad impossibile, & ad contradictionem. Sed eis, ni fallimur, plenè satisfecit Cayetanus, qui in expositione laudati articuli contentionem istam suscitavit, & expensis rationibus, ita concludit: *Secundo dicitur, quod aliud est plures Angelos esse simul in eodem loco; aliud est plures*

Angelos esse naturaliter simul in eodem loco. Primum enim non implicat contradictionem, dato quod secundum implicaret. Ergo rationes D. Thomæ probant implicationem in eo quod idem effectus sit naturaliter à duplici causa totali, non autem in eo quod absolute sit, aut attentata absoluta potentia Dei. Quidquid sit, jam lis de mente D. Thomæ vertitur ad rationes probativas, & videndum quid probent, Pro quo.

7 Probatur secundo hæc sententia à ratione, ostendendo implicationem ex parte causæ, ex parte actionis, & ex parte effectus. Ex parte causæ sic. Illæ causæ tunc essent totales, & non essent totales: sed hoc implicat: ergo implicat quod idem effectus &c. Probatur major. Et quidè esse totales id supponitur, & de eis est quæstio. Quod non essent totales probatur. Quia illa non est causa totalis, quæ aliquid relinquit in effectu producendum ab alia causa: sed in eo casu una ex causis sic relinqueret aliquid ab alia producendum; alioquin secunda vel nil produceret, vel actum ageret, quod implicat: ergo &c. Probatur major à Froylano sic. Quia causa partialis idè est talis, quia aliquid relinquit in effectu ab alia producendum: ergo ab opposito totalis erit quæ nil relinquit. Secundo corpus adequatum loco est illud quod nihil loci relinquit replendum ab alio corpore. Tertio locus dicitur adequatus, quia nihil corporis relinquit ambiendum ab alio loco. Quarto existentia, & substantia dicuntur totales, quia nihil nature relin-

relinquunt ab alijs terminandum

Ex parte actionis probatur implicatio sic. Nam duæ causæ totales nequeunt concurrere ad eundem effectum, nisi actione unica, vel duplici: at totum repugnat: ergo &c. Probatur minor. Et 1. de duplici. Nam ad unicum effectum sufficit unica actio: ergo vel una ex duabus ponitur sine termino, & hoc implicat; vel ponitur duplex ad eundem terminum, & hoc etiam est implicatorium. Jam verò, quod actio non sit unica, probatur. Actio est causalitas agentis, ipsum actuans, & perficiens: sed implicat eandem actionem actuare, & perficere duas causas distinctas; alioquin non implicaret idè accidens perficere, & recipi in duobus subjectis numero distinctis: ergo actio non est unica.

Ex parte effectus probatur. Implicat effectum per se dependere à causa, & non dependere per se: sed in casu ita accideret: ergo casus implicat, & sic est divinitus impossibilis. Probatur minor. Et 1. patet quod effectus per se dependeret à qualibet ex duabus causis. Nam effectus per se pendet à causa, à qua recipit esse: sed in casu effectus reciperet esse à qualibet ex duabus: ergo à qualibet pendet per se. Quod autem non dependet per se, probatur. Effectus non pendet per se, nisi à causa sine qua non potest habere esse: sed tunc designata quacumque causa, posset effectus habere esse sine illa, ex vi scilicet influxus alterius: ergo à neutra dependeret per se.

8 Hæc sententia potest iterum

confirmari. Idem effectus nequit oriri à duplici causa finali adæquata, ut dictum est q. 14. §. 2. dubio 4. ergo nec à duplici efficienti adæquata. Probatur consequentia. Quia non minus causa efficiens adæquata dicit negationem alterius concausæ, quàm finalis adæquata: sed quoniam finalis dicit negationem alterius, nequit quis agere propter duos fines adæquatos: ergo nec fieri à duobus efficientibus adæquatis.

Confirmatur 2. Sicut causa adæquata est quæ adæquat productionem effectus, ita effectus adæquatus est qui adæquat totam causæ activitatem: sed quoniam effectus ita adæquat causam, implicat quod eadè numero causa producat duos effectus adæquatos: ergo & quod idem numero effectus procedat à duplici causa adæquata.

Confirmatur 3. Eadem formæ substantialis nequit recipi in duplici materia, quare nequit causari à duplici causa materiali: ergo nec idem effectus à duplici efficiente totali. Idem arguitur in accidentibus; quorum nullum potest recipi in duplici subjecto distincto, adhuc divinitus: ergo &c. Probatur consequentia. Quia idè antecedens est verum, quia forma sive substantialis, sive accidentalis limitatur à subjecto, in quo recipitur. At etiam effectus limitatur à causa, à qua efficitur; & ob id Filius, & Spiritus sanctus non dicuntur effectus Patris, quia licet efficienter procedant à Patre, non tamen cum dependentia, & limitatione, quam impor-

tat ratio causa, & effectus: ergo.

Confirmatur 4. ex doctrina B. Ægidij. Nullum agens creatum agit, nisi tangendo materiam, in quam inducit formam, & eam alterando medijs accidentibus, in passu receptis: sed duo agentia totalia non possunt tangere idem passum, nisi divinitus penetrarent. Data tamen utriusque penetratione, nequeunt in materia producere diversa accidentia solo numero distincta, quæ nec divinitus possunt recipi in eodem numero subjecto: ergo nec divinitus possunt agere eundem effectum.

Confirmatur 5. ex eodem: *Plura, ut plura non possunt in unum convenire;* alioquin ut plura sunt, essent idem, quod est implicare in adjecto; implicat enim quoddam ratio plurificandi, sit ratio conveniendi, sicut quoddam ratio conveniendi sit ratio disconveniendi, & plurificandi. Sed si duæ causæ totales producerent eundem effectum, plura ut plura in unum effectum convenirent: ergo &c. Probatur min. Nam vel operarentur per diversas virtutes, ut diversæ sunt, & tunc agerent ut plura. Vel per eas, ut conveniunt specificè, & tunc non agerent ut duæ causæ, sed ut una specificè sumpta: ergo non agerent ut duæ sunt, vel plura ut plura in unum convenirent, quod implicat.

Hac ratione docet B. D. in 3. sent. quod tres Personæ Divinæ ut tres sunt, non possunt assumere eandem humanitatem; bene verò ut conveniunt in essentia Divina, & quatenus conveniunt in continendo

substantiam creatam. Quare sicut ad extrà nequit operari una Persona sine alijs, quia agunt omnes per Omnipotentiam, ut omnibus communè: sic si sumerent eandem humanitatem, eam assumerent per vim contentivam substantiæ creatæ, quæ est omnibus Personis communis: quare non assumerent ut plures, sed ut unâ, & sub ea ratione in qua conveniunt. Vide N. Gavardi tom. 5. Theologiæ bene ostendentem mentem Doct. nostri contra RR.

9 Contraria sententia est verior, quam docent ex Thomistis Cayetanus, Prado, & alij, ex DD. Societatis ferè omnes cum Suario in Metaphysica disp. 26. ex nostris Villanova, & alij qui putantes eam expressiorem in B. Ægidio. Nec pro ejus probabilitate opus est rationes adducere, sed factas in contrarium dissolvere, ut bene movit Magist. Sancto Thoma, unde præcipua probatio est. Quidquid non implicat, potest fieri divinitus: sed effectum procedere simul à duplici causa totali, non implicat, ut patet solvendo argumenta, quæ ducunt ad contradictionem: ergo potest divinitus fieri.

Probatur directè à ratione sic. Una causa totalis non dicit essentialiter negationem alterius causæ totalis ejusdem effectus, sed solum connaturaliter: ergo possunt divinitus simul producere eundem effectum. Antecedens probatur. 1. Quia causa totalis unicè dicit virtutem sufficientem ad producendum effectum sine juvamine alterius; ut causa partialis dicit virtu-

virtutem ex se insufficientem ad totum effectum, & ob id dependentem à juvamine alterius. Sed quoddam virtus una sit ex se sufficiens ad totum effectum, non importat negationem alterius virtutis: sicut quoddam meus oculus sit sufficiens ad videndum totum objectum, non dicit negationem alterius oculi sufficientis ad videndum totum objectum: ergo &c. Hæc probatio infra confirmabitur verbis S. P. Augustini.

Secundò probatur antecedens. Virtus totalis præcontentiva effectus, non dicit negationem essentialem alterius virtutis totalis præcontentivæ ejusdem effectus: ergo una causa totalis &c. Probatur antecedens, tum quia quæstio de simultanea productione supponit simultaneam præcontinentiam; alioquin non esset locus quæstioni, cum nemo prudenter disputet an effectus possit oriri à causa, in qua non præcontinetur: ergo supponitur, quod effectus continetur in duplici causa totali, & sic supponitur, quod una virtus totalis contentiva, non dicit negationem alterius. Tum quia infra probabitur quod etiam naturaliter idem effectus continetur in duplici virtute adæquata, & totali: non posset sic in duplici contineri, si una diceret negationem essentialem alterius.

Dices: Si naturaliter continetur in duplici; & inde sit paritas ad simultaneam productionem: ergo hæc erit nedum divinitus, sed naturaliter possibilis. Respondeo, quod aliqui cum Quiròs tenent casum naturaliter

possibilem. Ceterum nos cum communi sententia id negamus; quare consequentiam non admittimus. Tū quia, ne fiat naturaliter, obstat superfluitas unius causæ; nam natura abhorret superflua. Non superfluit duplex virtus contentiva, ut effectus possit fieri ab aliqua divisione, & si una pereat, maneat altera quæ possit effectum producere. Sed duplex actu producens, superflua est. Tum quia ad simultaneam productionem, necessarium est ut amque causam tangere idem passum, & alia, quæ naturaliter non sunt possible. Ceterum ad simultaneam continentiam effectus nihil requiritur naturaliter impossibile: ergo ex contentia non tenet sequela ad naturalem productionem.

10 Tertio probatur idem. Nam casus iste non repugnat ex parte causæ, nec ex parte actionis, nec ex parte effectus, nec ex parte passivi: ergo divinitus est habilis. Probatur per singula, & 1. ex parte causæ. Non implicat ex parte agentis produci quidquid in ejus virtute continetur: sed infra probabitur eundem effectum contineri in duplici virtute totali: ergo ab ea produci non implicat ex parte causæ. Probatur ex parte actionis. Nam actio in nostris principijs non distinguitur à termino producto entitativè, aut modaliter; apud alios distinguitur tantum modaliter. Sed inodus fit sine implicatione ab eadè causa, à qua fit entitas cujus est modus: ergo probando quod terminus fit sine implicatione à duplici causa totali, probatur etiam de actione.

De termino, & effectu probatur sic. Effectus solum petit ex se, oriri à causa in qua continetur, & modo quo continetur: sed effectus sine implicatione continetur in virtute duplicis causæ totalis, ut dictum est, & dicemus: ergo ex parte effectus non repugnat oriri à duplici causa totali. Et urgetur. Nam actualis productio est expressio illius, quod causa continet in actu primo. Ergo si ex parte effectus non est implicatio ne contingatur in duplici causa totali, non erit ut talis continentia exprimat per actualem productionem ab utraque causa.

Ex parte passivi ostenditur sic. Possunt duo corpora divinitus penetrari, ut dicemus lib. 4. at tunc possent tangere eandem materiam, & agere circa idem passum: ergo id non implicat ex parte passivi. Minor constat, quia sola quantitas impenetrabilis obstat, ne duo agentia tangant idem passum, & eandem materiam: per penetrationem impeditur, aut tollitur obstaculum impenetrabilitatis.

11 Quarto probatur specialiter in doctrina Thomistarum. Potest juxta Thomistas eadem natura humana Christi D. terminari triplici substantia Patris, Filij, & Spiritus sancti: ergo & idem effectus produci simul à duplici, vel triplici causa totali. Probatur consequentia. Quia qualibet ex Divinis subsistentiis est causa formalis extrinseca adæquata subsistendi: sed non obstante adæquatione, potest idem effectus formalis subsistendi præstari à triplici sub-

sistentia adæquata: ergo &c.

Hæc paritas dupliciter solvitur, primo dicendo quod nulla ex divinis subsistentiis adæquat *extensivè* humanitatem Christi, sed solum *intensivè*. Causa autem creata tam *intensivè*, quàm *extensivè* adæquat producibilitatem effectus. Secundo, dici potest substantias tunc non præstare eundem effectum formalem, sed tres diversos; sicut præstant naturæ Divinæ tres distinctos effectus.

Contra primam adest. Quod qualibet substantia Divina continet eminenter substantiam creatam propriam humanitatis; unde præstat effectum formalem ejus. At substantia creata, & ejus effectus, adæquat tam *intensivè*, quàm *extensivè* terminabilitatem humanitatis; & ob id humanitas esset terminata substantia propria, non posset alia iterum terminari: ergo qualibet substantia Divina adæquat *intensivè*, & *extensivè* humanitatem. Hinc impugnatur secunda solutio. Nam tunc tres substantiæ darent humanitati solum eundem effectum, quem daret substantia propria, quam supplet: sed effectus substantiæ propriæ non est triplex, sed unicus: ergo darent unicum, & eundem effectum.

Præterea nulla substantia Divina adæquat *extensivè* naturam Divinam, quia natura Divina est terminabilis in triplici linea, nempe essendi à se, intelligendi, & volendi, unde terminatur per substantiam Patris in linea essendi; per substantiam Filij in linea intelligendi, nam procedit

ut

ut Verbum; per substantiam Spiritus Sancti in linea volendi, quia procedit ut amor, aut impulsus. At natura humana non est terminabilis nisi in unica linea essendi: ergo qualibet substantia Divina eam adæquat *intensivè*, & *extensivè* eique præstat unicum esse, cujus est capax, nec potest dare illi triplex substantia Divina illum triplicem effectum, quem præstat naturæ Divinæ. Adde, quod videtur incredibile, fateri ex una parte substantiam creatam adæquare *intensivè*, & *extensivè*, naturam humanam, & substantiam increatam, & infinitam non sic adæquare.

12 Quinto probatur in principijs etiam Thomistarum. Possunt divinitus duo Angeli esse in eodem loco: sed non possunt esse in eodem loco, nisi operentur eundem effectum, ut causæ totales: ergo potest divinitus idem effectus &c. Major videtur certa; nam licet contrarium doceat D. Thomas 1. p. q. 52. art. 3. Id exponit Cayetanus de lege ordinaria, & impossibilitate physica, ut dictum est. Rursus probatur. Nam de fide est quod duo corpora possunt divinitus penetrari, & sic esse in eodem loco; ut accidit dum Christus Dominus ex utero Virginis nasci dignatus est, & dum post resurrectionem, januis clausis, ingressus est ad Discipulos in Cœnaculum; de quo lib. 4. sequenti: ergo facilius duo Angeli, qui sunt spiritus, nec tantum obstant, & repellunt à loco, quantum corpora. Præterquam quod si integra legio dæmonum fuit in uno corpore, ut dici-

tur Marci 7. hoc est sex mille, & sexcenti sexaginta sex dæmones; & aliquando plures ligantur ab exorcistis ut sint in unci digiti ungue, & hoc sine miraculo; cur repugnabit quod virtutem Divina ponantur in eodem loco, aut eadem parte corporis designabilis?

Minor principalis probatur. Nam idem juxta D. Thomam ibi, non possunt duo Angeli esse naturaliter in eodem loco, quia naturaliter, non possunt agere eundem effectum: ergo quia juxta S. Doct. non possunt Angeli esse in eodem loco, nisi operentur eundem effectum. Præterea: juxta S. Doct. Angeli sunt in loco per operationem; quare sunt in re corporea, quia agunt circa eam, & in ea: ergo ut sint in eodem loco, debent tangere virtute sua idem passum, & sic agere eundem effectum. Vbi nota, quod quilibet Angelus est causa totalis illius effectus, quia locus ille adæquatur à virtute cujuslibet Angeli. Item sunt causæ ejusdem ordinis, quia licet specie differant inter se, at distinctio est de materiali; nam omnes conveniunt in esse spirituali; & ratione spiritualitatis agunt in corpore, & dominantur corporeis. Vide dictum num. 6.

13 Tandem probatur argumento difficili. Nam possunt plures Sacerdotes eundem numero hominem baptizare; possunt etiam eandem hostiam consecrare: sed quilibet est causa totalis, & adæquata, cum possit se solo hostiam consecrare; aliunde sunt causæ ejusdem ordinis, & rationis: ergo potest divinitus idem effectus

&c. Hoc variè solvitur, unde oportet breviter solutiones proponere, & redargutiones.

Prima solutio est PP. Complutensium, qui negant consequentiam quia argumentum est de causis instrumentalibus, & quæstio de principalibus. Secunda dicit plures Sacerdotes esse causas totales totalitate effectus, sed non totalitate causæ; quare absolutè non sunt causæ totales. Tertia dicit non concurrere ut plures, sed ut unicam causam instrumentalem, quia concurrunt ut adunati in virtute Christi, cujus sunt instrumenta. Quarta dicit non concurrere ad eundem effectum, quia licet Christus sit unicus in hostia; at connotat virtutem consecrativam Sacerdotis, & ut connotat in uno virtutem distinctam à virtute alterius, est connotativè multiplex, & distinctus à seipso.

Contra primam adest, quòd rationes primæ sententiæ æquè probant de causis instrumentalibus, ac de principalibus, ut patet: ergo si duo instrumenta adæquata possunt simul efficere eundem effectum, poterunt, & causæ principales. Præterea; si duo calores, qui sunt instrumenta, aut virtutes instrumentaria ignis, possunt efficere eundem effectum: ergo illi duo ignes, quorum sunt instrumenta, poterunt esse causæ principales ejusdem effectus. Patet consequentia. Quia nequit repugnare causæ activitatis illa, quæ non repugnat illius virtuti.

Contra secundam. Ideo Sa-

cerdotes sunt causæ totales totalitate effectus, quia producit quilibet totum effectum; & hoc idè, quia cum effectus sit indivisibilis, vel producitur totus, vel nihil ejus producitur. At etiam virtus consecrativa cujuslibet, cum sit spiritualis, est indivisibilis, & sic vel tota explicatur, vel nihil explicatur ejus: ergo nedum sunt totales totalitate effectus, sed totalitate causæ. Vide dicenda contra tertiam.

Contra tertiam sic. Causæ solæ se habent per modum unius, vel quia neutra habet virtutem totalem, vel quia habentes virtutem totalem, invicem attemperantur: sed virtus cujusvis Sacerdotis est totalis, ut ostensum est; aliunde non potest cum alia attemperari: ergo nequeunt Sacerdotes se habere per modum unius. Minor probatur. Virtus, quæ non potest operari secundum partem sui, sed vel tota explicatur, vel nihil, non est attemperabilis: sed virtus Sacerdotis, cum sit spiritualis, & nullas habens partes, nequit operari secundum partem sui, ut patet: ergo non potest cum alia attemperari.

14 Dices: Quòd Sacerdotes adunantur, non quia attemperantur, sed quia sunt instrumenta ejusdem causæ principalis, nempe Christi, in cujus virtute operantur. Sed contra: Nā præterquàm quod nō stat adunatio duplicis virtutis totalis sine attemperatione; adest quòd etiam causæ totales poterunt concurrere divinitus ad eundem effectum, quia adunantur, & operantur in virtute Dei causæ principalissimæ

simæ omnis effectus sub ratione entis, sub qua creaturæ sunt instrumenta Dei, ut dictum est q. 17.

Dices instantiam non tenere, quia creaturæ non sunt instrumenta rigorosa, sed etiam sunt causæ principales suorum effectuum: Sacerdotes autem sunt rigorosa instrumenta Christi in ordine ad gratiam Sacramentalem, & ad consecrationem. Sed contra. Nam licet creaturæ, dum agunt naturaliter, non sint mera instrumenta, at dum agunt miraculosè, sunt instrumenta rigorosa, nam solus Deus est causa principalis miraculorum; creatura autem merè instrumentalis: sed quod agitur divinitus, agitur miraculosè: ergo in casu quæstionis utraque causa totalis ageret, ut rigorosum instrumentum. Præterea: Creaturæ in ordine ad rationem entis universalissimam sunt rigorosa instrumenta Dei, ut dictum est cum D. Thoma, & B. Ægidio quæst. 17. Adde quòd Sacerdotes in ordine ad consecrationem non sunt rigorosa instrumenta, qualiter Prophetæ in ordine ad prophetandum; nam virtus consecrandi est permanens in Sacerdotibus, secus spiritus Prophetiæ, qui citò transit, nec est in manu Prophetæ illud habere, & eo uti. Ergo si Sacerdotes possunt adunari sine implicatione ad productionem ejusdem effectus, poterunt quæcumque causæ totales in virtute Dei adunari, ut dictum est. Quo argumento uti poteris etiam contra primam solutionem.

Contra quartam argue sic. Per vos possunt plures consecrare eandem

hostiam, quia licet Christus sit unicus entitativè, est tamen multiplex, & diversus formaliter in ratione effectus, ut connotat multas, & diversas virtutes consecrativas: ergo poterunt plures causæ totales producere eundem effectum, quia licet ille sit idem entitativè, est tamen formaliter diversus, quatenus connotat diversam virtutem effectivam in suis causis totalibus.

Dices consequentiam non valere. Quia Christus in Eucharistia habet rationem effectus connotativam; & sic variatis connotatis, variatur in Christo ratio effectus formaliter. Non sic in effectibus physicis, & naturalibus, de quibus est quæstio. Contra est: nam si effectus naturalis non est connotativus virtutis, nec sumit suam unitatem à virtute: ergo perperam supra arguebatur, quòd effectus non esset idem casu quo à duplici virtute totali procederet. Ergo vel illud fundamentum ruit, vel hæc disparitas non tenet. Quidquid sit venio ad nostram sententiam.

§ II.

Nostra sententia proponitur; & probatur.

15 **Q**uam ad continentiam, dicimus quòd idem effectus de facto, & naturaliter continetur in duplici causa totali, ita ut divisivè possit naturaliter produci ab ista, vel ab illa. Est expressa sententia B. Ægidij lib. de Esse, & essentia

tia quaest. 6. §. *secunda via*. Et in 1. prop. de causis lit. D. *cujus fundamentum dabitur*. Eam sequuntur nostri Venetus, Luzitanus, & Bonerva, citati à N. Villanova hic disp. 6. dub. 5. Pro ea stare D. Thomam putamus cum Suario ubi supra, nam S. Doctor 1. p. q. 45. art. 5. ad 1. assignans sphaeram activitatis causae univocae, negat esse totam speciem, quia alia causa posset producere seipsam, quod est impossibile: ergo excipiendo à tali sphaera ipsam causam, poterit reliqua individua suae speciei producere. Et cum eadem sit de alijs causis, sequitur quod omnes convenient in potentia producendi eundem effectum.

Eandem sententiam credimus tenuisse P. Augustinum, ut patet ex dictis lib. 1. q. 2. de rationibus seminalibus, quibus Deus ordinavit haec activa his passivis, & è contrà, ut certos, & tales effectus producerent, & non alios. Ergo quia ante determinationem Dei per has rationes seminales, poterat quilibet ignis omnes ignes posibles efficere, seipso excepto; & sic de alijs.

Accedit quod S. Doctor, ubi cumque non obstat quantitas impenetrabilis, observat quod idem potest perfici, aut percipi à duobus. Vbi verò quantitas, aut motus corporeus intervenit, non potest idem simul fieri à duobus, bene tamen successivè, aut divisim: ergo quia sentit quod attenda virtute contentiva, idem potest naturaliter simul contineri in duobus, & divisivè fieri, non tamen si-

mul. Audi S. Doctorem lib. 2. de libero arb. cap. 7. ubi ait.

Possumus videre unum aliquid multi simul, cum sint sensus nostri nobis singulis singuli, quibus illud unum sentimus, quod simul videmus, ut quamvis alius meus sensus sit, alius tuus, possit tamen fieri, ut id quod videmus, non sit aliud meum, & aliud tuum, sed illud unum praesens sit utrique nostrum, & simul ab utroque videatur. Idem docet de unica, & eadem voce, quae simul tota, à duobus, & multis auditur. Nam in his non intervenit quantitas impenetrabilis, aut motus corporalis, de quo aliter discurrit subdens: *Tangere possumus quidem totum aliquid ambo uno tempore, sed partibus singulis, eandem autem partem, non nisi temporibus singulis* (hoc est successivè, vel divisim) *nam nulli parti, quam tactu capis; possum meum tactum admovere, nisi amoveris tuum*. En impedimentum à quantitate expellente corpus ab eodè loco. Idem dicit de cibo, & potu, qui idem à duobus simul gustari non potest; nec idem aer naribus trahi.

Ex hac doctrina sic concludit epist. 115. quae est ad Nebridium dicens: *Ceterum in corporum motibus, si ut soles, diligenter attendas, nihil omnino à duobus idem fieri potest. An tu, cum decambulamur simul, satis idem nos agere existimas? Absit à prudentia tua*. Ergo quidquid sit de simultanea productione ejusdem effectus, quae naturaliter est impossibilis, praesertim in rebus quantitativis, quae tangunt corporaliter passum; at contentiva simultanea, ut divisivè produci possit,

fit, non est impossibilis naturaliter. 16 Probatum à ratione ex B. Aegidio ubi supra. Pone duos ignes unum A, alterum B. Nullus horum continet ex nondum productis ignes determinatos, sed quilibet omnes, qui possunt produci: ergo quolibet ex nondum productis designato, ille continetur simul in igne A, & igne B. Probatum antecedens, & sit probatio de igne A. Ille continet in virtute sua omnes ignes qui continentur sub ea ratione, sub qua ignis A agit. Patet hoc, quia cum ratio sub qua sit specificativum potentiae, debet adaequari potentiae specificatae, & sic nec plura, nec pauciora continere. atqui ratio sub qua ignis A operatur, continet omnes ignes producibiles, & nondum productos: ergo ignis A, continet omnes, qui possunt produci, & non aliquos determinatos.

Probatum minor. Ratio formalis sub qua ignis A operatur, est ratio specifica ignis, non autem est ratio individualis, vel individuata: sed sub ratione specifica ignis continetur omnis ignis producibilis; ut patet: ergo ratio &c. Probatum major 1. quia quod ignis A producat hunc ignem, & non alium, nascitur à materia sigillata quantitate, non autem à virtute productiva, ut docuit D. Thomas 1. p. q. 45. art. 5. ad 1. inde probans, quod omne agens creatum debet supponere materiam, alioquin ut ait B. Aegidius ubi supra, si ignis ageret sine materia, ageret non hunc ignem in individuo, sed ignem in universali; ergo quia ratio sub qua

ignis agit, est ratio specifica, non autem individualis, vel individuata: Probatum 2. eadem major. Quia si ignis A ageret sub ratione individuali, vel individuata, non posset agere nisi unicum individuum; non enim continetur sub ratione individuali, nisi unicum numero individuum: at ignis A potest plures, & plures & isti, ut patet, non continentur sub ratione ignis individua, vel individuata, sed pure sub ratione ignis specifica: ergo &c.

Confirmatur. Ignis D habet quod sit ens, quod sit ignis, & quod sit hic ignis, & hoc ens signatum. Sub ratione entis fit à Deo; sub ratione specifica ignis fit ab igne A generate; quod autem sit tale ens signatum, provenit à materia quantitate signata: ergo modus quo causat ignis A, est medius inter modum causandi Dei, & causandi materiae. Sed virtus Dei ad omne ens, non est ex se determinata ad certam speciem effectus, sed determinatur primò ex voluntate sua, deinde occasionaliter à causa secunda, cum qua concurrat ad determinatam speciem effectus; unde cum igne calefacit, cum nive infrigidat: ergo ignis A, & quilibet causa creata univoca, non est determinata ad certum numerum effectuum, sed determinatur à materia, quae est causa numericae unitatis, & multiplicationis. Quare praecisivè à materia determinante quoad individuationem, nullus est ignis, cujus virtus non contineat omnes producibiles.

17 Dices. Quidquid datur in igne D, habet productum à suis causis effici.

efficientibus : sed ignis ille nedum habet rationem entis , & rationem specificam ignis , sed etiam rationem individualem : ergo hæc producitur etiam ab agente *A*. Ergo non provenit individuatio à materia , ut dicebamus , sed ab igne agente , qui non producit sub ratione specifica utcumque , sed sub ea ut individua.

Et Confirmatur. Quia cum hæc materia signata sit capax plurium formarum ignearum , est indifferens ad omnes : sed ab indifferenti ut tali , nequit sumi determinatio , ut patet : ergo quod ignis *A* efficiat ignem *D* , & non alium , non oritur à materia , sed à determinatione ipsius virtutis.

Confirmatur 2. Quia si ignis *A* ageret sub ratione specifica non individuata , posset agere seipsum , qui etiam continetur sub ratione specifica ignis. Posset etiam agere ignes priores , à quibus ipse effectus est ; cum omnes contineantur sub eadem ratione specifica. Sed hæc omnia sunt impossibilia , cum nemo seipsum , aut suas causas possit efficere : ergo ratio *B*. *Ægidij* procedit ex principio falso.

Hæc levia sunt , licet teste *Suario* magnificentur à *Soto* , nec tam impugnant rationem *B*. *Ægidij* , quam communem Thomistarum doctrinam de principio individuationis , quod est materia sigillata quantitate. Respondetur ad replicam , concedendo primum syllogismum , & dist. secundum consequens : ergo individuatio non provenit à materia , sed ab agen-

te , radicaliter , nego consequentiam efficienter , subdist. ab agente ex se , & attenda virtute ejus , nego , attenda determinatione virtutis ad agendum circa hæc materiam sigillatam , concedo consequentiam. Materia est radix individuationis , non autem causa efficiens ejus , quia non est principium activum , sed passivum. Causatur ergo efficienter ab agente : sed cum virtus ejus non sit ad individuum determinata , determinatur ad hoc præ alijs , ea determinatione qua determinatur , & applicatur ad agendum in hanc materiam , & non aliam. Quare ante talem determinationem virtus est indifferens ad omnes posibles effectus , & hoc tantum vult *B*. *Ægidius*.

Ad 1. Confirmationem retorquemus argumentum. Nam etiam ignis *A* est indifferens ad efficiendos plures ignes : sed ab indifferenti , ut tali , nequit oriri determinatio : ergo quod ignis *A* producat ignem *D* , & non alium , non sumitur à virtute effectiva. Ob id *P. Suavius* , & cum eo *DD*. Societatis docent numericam unitatem non sumi à materia , nec à virtute creata , nam utraque est principium indifferens ; sed dicunt desumi à causa prima , nempe à Deo , qui tollit illam indifferentiam causarum , & determinat quoad individuationem. Non est nostrum hic examinare tale dubium , de quo in *Metaphysica*. Sufficiat nunc instantia facta , ne determinatio sit à virtute. Et ut sit à materia dic , quod materia ante dispositiones est indifferens ad plures formas ; ceterum per dispositiones determi-

terminatur ad speciem formæ ; & per easdem cum circumstantijs loci , & temporis determinatur quoad individuum ad hanc præ alia. A materia sic determinata sumitur unitas numerica formæ.

Ad 2. Confirmationem dic , signanter dictum in ratione nostra , quod ignis *A* continet omnes ignes nondum productos , ut excluderemus ipsum , qui nequit se producere , & alios à quibus ipse productus est , & quoscunque jam productos , quos non potest reproducere. Hoc excludimus , licet diversis titulis ; nam ipse excluditur per se , sed quod implicat in omni providentia producere seipsum ob necessariam distinctionem inter causam , & effectum. Reliqui autem excluduntur per accidens ; nam sicut in hac providentia Adam fuit pater Abelis , potuit in alia Abel esse pater Adami. Quare sphaera adæquata cujuscunque causæ univoce sunt omnia individua illius speciei , se sola excepta : hoc est attenda per se virtute. Per accidens autem ex vi hujus providentiæ , qua Abel est filius Adami , eoque posterior , non potuit ipsum generare : posset si aliter Deus providisset.

18. Probatur secundò à ratione conclusio nostra. De facto plures causæ totales ejusdem ordinis , v.g. duo ignes , vel duo luminosa eidem passio applicata , attemperantur , dum producant eundem effectum : ergo quia in quolibet adest virtus adæquatè contentiva illius. Patet consequentia. Nam ideò causæ attempe-

rantur , quia neutra explicat totam suam virtutem in actu secundo , sed partem ejus : ergo seorsim , & attenda causa in actu primo , qualibet totaliter continet illum effectum.

Dices : quando causæ simul concurrunt , & attemperantur , tunc producant diversum effectum , ac qualibet seorsim produceret : & respectu illius qualibet non habet virtutem totalem , sed partialem. Sed contra. Nam ex solutione sequitur causas numquam attemperari , quod , experientia teste , falsum est. Probatur consequentia , duæ causæ , quæ solum partialiter continent effectum , dum simul concurrunt , minimè attemperantur : sed respectu illius effectus dicit solutio quod causæ solum habent virtutem partialem : ergo respectu illius effectus non attemperantur , imò nec possunt umquam attemperari. Major patet , nam tunc solum causa attemperatur , quando non explicat totam suam virtutem : sed causa quæ solum continet partialiter effectum , dum illum producit partialiter , explicat totam suam virtutem : ergo duæ causæ &c.

Tertio probatur assertio nostra argumento Theologico sic. Nam si hic numero homo non individuaretur à materia , sed ab hoc numero patre , & ab hac numero matre , ut contendit prima sententia ubi supra num. 3. impossibile esset , quod Christi *D*. humanitas oriretur ab alia matre quàm à Beatiss. Virgine Maria : sed hoc est falsum : ergo &c. Probatur minor. Nam data illa sequela , infer-

tur, quòd supposito decreto Dei de assumenda hac humanitate, non esset speciale beneficium, quòd B. Virgo sit electa in Matrem; imò ex vi illius decreti non potuisset Deus aliam matrem eligere; tandem nec de congruo potuisset mereri suam maternitatem. Quas consequentias reputat falsas melior Theologorum pars. Sed eis cedimus examen rationis hujus.

19 Quantum ad simultaneam productionem ejusdem effectus à duplici causa totali, quam supponimus impossibilem naturaliter còtra quosdam suprà citatos: dicimus quòd divinitus potest idem effectus produci à duplici causa totali. Ita DD. allegati num. 9. & est probabilior in B. Ægidio, ut testatur Villanova, quidquid dicat N. Gavardi in Philosophia, tenens contrarium, & allegans N. B. D. lib. 5. Physicorum textu 38. sed extra rem, quia ibi D. N. cum Arist. agit de unitate motus, qui si discontinuatur, non est idem numero. Præterea agit de mente Arist. juxta potentiam ordinariam, non juxta absolutam, quam ignoravit Philosophus, putans primam causam agere ex necessitate naturæ, nec res potuisse aliter ordinari.

Ob hæc, & quia teste S. P. August. Epist. 3. ad Volusianum, plus Deus potest facere, quàm nos agnoscere, & in factis Dei tota ratio est potentia facientis; moveor tenere partem affirmativam; imò pensatis utrinque rationibus, urgentiores sunt pro affirmativa. Sed nec hoc est illi necessarium, cum sufficiat solvere ra-

tionès pro negativa, quod facile est, ut videbimus.

Accedit autoritas S. P. Augustini posita num. 15. ubi unice negat idem posse fieri à duobus simul, quãdo intervenit motus corporalis; quia nempe agentia corporalia nõ possunt simul tangere idem passum, quod erat necessarium ad producendum eundem effectum; quæ ratio Ægidiana est, ut vidimus num. 8. in 4. confirm. At hæc ratio nil probat divinitus, quia corpora agentia possunt penetrari, ut dicemus lib. 4. Rursus passum, aut partes materiæ possunt etiam penetrari inter se, & tunc in eodem subjecto possent esse duo accidentia numero tantum distincta, ut docuit Ægidius Quodlib. 4. quæst. 1. Ergo dicendum est de mente S. P. Augustini, D. Thomæ, & B. Ægidij, quòd naturaliter non potest idem fieri simul à duobus; benè tamen divinitus.

§ III.

Solvuntur fundamenta contraria.

20 **C**ontra primam assertionem sunt fundamenta, posita num. 3. Ad 1. dic, textum Ecclesiastici intelligi de providentia præsentis, qua Deus providit hunc filium nasci ex hoc patre, & ex alia matre: ceterum potuit aliter providere, ut num. 17. & 18. probatum est. Nec inde tollimus motivum honorandi parentes; sicut licet pauper ditari possit ab hoc, vel illo divite,

non

nõ est cur gratus nõ sit ei, qui illius levavit pauperiem: unde ei possumus dicere cù Ecclesiastico, honora hunc divitè, quia nisi per illum pauper esses.

Ad autoritatem D. Thomæ respondetur, S. Doct. loqui de filio in esse filij, & ut dicit relationem ad hunc patrem, & ad istam matrem. In hoc sensu variato patre, aut matre, non esset idem filius in esse filij, nam variaretur terminus relationis, & consequenter relatio. Non loquitur de filio in esse entis: nam hic idem potuit sine patre, & matre produci à solo Deo. Ergo & idem in esse entis, & effectus potuit à Deo medijs alijs parentibus generari.

Prima ratio in contra, & ejus confirmationes, procedunt contra bonam Philosophiam docentem, quòd unitas specifica virtutis sumitur ab objecto, sed numerica à subjecto. Ergo ex quo causæ numero distinctæ habeant virtutes numero distinctas, perperam colligitur continere effectus distinctos, sed unice sequitur eas distingui subjectivè, quatenus recipiuntur in diversis numero subjectis. In forma dist. major. causa numero distincta habet virtutem numero distinctam, distinctam subjectivè, concedo maj. distinctam objectivè, implicat in terminis, quia omnis distinctio virtutum ex parte objecti, est distinctio specifica, & non purè numerica. Unde nego minorem, nempe quòd virtutes numero distinctæ non possint continere eundem effectum. Sequitur enim contrarium. Nam virtutes, quæ non differunt ex parte ob-

jecti, habent idem objectum, & continent eisdem effectus: sed virtutes solo numero distinctæ, habent idem objectum, & agunt sub eadem ratione formali, ut dictum est num. 16. unice autem differunt ex parte subjecti: ergo tales continent eundem effectum.

Ad confirmationem ommissa solutione aliorum, qui variè discuntur de actione. Nota ex dicendis libro 3. quòd omne agens operatur duplici actione, una immanenti, qua agens perficitur in se; alia transeunte, qua passum perficitur, & terminus producitur. Sic ignis prius fit calidus in se, quàm alia calefaciat. Primum facit per actionem immanentem, secundum per transeuntem. Hæc actio transiens est indistincta à termino producto, ut dicemus; sed prima distinguitur à termino, & manet in agente. Hoc notato ex dicendis,

Ad Confirmationem dic, quòd in casu quæstionis illa duo agentia agerent per diversas actiones immanentes, quia nulla potest perficere duo subjecta distincta; & hoc est speciale actioni immanenti, quòd non possit procedere à duobus, ut dictum est num. 2. ob rationes ibi datas. At agerent illum effectum per eandem actionem transeuntem, quam utrumque agens potest simul continere, sicut continent simul eundem effectum, à quo actio transiens est indistincta. Hinc minor est falsa de actione transeunte, quæ potest procedere à duobus, & falsum supponit quòd talis actio sit perfectio agentis, nam talis non est,

Nn 2

sed

sed perfectio passi. Est vera minor de actione inmanenti, sed non est ad re, quia hæc actio non petitur à termino, nec est propria termini, sed agentis: unde in casu simultaneæ productionis, non esset unica, sed duplex, quia agentia forent duo.

21 Ad rationem ex Bayona dic, quod causæ numero distinctæ habent sphaeram activitatis numero distinctam *subjectivè*, sed non distinctam numero *objectivè*: imò id implicat in terminis, quia distinctio objectiva semper est specifica, nec potest esse solum numerica. Et instat exemplo Augustiniano. Nam meus oculus numero differt à tuo: ergo sphaera activitatis mei oculi numero differt à sphaera oculi tui. Ergo nequit mea potentia videre illud objectum, quod tua? Negabis ocularem falsitatem consequentiæ. Ratio est, quia mea sphaera, & tua differunt numericè, & sic tantum *subjectivè*, non autem *objectivè*. Et quia conveniunt *objectivè* sine discrimine, potest meus oculus videre quidquid tuus.

Ad 1. confirmationem dic, quod sphaera utraque esset diversa, & non esset diversa, sed non eodem modo; nam esset diversa *subjectivè*, & non esset diversa *objectivè*. Quod utrumque verum est. Ad 2. confirmationem nega consequentiam. Nam causæ speciei differentes, differunt *objectivè*, quia distinctio specifica sumitur ab objecto: unde nequeunt respicere idem objectum, nec eundem effectum continere. Causæ autem numero distinctæ, purè differunt *subjectivè*, nec

eatum limitatio est *objectiva*, sed *subjectiva*. Quare possunt, & debent eundem effectum continere; alioquin differrent *objectivè*, & sic *specificè*, & non tantum *numericè*.

Et quidem, si quod plus differunt causæ, eò diversiore effectum debent continere, ita ut causæ numero distinctæ diversum numero effectum, causæ speciei differentes effectus *specificè* diversos: ergo causæ quæ plusquam speciei differunt, ut sunt causæ universales, & diversi ordinis, non poterunt eundem numero effectum continere. Hoc patet esse falsum, in Deo, sole, & homine, qui plusquam speciei differunt, & tamen continent, & simul producant eundem hominem genitum. Ergo his principijs non est indaganda sphaera activitatis causæ, sed illis, quibus nostra solutio nititur.

22 Ad tertiam rationem ex PP. Complutensibus, quæ solum est explicatio præcedentis, jam solutæ, dic, quod duo individua ejusdem speciei, non habent eandem numero essentiam, & naturam, sed in uno similem alteri. Hic sumo naturam ut indistinctam ab essentia. Nego autem consequentiam quia non sequitur illatio, nempe quod unum individuum non possit producere idem quod alterum; sed simile. Hæc consequentia non sequitur ex antecedenti, sumpta natura pro essentia, quia sic non respicit operationem, sed *subjectum*, quod constituit: & *subjecta* diversa sunt, licet similia intra eandem *speciem*.

Sumpta natura pro principio radicali operationis, tunc distinguo antecedens, tunc non sequitur quod in uno individuo sit eadem natura, ac in alio, sed similis, non est eadem *objectivè*, nego antecedens: non est eadem *subjectivè*, concedo antecedens, & nego consequentiam: similitudo petit distinctionem, quia nemo est sibi similis, sed alteri. Ergo eo modo natura unius est similis alteri, quo est distincta ab alterius natura. Sed natura in utroque individuo non est distincta *objectivè*, sed *subjectivè*, ut dictum est numero præcedenti: Ergo solum est similis *subjectivè* sumpta, non *objectivè*, quia sic nec est distinctio, nec similitudo. Ex distinctione autem *subjectiva* tantum, quæ non est *objectiva*, non sequitur consequens Complutensium, imò sequitur contrarium; nam si tales naturæ non differunt *objectivè*: ergo non continent tantum effectus similes, sed eosdem; alioquin differrent *objectivè*, quod falsum est, nec stat cum sola distinctione individuali utriusque naturæ.

Et instatur. Nam in Petro non est eadem virtus consecrativa, ac in Paulo, sed illi similis: ergo non potest eandem hostiam consecrari, ac Paulus, sed illi similem? consequens est contra fidem. Ratio falsitatis est, quia utraque virtus est entitativè, & *subjectivè* diversa in Petro, & Paulo; sed non *objectivè*, & in esse virtutis formaliter. Quo fit ut utraque sit virtus ad eosdem effectus, & non tantum ad similes.

Ad 1. confirmationem concedo quod conceptus individualis limitat naturam equè ac essentiam, sumpta natura pro essentia: sed quia arguens sumit naturam non relatè ad *subjectum* cuius est, sed relatè ad effectus, quorum est principium activum, nego quod conceptus individualis sic limitet naturam, ac limitat essentiam. Vel dic, quod limitat naturam *subjectivè*, non autem *objectivè*, ut probatum est: quod sufficit pro neganda consequentia quæ sequitur solum de limitatione *objectiva* naturæ, quam negamus, nec à contrarijs probatur.

Ad 2. confirmationem instat illam in virtute consecrativa. Nam hæc abstracta ab omnibus Sacerdotibus plus includit, quàm ratio virtutis contractæ: sed abstracta potest omnes hostias consecrari: ergo contracta in Petro non potest omnes. Vide quale est consequens, & crede non esse verius, quod illatum est à Complutensibus. Respondemus ex instantia, quod virtus abstracta ab omnibus individuis non includit *objectivè* aliquid, quod non contineat virtus contracta: *subjectivè* autem aliquid includit, nempe *cumulum* entitatum diversarum, qui non descedit per contractionem, sed in quolibet individuo habet virtus unicam entitatem. Vel dic, quod virtus abstracta est virtus ad omnes effectus, nullo dempto. Virtus autem contracta est ad omnes, sed excipitur per se à tali virtute entitas virtutis, quæ seipsam nequit producere; & omnes effectus

effectus jam producti antecedenter, qui per accidens non continentur in virtute contracta, ut dictum est num. 17.

23 Ad quantam rationem, quam militat etiam contra secundam conclusionem nostram, respondemus notando, quod effectus, ut possibilis, vel producendus, pendet à causa in actu primo, potente illum producere; effectus autem jam productus, & existens, pendet à causa in actu secundo producente, aut conservante. Quare de dependentia idem argumentum fit in causis simul continentibus, ac simul producentibus eundem numero effectum: nunc loquémur de causis continentibus, & in actu primo. Et supposita instantia de Sacerdotibus simul, & divisim potentibus eandem hostiam consecrare; nam eodem argumento poteris probare, quod consecratio hujus hostiæ pendet per se à quolibet, quia in quolibet est virtus per se consecrativa hujus hostiæ; & non pendet per se à quolibet, quia sine illo potest hostia illa consecrari ab alio: unde pendet per se, & non pendet per se à quolibet, quod est contradictio. Notata ergo instantia,

Respondemus, quod effectus ille non pendet per se à causa ulla creata, si *ly per se* sumitur pro essentialiter. Ratio est, quia potest effectus ille fieri à solo Deo: ergo non habet dependentiam essentialem à causa creata. Nec audiendi sunt PP. Complutenses, qui suadent dependentiam illam esse essentialem, eò quod omnis

effectus est essentialiter ab alio, & pendet ab aliqua causa. Respondemus id esse verum relatè ad causam increatam, à qua omnis creatura essentialiter dependet. De causa creata non sic, quæ non agit ex necessitate, sed ex beneficentia Dei, qui cum posset omnia solus operari, dedit creaturis nedum esse, sed vim agendi, & generandi sibi simile.

Sumpto autem *ly per se* pro conaturalitate, qua effectus pendet à causa, in qua continetur, dicimus, quod effectus contentus in duplici causa, non pendet à qualibet per se determinatè; pendet tamen per se indeterminatè. Sic visio per se pendet ab oculo, sed non determinatè à dextro, vel sinistro. Nec obstat replica Complutensium, qui dicunt effectum pendere eo modo quo recipit esse à causa; non recipit esse ab hac, vel illa indeterminatè, sed determinatè ab una, vel ab utraque. Non obstat, quia hic loquimur de dependentia à causa in actu primo; & hæc non respicit esse productum, sed contentum in causa. Continetur autem in utraque causa simul, unde ab utraque simul pendet dependentia actus primi. Dependens autem actus secundi pendet ab utraque indeterminatè, ut dictum est, sed non determinatè.

In casu verò, quod ab utraque simul producatur, pedit determinatè ab utraque, quia utraque est necessaria necessitate suppositionis. *Omne enim quod est, eo ipso quod est, necesse est esse:* quare licet effectus ille, absolutè sumptus, non pendeat determinatè

ab

ab utraque, sed indeterminatè; at ex suppositione quod fiat à duabus causis, pedit ab utraque determinatè, nã ab utraque determinatè recipit esse; nec tale esse potest effici sine ambabus ex suppositione miraculi concursus earum, licet absolutè possit esse sine altera. Vnde nec ex continentia simultanea, nec ex simultanea productione, ulla sequitur contradictio.

24 Contra secundam assertionem nostram de possibilitate simultaneæ productionis ejusdem effectus, adsunt autoritates D. Thomæ, allegatæ num. 6. sed ibi cum Cayetano, & alijs explicatæ sunt. Restat solvere rationes Thomisticas, positas num. 7. & ostendere quod casus questionis non repugnat ex parte causæ, ex parte actionis, aut ex parte effectus.

Ad rationem ex parte causæ, nego quod tunc causæ non essent totales. Ad probationem dic, quod causa non totalis est illa, quæ non producit totum effectum, sed partem, relinquendo aliam producendam ab altero agente. In præsentì non sic. Quia licet quælibet relinqueret aliquid producendum ab alia, at quælibet non partem, sed totum produceret. Nec ideo altera actum ageret; quia hoc est unam supponere aliam prius causante totum, & casus non est sic, sed simultaneæ productionis à duplici causa: quare nulla actum ageret, sed utraque ageret non actum. Possunt simul agere effectum; non tamen una post aliam; quia secunda inveniret effectum productum, nec posset producere, quia productio est

extractio rei de non esse ad esse; quod autem supponitur productum, nequit extrahi de non esse ad esse.

Dic, secundo ad illam probationem, quod causa partialis est, quæ aliquid relinquit ab alia producendum. In casu nostro non sic: quia neutra relinqueret aliquid, sed totum ab alia producendum, cum utraque producat totum, & non aliquid; unde utraque finit totum ab alia produci. Etiam *ly relinquit* est ambiguum, nam potest esse ex defectu virtutis; vel ex permisso consortij productionis. Deus sic producit ut relinquat à nobis producendum. Hoc relinquare non est defectus virtutis Dei, alioquin non esset causa totalis omnis creaturæ; sed est benevolentia, quæ melius diceretur sinere nos operari, quàm relinquare à nobis agendum.

Ad 1. probationem majoris ex Froylano, dic, causam partialem relinquare aliquid, & relinquare ex defectu virtutis ad totum. In præsentì non sic: nam causa relinqueret alteri non aliquid, sed totum; nec relinqueret ex defectu virtutis, sed ex benevolentia admittente consortium alterius ad eundem effectum. Ad 2. probationem majoris, dic, eam esse contra Froylanum, nam concedit, & verè, quod duo corpora adæquata loco, possunt esse divinitus in eo: ergo tunc quodlibet est ita adæquatum, ut relinquat etiam non partem loci, sed totum locum ab alio replendum. At 3. nega consequentiam. Imò detegitur æquivocatio sententiæ contrariæ, quæ sic putat effectum contineri in causa,

causa, sicut corpus in loco. Hoc verum non est, quia locus ita continet corpus, ut eum circumscribat, & limitet, ne sit in alia loco. Ceterum causa non sic continet, nec sic producit effectum, ut eum limitet, ne ab alia contineatur naturaliter, & ne ab alia simul producat divinitus. Quare aliter locus est adæquatus corpori, ac causa effectui. Ad 4. redargue contrarios. Si substantia ita est adæquata nature, ut nil relinquat ab alia terminandum, quomodo dicitis eandem humanitatem posse simul terminari triplici substantia Divina?

25 Hęc omnia instantur, ut patet in Sacerdotibus simul consecratis. Quilibet producit totum Christum: quid ergo relinquit alijs producendum? Instatur in triplici substantia Divina. Quilibet terminaret totam naturam: quid ergo relinqueret ab alia substantia terminandum? Instatur in corporibus penetratis. Quodlibet replet totum locum; quid loci relinquit ab alio corpore replendum? Adde causas diversi ordinis, Deus totum hominem producit: quid ergo relinquit ab homine generandum? Dices ipsum totum; ceterum sub diversa ratione formali. Dicā etiā causam ejusdem ordinis, sicut habent virtutes numero distinctas, sic agere sub ratione formali, numero distincta. Quod si dicas implicare rationes formales distinctas solo numero, quia distinctio rationis formalis est specifica. Contrā. Nam per te corpus cum unica quantitate nequit bilocari, bene

autem cum duplici, eò quòd quantitas est ratio formalis esse in loco, & ea multiplicata, multiplicatur præsentia localis. Hoc dicitis, sed adverte quantitates illas solo numero distinguere: ergo concedis rationes formales solo numero distinctas. Sic Christus est Sacramentaliter hic, & Romæ, quia multiplicantur rationes formales esse in sacramentaliter, nempe vel diversi panes, qui sunt termini à quo, vel diversæ consecrationes: at consecrationes solo numero differunt; panes etiam solo numero: ergo concedere debes rationes formales solo numero diversas.

Dices: si sufficit ratio formalis solo numero diversa: ergo naturaliter duę causæ ejusdem ordinis poterunt ad eundem effectum; sicut causæ diversi ordinis. Respondeo negando consequentiam. Quia rationes formales specificè distinctæ, sunt inter se subordinatæ, quare conducunt ad subordinationem causarum, & hæc datur naturaliter. Ceterum rationes illæ solo numero distinctæ, non subordinantur; & ided ad nil conducunt, nisi ad manifestandam Dei potentiam, quæ non est alligata huic providentiæ, danti singulas causas singulis effectibus.

26 Ad rationes positas eodem num. 7. contra actionem, respondemus facillè ex dictis num. 20. Dicimus quòd in casu nostro, illa duplex causa ageret duplici actione immanenti, quæ est perfectiva agentis, & unica transeunte, quæ est indistincta à termino, & non est perfectio agentis, sed

sed passiva. Prima probatio contra duplicem actionem, nil valet, quia duplex actio immanens non ponitur propter effectum, sed propter causam: ergo licet effectus sit unus, actio immanens duplex petitur, quia causa duplex est. Secunda probatio contra unicam actionem nil probat, actio transiens, quam dicimus unicam, non perficit agens, sed passum: sed in casu nostro passum est unicum, licet agentia duo: ergo actio transiens est unica. Rationes autem ex parte effectus, ibi positæ, jam solutæ sunt num. 23.

Ad confirmationes positas num. 8. respondemus, & ad 1. concessio antecedenti de finibus adæquatis, & ultimis, nego consequentiam. Disparitas est, quòd unus finis ultimus dicit essentialiter negationem alterius, nam ad illum debent omnia ordinari, & ipse ad nullum, ut dictum est quæst. 14. §. 2. dub. 4. At una causa totalis non dicit negationem essentialem alterius, ut hic probatum est.

Ad 2. dic, consequentiam non valere, quia effectus, si est adæquatus, adæquat causam intensivè, & extensivè: & ob id pater potens plures filios producere, non adæquatur ab unico filio, sed est ejus effectus inadæquatus. At contrario Verbū Divinū est terminus adæquatus virtutis generativæ Patris, quia ipsa adæquat intensivè, & extensivè. Contingit oppositum in causa adæquata, quæ licet adæquet intensivè producibilitatem effectus, non tamen extensivè: unde

potest simul ab alia causa divinitus produci. Utere pro Thomæ exemplo substantiæ triplicis Divinæ relatione ad humanitatem.

Ad 3. nega consequentiam. Nam forma limitatur à materia, non in alia recipiatur, & accidens à subiecto, in quo recipitur. Non sic effectus à causa. Et licet causa limitet effectum quoad esse, ne sit infinitum, non tamen limitat quoad produci, ne ab alia simul producat, saltem divinitus.

Ad 4. sumptam ex doctrina B. Ægidij, dic, penetrationem esse possibilem divinitus: unde ratio sumpta ex impotentia tangendi idem passum, solum probat de potentia ordinaria, & hoc concedimus. Altera ex accidentibus solvitur, quia sicut ponimus causas continere, & producere eundem effectum, sic tunc continerent simul, & producerent idem accidens, quo passum alterarent. Quare non sequitur quòd in eodem subiecto essent duo accidentia solo numero distincta. Adde, quòd juxta B. Ægidium talia possunt esse in eodem subiecto, si partes subiecti penetrarentur inter se, ut docuit Quodlib. 4. quæst. 1.

Ad 5. dic, quòd sicut causæ diversi ordinis, ut plures sunt, & diversæ, in unum effectum conveniunt sine implicatione, quia conveniunt in eum non sub eadem ratione formali, sed sub diversa: ita in nostro casu causæ agentes convenirent in unum effectum, sub diversa tamen numero ratione formali. Sic convenirent, si

agerent ut numero diversæ. Puto tamen tunc acturas, ut conveniunt specificè, & ut agunt sub eadem ratione formali. Quod videtur dicendum de mente B. Ægidij supra num. 16. & dam instas, quòd tunc non essent dæ. Respondeo esse duas, sed non agere ut dæ iunt. Est dicere causas tunc distinctas, sed quòd ratio agendi non est distinctio earum, nec id quo differunt, sed id, in quo conveniunt.

BREVIS DIGRESSIO.

De Fortuna, Fato, & Casu.

Actum hucusque de causis per se entis mobilis, nunc agendum, licèt breviter, de causis per accidens; nempe fortuna, fato, & casu, de quibus Arist. in fine huius libri per tria integra capita. Et quidem circa fortunam varij fuerunt Gentilium errores, dum Deam cæcam volubili fixam saxo adorarunt; quos irridet meritò Juvenalis Satyra 10. dicens: *Nullum numen abest, si sit prudentia, sed te non facimus Fortuna Deam, Caloque locamus.*

Est ergo fortuna juxta Arist. & Catholicorum sententiam: *Causa per accidens in his, quæ contingunt ex electione.* Hinc fortuna solùm datur in naturis rationalibus, quia illæ solæ agunt ex electione: quare dum agenti rationali aliquid evenit præter intentionem, illud dicitur fortuitum. Si illud est proficuum, est bona fortuna; si adversum, dicitur fortuna mala,

Sic exemplum. Homo terrâ fodiens, ut domus fastigium firmo stabiliat fundamento; si inveniatur thesaurum, est bene fortunatus, quia inventio thesauri fuit illi fortuita, & præter intentionem, item fuit illi utilis: unde ei dicimus favere fortunam, non quia hæc sit Gentilica Dea, sed quia casus ille fortuitus fuit illi proficuum. Malè fortunatus esset, si aspidem percussentem inveniret.

Quod est fortuna in agentibus rationalibus, est *casus* in brutis, & inanimatis. Quare omnia monstra, quæ fiunt præter intentionem nature, casualia sunt, & dicuntur *casus*. Diffinitur sic. *Est Causa per accidens in his, quæ raro contingunt absque electione.* Doctorem nostrum vide secundo Physic. lect. 8. & 10. ubi multa de Fortuna, & Casu.

Observa cum Doct. N. Quodli. 4. quæst. 12. quòd fortuita, & casualia, habent causas per se; ceterùm dicuntur talia ex concursu causarum, qui fortuitus est naturis electivis, & casualis irrationalibus; quare utriusque est per accidens, & præter intentionem. Patet hoc exemplo. Vadis ad forum, ut recipias argentum; sed in via lapis cadens frangit caput tuum. Hoc est casuale, & sanè mala fortuna. Ceterùm iter tuum habet causam per se, nempe intentio recipiendi argentum; descensus item lapidis habet causam per se nempe gravitatem. Quod autem utraque causa per se jungatur in tuum damnum, casuale fuit, & fortuitum, nec conjunctio illarum causarum fuit per

per se, sed per accidens.

Hic aliqua disputantur, quæ prolixè tractata invenies apud Card. Aguirre in Philosophia. Ea tangeamus, & dissolvemus. Quæres 1. An aliquid respectu Dei sit casuale, vel fortuitum? Respond. negativè, & videtur conclusio de fide, sicut de fide est sapientiã Dei esse infinitã, & nihil posse evenire, quod Deum lateat, aut præter intentionem Dei sit. Probat ex S. P. Augustino lib. 1. contra Academic. cap. 1. ubi fortunam diffinit: *Cujus ratio, & causa secreta est*, hoc est ignota, & præter intentionem agentis. At Deo nihil est ignotum, aut præter intentionem ejus, cum nihil eveniat quod Dei providentiam subterfugiat: ergo nil est fortuitum, aut casuale Deo.

Rursus, lib. qq. supra Genes. cap. 91. dicit: *Fortuna intelligenda est pro his rebus, quæ fortuito videntur accidere: non quia numen aliquod sit, cum hæc ipsa tamen, quæ fortuito videntur, causis occultis divinitus dentur.* En casus fortuiti, nobis occulti, qui causas ignoramus, patent Deo, danti divinitus eis causas illos effectus; ergo respectu Dei dantis, & sapientissimè noscentis quod dat, & quibus dat, nil fortuitum est.

S. Parens lib. 4. de Civit. Dei cap. 18. impugnat Gentilium errorem, putantium fortunam esse quoddam speciale numen. Hoc evertit ex Gentilium doctrinis. Nam ipsi statuunt fortunam interdum bonam, aliquando malam: sed Deitati repugnat malitia, & malum: ergo & Deitas re-

pugnat fortunæ. Rursus, per vos fortuna *cæca* est, quare sine meritum discretionem irruit super bonos, & malos. Sed cæcitas repugnat Deitati; malos autem præmiari injustum est; injuria vero Deo repugnat: ergo fortuna Numen, aut Dea non est.

Relegat à Deo fortuitos eventus B. Ægidius opusc. de Prædestin. & Præscientia cap. 1. & 2. & hic 2. Physic. lect. 11. ubi etiam D. Thomas qui innumeris locis hoc suadet. Nec latuit hoc dogma Aristotelè, dicentem quòd *ubi est magis ingenij, est minus fortuna.* Id est, qui plus penetrat occultas causas, minus patitur eventus fortuitos. At Deus comprehendit omnes causas sua infinita sapientia: ergo ei nihil fortuitum evenire potest.

3. Debitabis secundo, an in Angelo sit fortuna? Thomistæ, & quamplures Theologi docentes Angelum esse directè impeccabilem contra finem naturalem, eò quòd omnia naturalia plenè cognoscit, nec errare potest circa illa; tenentur dicere consequenter, nihil in naturalibus esse illi fortuitum. Si hanc sententiam de perfectissima Angelorum cognitione teneas, dic, in Angelis non esse fortunam. Ceterùm cum in ordine supernaturali non plenè comprehendant, plura illis fortuita evenire possunt. Adde Angelos ignorare futuros eventus contingentes, & quæ pendent ex libero arbitrio nostro: ergo circa talia possunt invenire fortuita. Patet consequentia, quia tot modis patet fortuita evenire, quot contingit cau-

fas ignorare, & non prævidere.

Circa homines fortunam versari testatur experientia, & probatur eorum frequenti ignorantia, & imperfecto modo cognoscendi; at teste Philos. hinc, tantò major erit fortuna, quo minor fuerit ingenij præstantia. Hic Aguirre conqueritur, monens nos perpendere, quantum ponderis natura fecerit sustinere ingeniosos. In minoribus erat, ac cucullatus, dum taliter conquestus est. Revera, & omiſſa vulgari nominis acceptione, eò feliciores sunt qui prævalent ingenio, quò minus habent fortunæ: nam sic Deo propinquiores, qui ob altitudinem sapientiæ, & scientiæ, nil habet fortuitum, nullaque ipsi fortuna.

Aliter dictum Philosophi expendit B. Ægidius loco laudato de Prædest. & Præscient. & in 2. sent. dist. 26. q. 2. art. 3. cum Philos. lib. de Bona fortuna. Ibi ostendit ingeniosiores esse infortunatiores, veram, & catholicam causam assignans, quam breviter exponam in nostram utilitatem. Deus suis impetibus movens naturam in suum ultimum finem, ut quilibet sit benè fortunatus, nec æqualiter auditur, nec ejus motioni paretur. Hanc motionem impetuosa plus sentiunt, bestia, quam homines, nec illi ponunt obicem irrationales. Similiter inter homines magis recipiant hanc motionem simplices, quam sapientes. Nam sicut cæci minus dediti visibilibus, magis memorantur, quam videntes; ita simplices minus dediti intelligibilibus;

hos impetus, & instinctus magis percipiunt. Ergo idè ingeniosiores sunt minus fortunati, quia seipſos volunt dirigere per rationem, & vel non sentiunt motionem Dei, vel ei non obtemperant.

Quæres tertio: An aliquid sit casuale respectu Cœli primi mobilis? De hoc latè Card. Aguirre. Dicendum est cum B. Ægidio Quodlib. citato, quòd sic. Probatur quia licet Cœlum sit prima causa necessaria, agit tamen medijs causis contingentibus, & ex materia præsupposita, quæ aliquando est benè disposita, aliquando malè: ergo intendens perfectionem effectus, si iste ob indispositionem materiæ oritur monstruosus, hoc accidit præter intentionem Cœli. Hinc patet quomodo, Deo præscio, sed permittente, eveniunt in naturalibus monstra, nempe vel indispositione materiæ, vel superabundante materia, vel deficiente &c.

4 Fatum dicitur à *Fando*, vel à verbo *For*, *Faris*, quod est idem ac *loquor*. Sic dictum, quoniam Deus in stellis præcipuè locutus est futuros eventus, intellige naturales, ut pluviam, ventos &c. non autem liberos. Vnde & à Regio Psalte dicitur: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Quod à Deo est sic dictum, vocatur *Fatum*.

Circa Fatum errarunt Gentiles præcipuè Egyptij, ut observat S. P. August. lib. de Civit. Dei 5. cap. 2. & 9. putantes fatum esse vim siderum simpliciter irresistibilem, ducen-

tem volentes, & compellentem, invitos, ac nolentes, unde sumptum est illud axioma: *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.* Accedunt hæretici moderni & antiqui Manichæi, qui reducunt fatum in Divinam voluntatem moventem omnes causas, dicebant nullam esse liberam, quoniam eis imposuit voluntas Divina fatalem necessitatem.

Hunc errorem à SS. PP. impugnatum, & antiquatum, sæpè innovant Astrologi, & judicarij nativitatum revolutores, qui talem stellis fidem præstant, & concedunt efficaciam, ut futuros etiam contingentes eventus ex benevolo, vel adverso Planetarum aspectu judicent, aut potius fingant. Eos disertè explodit S. Gregorius Papa Hom. 10. in Evangelia, ubi observat quòd recens Christi stella ibat ad puerum, non puer ad stellam; quare non stella fatum pueri, sed potius stellæ fatum puer fuit. Ad idem S. P. Augustinus insolubili argumento Jacob, & Esau, qui gemelli, & uterini fratres, sub eodem Cœlorum aspectu nati, exitus habuerunt toto Cœlo diversos, Jacob terrenis, & spiritualibus bonis abundans, Esau utrisque carens, ac ferè vagus, & profugus.

Est ergo Fatum ordo Divinæ providentiæ gubernantis, & determinantis causas necessarias necessariò, & liberas liberè. Ita Catholici omnes: quare ut eleganter D. Thomas 2. 2. q. 95. art. 5. causæ liberæ non stant sub do-

minio influxus Cœlorum; benè tamen causæ necessaria: & hoc quia Deus ita disposuit, se attemperans naturis rerum. Hinc Astronomi possunt certò præscire eventus necessarios, ut pluviam futuram, ventos, eclipses, grandines, nives &c. At non possunt conjectura certa scire, an Petrus sub Marte natus, sit gloriose certaturus in bello; an ei bellum profperum &c. nam hæc pendent ex libero ejus arbitrio, quo potest benè; vel malè uti robore, & fortitudine sua.

Hinc Divinam providentiæ vocare fatum non renuit S. P. Augustinus ubi supra, monens tamen verbum tale à Catholicis non usurpandum, quia in pravum sensum vertitur à Gentilibus, Dicit sic: *Prorsus Divina providentiæ regna constituuntur humana, quæ si propterea quisquam fato tribuit, sententiæ teneat, linguam corrigat.*

Et quidem causarum omnium colligatio, ut à Divina providentiæ in certum effectum ordinata est, fatum dici potest, sed veriùs ipsa providentiæ, quæ causas ita ordinavit, & colligavit. Sic idem S. P. ubi supra cap. 9. *Si mihi fati nomen alicui rei adhibendum placeret, magis dicerem fatum esse firmioris, potentioris voluntatem, quam illum causarum ordinem.* Vide multa in B. Ægidio loco laudato Prædest. & Præscient. nec est quid speciale, in quo amplius immoremur.

LIBER TERTIVS

PHYSICORVM.



POST principia intrinseca, & extrinseca corporis mobilis, de quibus actum est libro 1. & 2. ut ejus essentiam explicarem per constitutiva, & causas physicas; in hoc tertio libro acturi sumus de motu, qui est præcipua passio corporis mobilis. Nec erit sermo de speciebus motus, & de terminis illius, de quibus lib. 5. sequenti, sed de motu in communi, & de actione, & passione, quæ motum comitantur; nec non de infinito, quod est veluti sequela motus successivi. Plura dilucidanda sunt, sed brevissimè, ea præcipuè, quæ cum communiori sententia tenebimus, quoniam præcedentibus disputationibus ob earum utilitatem, & acriorem controversiam, latius divagati sumus.

QVÆSTIO I.

Quid sit motus, & qualiter differat ab actione, & passione?

§ I.

Explicatur definitio motus, & an conveniat mutationibus instantaneis.

MOTVS, qui est præcipua proprietas objecti Physicæ diffinitur ab Arist. hic: *Actus entis in potentia secundum quod in potentia.* Hanc diffinitionem tenent omnes communiter, cujus ratio generica est *ly actus in potentia*, per quam motus convenit cum formis substantialibus, & accidentalibus, quæ actus sunt, & entis quod in potentia est ad eos recipiendos. *Ly secundum quod in potentia*, est differen-

tia essentialis motus, per quam ostenditur quodd motus non plene actuatur subjectum, sed relinquit illum partim imperfectum, & in potentia ad ulteriorem actualitatem. Hinc forma substantialis, vel accidentalis, dicitur: *Actus perfecti*, quia plene actuatur, & perficit: motus autem est *actus imperfecti*, quia cum non plene actuatur, nec plene tollat à subjecto mobili potentialitatem, relinquit illud adhuc imperfectum. Hinc etiam colligitur quod

Quest. I.

quodd motus non dicit puram actualitatem subjecti, sed actualitatem, & potentialitatem, quia sic actuatur, ut illud ponat in via ad ulteriorem actualitatem; & hæc via durat usque dum venit ad terminum, in quo quiescit mobile, & tunc finitur motus.

Explicatur in motu locali, qui est ceteris clarior. Fit motus iste per recessum à termino à quo derelicto, & accessum ad terminum ad quem, acquirendum. Motus iste est via ad terminum ad quem, & tantum durat, quousque mobile veniat ad terminum ad quem, in quo quiescit. Considera mobile inter duos illos terminos à quo, & ad quem; tunc partim est in actu, & partim in potentia. Est in actu, quia semel incipiens moveri, incipit actuari ejus potentia mobilis. Est adhuc in potentia, nam adhuc non pervenit ad terminum acquirendum, in quo solo quiescit, & cessat motus. Sic corpus frigidum, quod movetur ad calorem ut quatuor, incipit calefieri successivè, & per gradus à primo usque ad quartum, in quo cessabit calefactio, & quiescet motus ad qualitatem. Ab eo ergo instanti, à quo incipit calefieri, incipit motus; & durat usque ad terminum, in quo cessat. Iste ergo motus est ille calor in primo, secundo, & tertio gradu; nam ille actuatur corpus, & sic est *actus corporis in potentia* ad calorem: at quia non plene actuatur, nec pervenit ad terminum, nempe ad quartum gradum, ad quem corpus adhuc est in potentia; ideo est *actus*

§. I.

entis in potentia secundum quod in potentia.

2 Dices: Ultima pars motus est motus; & tamè non relinquit subjectum in potentia ad ulteriorem actualitatem: ergo motus non est actus corporis in potentia secundum quod in potentia. Confirmatur. Dispositiones sunt actus materiæ, quæ est ens in potentia, & relinquant materiam in potentia ad ulteriorem actum, nempe ad formam substantialem: at dispositiones non sunt motus: ergo &c. Secundo. Calor ut quatuor actuatur subjectum, & relinquit illud in potentia ad calorem: ut sex, vel ut octo: sed calor ut quatuor non est motus: ergo perperam motus à nobis explicatur.

Ad replicam respondemus, quodd ultima pars motus non est motus, sicut pars hominis non est homo. Ad 1. Confirmationem dic, quodd motus est actus relinquens subjectum in potentia ad ulteriorem actum ejusdem rationis, ut in exemplis loci, & caloris dictum est. Dispositiones sunt actus accidentales, forma substantialis actus est, sed substantialis; unde non relinquant materiam in potentia ad ulteriorem actum ejusdem rationis, sed diversè. Ad 2. dic, quodd de ratione motus est quodd non sit terminus, sed via ad terminum. Calor autem ut quatuor est terminus, non via: Unde motus non est. Si autem moveretur subjectum sine cessatione ad calorem ut octo; tunc calor ut quatuor esset motus, quia esset via, sicut supra dictum est de calore in primo, secundo, & tertio gradu, qui est via ad calorem

lorem ut quatuor, in quo cessat motus calefactionis. Hoc sufficit pro solutione.

Ceterum ad plenorem motus intelligentiam nota ex dicendis, quod motus essentialiter includit actionem, & passionem; omnis enim motus est actio, & actio non stat sine passione; at non è contra, non enim omnis actio est motus strictus, quia plures actiones sunt sine motu. Actio autem est via ad terminum, ut dicemus. Vel ergo concipis calorem ut merum terminum, in quo quiescit subjectum quod calefit; & tunc calor non est motus, quia non est via, sed terminus viæ, & quies: quare cum non sit actio, sed terminus, non est motus, sed terminus motus. Vel concipis calorem ut viam ad ulteriorem gradum, & tunc est actio, & motus, qui durat, quantum durat via ad terminum, & quietem.

Observa etiam quod motus habet plures respectus, nempe ad movens, ad mobile, & ad terminum. Relatè ad movens, est causalitas, & exercitium: nam potentia movendi reducitur ad actum per actualem motum: ergo motus est causalitas, & exercitium moventis. Respectu mobilis est actus: nam mobile ut tale, est in potentia ad motum recipiendum, quo actuatur: ergo motus est actus quidam mobilis, licet incompletus, & imperfectus, ut dictum est. Tandem motus respectu termini est via, & tendentia in illum. Nam per motum sic actuatur mobile, ut maneat in potentia, & in via ad terminum, in

quo quiescit: ergo motus est via ad terminum.

3 Hic dubitatur, an definitio motus conveniat mutationibus instantaneis? Dicuntur mutationes instantaneæ, illæ quibus subjectum transit de uno in aliud sine successione temporis, sed in instanti. Affirmat Paracelsus pluribus hinc, quibus subscribit N. Lusitanus. Et probatur. Quia Arist. hic post definitionem motus, ponit exemplum in generatione substantiali, quæ est mutatio instantanea. Accedit S. P. Augustinus, qui negans Angelos esse mobiles per loca, quod proprium est solius naturæ corporalis; ponit Angelos esse mobiles per tempora, quia jam intelligunt, & volunt hoc, jam aliud, quare mutant intellectiones, & volitiones, & per hoc differunt à Deo plenè immutabili, qui nec per loca, nec per tempora mobilis est. Sed motus intellectionis, & volitionis Angelicæ fit in instanti: ergo juxta S. P. Augustinum motus convenit mutationibus instantaneis.

Contraria sententia est verior, & communior, ut patet in Prado de mente D. Thomæ, & in Villanova de mente B. Ægidij in Examer. part. 1. cap. 11. Probatur ex Arist. hic text. 1. ubi dicit motum esse de genere continuorum. Et lib. 5. Physic. text. 3. & 10. probat ad substantiam non dari per se motum, quia non habens contrarium, fit in instanti, & non successivè: sed mutatio instantanea non est successiva: ergo non est motus strictus.

A ra-

A ratione probatur. Motus strictè sumptus petit essentialiter duo, nempe fieri successione temporis, & fieri inter terminos contrarios: sed mutatio instantanea non fit successivè, ut patet ex nomine; nec fit inter terminos contrarios, sed contradictorios: ergo non est motus strictus. Probatur major. Motus est essentialiter actus, quo subjectum ponitur mediū inter terminum à quo, & terminum ad quem, sed inter contradictoria nullum datur medium, benè verò inter contraria, v.g. inter album, & nigrum datur fuscum: ergo motus petit fieri inter terminos contrarios. Quoad alterum sic. Quod fit in instanti, non constituit subjectum partim in actu, & partim in potentia; unde non est actus entis in potentia secundum quod in potentia; sed adæquatè, & simul in eodem instanti ponit subjectum in termino, & quiete: ergo de ratione motus est fieri successione temporis. Vegetar. Quod movetur strictè, habet partem termini à quo derelicti, & termini ad quem acquirendi: sed quod in instanti transit ad terminum ad quem, habet in instanti totum terminum ad quem, & nihil de termino à quo: ergo strictè non movetur, sed mutatur.

Ad primū in contrarium respondemus cum BB. Thomæ, & Ægidio hic, Aristotelem posuisse exemplum motus, latè sumpti, ut est actus entis in potentia, qualiter comprehendit etiam mutationes instantaneas: non autem eo exemplo intendit exponere motum strictum. Hinc ex-

pone etiam sensum contrariæ sententiæ, quorum AA. loquuntur de motu latè sumpto; sicut DD. nostræ sententiæ de motu stricto, qui essentialiter successivus est.

Ad S. P. August. dic ibi sumere motum pro mutatione, quia intendit ostendere solum Deum esse immutabilem: at immutabilitati opponitur non solum motus strictus, sed latus, & mutatio instantanea: ergo ostendens Angelos esse mobiles latè, & motu instantaneo, habet intentum, nec est contra nostram sententiam. Imò aliquatè pro nobis est. Nā negat Angelos mobiles per loca, quoniam licet sint in loco, & moveantur localiter, nō tamè motu successivo, & quantitativo mollis, sed directo, & per quantitatem virtutis, aut per operationes indivisibiles, quæ constituunt tempora discreta: ergo non concedit Angelos mobiles motu stricto, sed lato, ut de Philosopho dictum est.

4 Hic forsitan dubitabis, cur inter terminos contrarios detur motus strictus, secus inter contradictorios? Dedimus communem doctrinam nempe, quod inter contrarios datur distantia successivè transcurrenda; & ideò fit transitus de uno in alium successione temporis. At inter contradictorios nullum datur medium, nec distantia; quare fit transitus in instanti, unde non est motus, sed mutatio.

Hæc ratio non videtur subsistens. Nam ideò D. Thomas, & cum eo B. Ægidius, negant, quod creaturæ sit communicabilis virtus creandi, quia est virtus infinita, & incommu-

nicabilis enti finito. Probant esse virtutem infinitam, quia est potentia agendi ex nihilo, unde debet vincere distantiam inter nihilum, & ens, quæ est infinita: sola autem virtus infinita potest vincere distantiam infinitam. Hac BB. Doct. sed en argumentum. Nam *ens*, & *nihil*, sunt extrema contradictoria, inter quæ mediat distantia infinita: ergo falso dicitur inter terminos contradictorios non esse motum, quia nullum cadit medium, nec distantia vincenda per motum.

Respondeo. Quod inter contrarios terminos est distantia determinata, & cadit medium quod est ens, & aliquid. Id patet in albo, & nigro, inter quæ cadit fuscum, quod est ens, & color: in frigido etiam & calido, inter quæ cadit tepidum. Et generaliter in qualitate, quæ suscipit magis, & minus, ut in Logica dictum est, datur contrarietas determinata distantia, cujus medium est aliquid, & ens. Ob id hoc medium est factibile, & per motum acquisibile successive. At inter nihil, & ens, (idem de alijs contradictorijs) non est distantia determinata, sed indeterminata, & infinita. Nec medium cadit quod sit ens, & aliquid, ut patet, quare distantia illa non habet quid factibile, & acquisibile per motum. Hinc utrumque concordat, nempe quod distantia sit infinita, & nullum cadat ibi medium, quia in illa distantia non est quid, ens, aut factibile. Præterquamquod si distantia illa deberet vinci motu successivo, deberet motus esse infinitus, & æternus, nec in

æternum perveniret ad terminum infinitè distantem.

§ II.

Explicatur quid sint actio, & passio, & quomodo differt actio à passione.

5 Gilbertus Porretanus lib. de sex principijs diffinit actionem sic: *Forma secundum quam in id, quod subjicitur, agere denominatur.* Quod approbat D. Thomas 1. p. q. 41. art. 1. ad 2. Ceterum hæc diffinitio est descriptiva, vel potius est etymologia nominis actio. Equidem essentia actionis non consistit in eo quod per illam denominemur agentes; sicut nec essentia qualitatis est quod secundum eam dicamur *quales*, ut in Logica dictum est.

Habet actio plura præter denominare nos agentes. Nam egreditur ab agente, & hic est conceptus *Ab*: recipitur in subjecto, & hic est conceptus *In*: est exercitium agentis, & sic vocatur actus secundus illius: habet producere terminum, & sic est causalitas productiva. Dubium est, quodnam horum sit essentia actionis?

Diximus in Logica ex B. Ægidio, quod actio est *via ad formam*. Vel *fieri rei prout ab agente*. Vel ut docet quæst. 7. de Esse, & essentia, est *Perfectio passivi prout ab agente*. Vel ut habet quæst. 4. de Mensura Angel. *Est actus ab agente in patiens*. Omnes diffinitiones coincidunt: & in omnibus

bus explicatur conceptus *ab*, qui essentialis est actioni, ut tali, nisi in prima, sed intelligenda est non de quacumque via, sed de via ad formam prout ab agente.

6 Hinc colliges quod essentia actionis consistit in egressu ab agente: unde tota ejus consistit in conceptu *Ab*, sicut passionis in conceptu *In*, & relationis in conceptu *Ad*. Quod autem actio sit exercitium agentis, & alia munera supra dicta exercent, id habet concomitanter, & physicè; non tamen essentialiter, & metaphysicè.

Probatur. Nam illud est essentia cujuslibet, quod primò intelligimus in eo: sed prius est actionem egredi ab agente, quàm quod sit perfectio ejus, causalitas illius, aut productio termini: ergo essentia actionis consistit in egressu ab agente. Minor patet, quia prius est habere esse à sua causa, quàm per tale esse perficere causam, & deservire ad productionem alterius: ergo munera actionis hoc ordine intelligenda sunt, ut prius egrediatur, deinde sit perfectio agentis, tandem productio termini.

Quod autem tota essentia actionis sit conceptus *Ab*, negatur à pluribus, qui dicunt in actione esse conceptum *In*: nam convenit genericè cum alijs prædicamentis accidentium: sed omne accidens inhæret subjecto, & sic habet conceptum *In*: ergo & actio habet conceptum *In* genericum: Genus autem est pars essentia.

Dicendum tamen cum B. Ægidio; quod actio ex sua essentia non

est entitas, sed quidditas, ut de relatione dictum est in Logica: ergo actio formaliter, ut talis, non petit subjectum inhærentis, sed tantum ratione termini. Ergo ut actio, non habet conceptum *In*. Præterea: Conceptus *In* est essentialis passioni, & distinctivus ejus ab actione, sed quod est distinctivum unius ab alio, nequit esse ratio conveniendi, & genus: ergo *In* non est genus. Scio Illustrissimum Godoy distinguere in passione duas *In*, unum commune omnibus prædicamentis, & hoc est genericum; aliud speciale passionis, & hoc est specificum, & differentiale. Ceterum, ut alia omittamus, dicendum est quod vel actio est entitas distincta ab actione, & sic habet *In* diversum; vel solum est modus, aut formalitas distincta, & sic non petit *In* distinctum. Sed Godoy, & Philosophi communiter non concedunt passionem esse entitatem distinctam ab actione: ergo ineptè astruitur in passione illud *In* duplex. Nec urget fundamentum contrarium, quod instatur in relatione, quæ sicut solum ratione fundamenti est ens; ita vi ejus solius petit *In*, & convenit cum alijs prædicamentis. Dic idem de actione, & passione, quæ sunt tantum ens ratione termini.

7 Passio juxta B. Ægidium est *Fieri rei prout in passivo*. Vel *Perfectio passivi prout in passivo*. Ex dictis pro actione colligitur passionis essentiam consistere in conceptu *In*: quare sicut actio essentialiter respicit agens, à quo egreditur, sic passio respicit passivum, in quo recipitur.

Dices: Per nos actio, quia est quidditas, non petit subjectum in: sed etiam passio est quidditas: ergo ejus essentia non consistit in conceptu in. Respondeo, quod passio non petit conceptu in pro seipsa, quia quidditas nec inhæret, nec recipitur. Petit conceptum in pro entitate termini, quæ in passo recipitur. Hæc entitas termini passo inhærens, ut sit actio, solum petit ab; ut autem sit passio petit in: & in hoc stat passionis essentia.

8 Quæ de actione dicta sunt, intellige de omni actione tam immanente, quam transeunte, quarum divisiones ex dictis facile percipies, & hæc tantum summarie proponam. Dicitur immanens, quæ manet in principio, à quo egreditur; sicut transiens, quæ non manet in agente, sed transit in exteriorem materiam. Hæc subdividitur in creativam, eductivam, & unitivam. Creativa est, quæ agit ex nullo præsupposito subjecto; eductiva quæ subjectum præsupponit circa quod, & in quod operatur; unitiva, quæ nil denuò producens, unit formam materiæ, ut est actio generativa hominis, quæ nec materiam nec animam producit, sed fruunt per creationem, unit tamen animam corpori, & sic dicitur unitiva. Quæ omnia patent ex dictis lib. 1.

Nota etiam ex dictis hic num. 3. quod sicut motus sumitur late, & strictè: sic etiam actio. Propria actio est, quæ vel est alteratio, vel cum alteratione conjungitur. Ratio est, quia cum alteratio fiat successivè, & non in instanti, ideo ipsa est motus stri-

ctus, & actio stricta, nec non quæcumque cum alteratione successiva conjungitur. Improperia actio est, quæ fit in instanti, ut omnes immanentes intellectus, & voluntatis, nec non generatio substantialis, ut distincta est ab alteratione, nam est actio instantanea. Hujusmodi actiones præsertim intellectus, & voluntatis, dicuntur Grammaticales, quia plus habent de nomine actionis, quam de re: unde non sunt actiones strictè, & philosophicæ, nam non habent motum successivum, & strictum, de quo solo agit Philosophus. Generatio autem, ut adjunctam habet alterationem successivam, sic est actio propria, non ratione sui, ut dictum est, sed ratione motus alterationis adjunctæ.

9 Hic dubitatur qualiter differant actio, & passio inter se? Aliqui tenent differre realiter entitativè, quia fundant diversas relationes agentis, & patientis; relatio autem apud ipsos est entitas distincta à fundamento. Ita Ioann. à Sancto Thoma, Bayona, & alij. Sunt qui negant distinctionem entitativam, sed admittunt distinctionem realem modalem. Ita plures antiqui Thomistæ, ut testatur Prado in Physica lib. 3. quæst. 3. §. 2. Aliqui teste Moneda, & Prado negant distinctionem entitativam, & modalem, sed admittunt distinctionem realem formalem, quam in Logica, & in Theologia impugnant contra Scotum. Sic Araujo 5. Metaphysicæ q. 1. art. 4. Lexma lib. 3. quæst. 4.

Probatum ex D. Thoma 1. p. q.

45. art. 2. ubi ait, quod actio, & passio conveniunt in motu; & ideo oportet, quod sublato motu, non remaneant nisi diversæ habitudines. Sed diversæ relationes differunt realiter inter se, vel entitativè, vel modaliter, vel formaliter ex natura rei, juxta sententiam quam quisque tenet de distinctione relationis à fundamento: ergo actio, & passio differunt realiter entitativè, modaliter, aut formaliter.

Probatum 2. à ratione sic. Implicat quod ab eadem forma oriatur duplex effectus primarius: sed agere, & pati, sunt duo effectus primarij; ergo actio, & passio, à quibus oriuntur, non sunt una forma, sed duplex realiter. Major patet, quia forma dans plures effectus, dat illos ordine primarij, & secundarij. Minor est certa, quia tam primarium est passioni pati, quam actioni agere.

Confirmatur. Vbi dantur duæ essentia completæ, directè pertinentes ad diversa prædicamenta, ibi datur distinctio realis: sed actio, & passio, sunt diversæ essentiæ, & spectant imò constituunt diversa prædicamenta: ergo differunt realiter. Confirmatur 2. Diversæ relationes petunt diversa fundamenta; & sic diversam entitatem: sed actio, & passio, sunt diversæ relationes ad agens, & ad patientem: ergo distinguuntur entitativè.

Tertiò: Quæ differunt genere, plus differunt, quam quæ solum specificè, vel solo numero: sed quæ differunt solo numero, differunt entitativè: ergo & actio, & passio, quæ dif-

ferunt genere. Quartò: Res constitutiva prædicamenti juxta Philosophum est à parte rei una; unum autem juxta Philosophum est indivisum in se, & divisum à quolibet alio: Sed actio est constitutiva sui prædicamenti: ergo realiter distincta à passione, quæ est res constitutiva alterius prædicamenti.

10 Secunda sententia docet quod tantum differunt ratione. Ita Prado ubi supra citans aliquos Thomistas, & Suarezium cum DD. Societatis, Probatum ex Philosopho hic textu 3. docente actionem, & passionem, nõ plus differre, quam via qua Athenis itur Thebas, à via qua Thebis itur Athenas. At hæc via est eadem cum sola distinctione rationis: ergo actio, & passio solum differunt per rationem. Idem docuit Arist. hic textu 21. & 22.

Accedit D. Thomas ibi lect. 4. necnon lect. 5. ubi ait: Idem actus secundum rem, est duorum secundum rationem diversam: agentis quidem secundum quod est ab eo, patientis autem secundum quod est in ipso. Vide alia multa loca D. Thomæ, quæ adducit Prado, quæ sanè distinctionem entitativam excludunt, & non parum suadent esse solius rationis.

A ratione probatur. Quia non sunt multiplicandæ entitates, aut modi sine necessitate: sed nulla est necessitas ponendi varias entitates, aut modos in actione, & passione: ergo non differunt entitativè, aut modaliter. Probatum minor. Idem spatium cum solo diverso respectu principij, & termi-

termini vocatur ascensio, & descensio. Idem entitativè, & modaliter, quod oritur ab agente, recipitur in passio: sed ut oritur ab agente est actio, ut recipitur in passio est passio: ergo sine multiplicatione entitatis, & modi, cum sola distinctione rationis stat actio, & passio.

11 Nostra sententia negat distinctionem realem entitativam, modalem, aut formalem, negat insuper esse solam distinctionem rationis: quare astruit actionem, & passionem differre realiter quidditivè. Sic B. Ægidius hic text. 22. qui licet citetur à N. Villanova pro sola distinctione rationis, exponendus est de distinctione quidditativa consequenter ad dicta in Logica de mente B. Ægidij circa distinctionem relationis à fundamento.

Prima pars probatur ex S. P. Augustino 9. de Trin. cap. 3. ubi ait: *Amans enim, & quod amatur, idem est, quando quis seipsum amat: sicut amare, & amari eodem modo idipsum est, cum se quisque amat. Eadem quippe res bis dicitur, ut cum dicitur amat se, & amatur à se.* En in actione amoris, qua quisque agit in seipsum, eò quòd est reflexiva, agens, & passum sunt eadem res, nec realiter differunt amans, & amatum. Sed en etiam apud S. P. *amare, & amari*, quæ sunt actio & passio, sunt eadem res; sed quæ bis dicitur activè, & passivè.

Hic insinuat S. P. actionem, & passionem nullo modo realiter differre: ceterum ex dictis in Logica lib. 6. q. 9. num. 13. haberur di-

stinctio quidditativa relationis tum à fundamento, tum unius ab alia de mente S. Patris. Imò ipse disertis verbis in lib. de Categor. cap. de relatione insinuat: *Nò esse importunum si una res duarum categoriarum vocabulo concludatur*, quo excludit distinctionem entitativam: cum quæ stat quidditativa realis, ut in Logica ostensum est.

Fundamenta posita num. 10. probant benè non dari distinctionem entitativam. De modali suadet etiam, quia nullus modus constituit prædicamentum, imò nec directè spectat ad prædicamentum, sed indirectè ad prædicamentum rei, cuius est modus, ut dicitur communiter in Logica, & patet in unione, substantia, & alijs, quæ non ponuntur directè in prædicamento substantiæ. Sed actio, & passio sunt, & constituunt diversa prædicamenta: ergo modi non sunt, nec differunt modaliter. De distinctione formali ex natura rei, nil addimus contra Scotistas, sed repominimus dicta in Logica lib. 3. quæst. 7. Contra Thomistas autem hic eam admittentes, unicè cum Magistro Moneda notamus inconsequentiam.

12 Restat contra DD. secundæ sententiæ probare distinctionem realem quidditativam. Hæc suadet ex dictis pro relatione. Nam quæ habent essentias distinctas, habent diversas quidditates, & sic differunt quidditivè: sed actio & passio, habent diversas essentias, ut patet ex definitionibus datis: ergo differunt quidditivè. Quòd autem ea distinctio quid-

quidditativum sit realis, probatur. Quia licet actio, & passio dicant rem, nempe entitatem termini, quæ eadem est, ut ex Philosopho, S. P. Augustino, & BB. Thoma, & Ægidio ostensum est, at dicunt illam sub diverso ordine ad agens, & ad patiens. Sed ordines illi sunt relationes realiter diversæ, quæ non minus differunt inter se, quàm à fundamento, à quo differunt realiter quidditivè, ut in Logica dictum est: ergo actio, & passio differunt realiter quidditivè. Vide infra num. 16.

Confirmatur. Plus differunt agens, & patiens, ut talia sunt reduplicativè; quàm specificativè sumpta. Patet hoc, quia aliquando idem subjectum potest esse agens, & patiens, ut ait S. P. Augustinus in Psal. 126. exemplo illius, qui excutit seipsum; ipse enim est excutiens, & excussus, unde est agens, & patiens, at numquam idem reduplicativè, quia cum ratio agendi non sit ratio patiendi, agens, ut agens, non est patiens, nec potest agere in seipsum sub eadem ratione, sed sub diversa. Sed agens, & patiens reduplicativè sumpta, solum addunt actionem, & passionem: ergo per actionem, & passionem differunt agens, & patiens reduplicativè sumpta. Sed distinctio agentis à patiente, ut tali, est realis: ergo actio, & passio, quæ sunt ratio distinguendi, differunt realiter.

13 Ad fundamenta primæ sententiæ posita num. 9. respondemus, & ad autoritatem D. Thomæ, dic, eam esse pro nobis, nam S. Doctor dicit

quòd sublato motu, actio, & passio sunt diversæ habitudines, & relationes: at relationes cum non habeant ratione sui nisi quidditatem realem, nequeunt differre inter se entitativè, aut modaliter, benè tamen quidditivè: ergo ibi S. Doctor docet sententiam nostram de distinctione reali quidditativa. Vnde nego minorem.

Ad rationem probativam dic 1. actionem, & passionem non esse formas, quia forma dicit entitatem; sed esse quidditates. Dic, 2. quòd eadem entitas termini est forma denominans agens, & patiens. Quòd si dubites quomodo? Respondet D. Thomas ubi supra, quòd sub diverso respectu ad agens, & ad patiens. Hoc amplius explicamus. Nam ille duplex respectus est duplex quidditas: ergo utraque habet suum effectum primarium; nec hoc inconvenit. Relatè autem ad entitatem termini forsan non sunt æquè primarij, imò nec effectus ejus. Quia constituere agens, & patiens non est effectus termini, ut talis, nec ut entitas est; sed ut fundat quidditates diversas *ab, & in*.

Prima confirmatio est pro nobis, suadet enim distinctionem realem quidditativam, ut patet. Ad 2. nego majorem, nam, ut vidimus ex D. Thoma, eadem res fundat respectum ad agens, à quo egreditur, & ad patiens, in quo recipitur. Vide num. 10. sufficit enim quòd entitas connotet diversa, ut diversas fundet relationes.

Ad 3. dic, quòd distinctio ut oppo-

opponitur identitati, major est quando est numerica; nam quæ numero differunt, numquam sunt idem entitativè. Ut autem distinctio opponitur convenientiæ, & unitati, sic magis differunt, quæ distinguuntur genere, aut specie, quàm numero; nam numerica magis conveniunt. Sub hac distinctione, nil probat tertia confirmatio. At 4. dic, quod unitas, quæ est passio entis, non datur in actione, & passione ratione sui formaliter, quia sic non sunt ens, & res, sed quidditas; datur tamen in eis talis unitas identicè, ratione termini. Unitas propria quidditatis datur in actione, & passione. Ceterùm ex argumento nil probatur vi unitatis distinctæ, nisi esse quidditates diversas; & hoc est sententia nostra.

Ad fundamenta secundæ sententiæ, posita num. 10. respondemus breviter ea esse pro nobis, ut negamus distinctionem entitativam, & modalem, nec esse contra nostram distinctionem quidditativam: nam cum hæc solum pendeat ex diversis relationibus ejusdem termini ad agens, & patiens, eas admittit D. Thomas in auctoritate nobis objecta, tenens eundem actum secundum rem (ecce exclusio distinctionis entitativæ) esse duorum secundum diversam rationem (intellige diversam quidditatem propter sequentia) agentis quidem secundum quod est ab eo (en quidditas actionis, nempe actus ille, ut ab agente) patientis autem, secundum quod est in ipso (en quidditas passionis, nempe actus ille, ut in passio). Sic expone alias au-

thoritates D. Thomæ. Nec exemplum viæ adductum ex Arist. est contra nos, quia solum adducitur, & opportunè, ad excludendam distinctionem entitativam, aut modalem.

Ad rationem, ibi inductam, dic, illam probare contra distinctionem entitativam, aut modalem; sed non contra quidditativam. Nam ut concedit arguens, idem recipitur in passio, quod est ab agente; ceterùm habet diversos respectus ab, & in, relatè ad agens, & patiens. At isti respectus sunt quidditates distinctæ, & actu distinctæ ante operationem intellectus; non enim actio ut egrediatur ab agente, & recipiatur in passio, expectat beneficium intellectus; nec distinctio inter egressum, & receptionem, est per intellectum, sed realis: ergo ex ipso argumento secundæ sententiæ probatur distinctio realis quidditativa actionis à passione, cum exclusionem distinctionis entitativæ, aut modalis.

§. III.

Declaratur an motus realiter differat ab actione, & passione?

15 **T**enent motum realiter distingui ab actione, & passione, quotquot distinguunt realiter passionem ab actione. Probatur hæc sententia. Primò: Quia quæ realiter separantur, realiter distinguuntur: sed creatio est actio, & hæc potest dari sine motu, & sic datur, ut docet D. Thomas 1. p. q. 45. art. 2. & 3. ergo actio,

actio, & passio realiter distinguuntur à motu. Idem argumentum fit de actione, ut probetur distincta à passione; nam creatio est actio, & tamen non est passio: ergo actio realiter differt à passione,

Secundò: Si actio, passio, & motus sunt idem, sicut actio convenit agenti, sic passio, & motus; sed hoc est falsum: ergo non sunt idem. Probatur minor. Quia alioquin agens esset passum, & motum; sicut est agens, quia ei convenit actio. Tertio ex nostro Veneto, qui tenet hic textu 19. eandem sententiam. Actio est actus perfecti, habens in se suam perfectionem: sed motus non est actus perfecti, sed imperfecti, & habet suam perfectionem per ordinem ad aliud: ergo distinguitur ab actione.

Confirmatur 1. Actio non est actus mobilis secundum quod in potentia: sed motus est actus mobilis secundum quod in potentia: ergo actio non est motus. 2. Actio non habet subjectum, admixtum actu & potentia: sed motus illud habet: ergo idem. 3. Actio habet totum suum esse simul: sed motus non ita: ergo distinguuntur. 4. Si actio, & passio essent idem cum motu, essent idem inter se; nam quæ sunt idem cum uno tertio &c. Sed actio & passio non sunt idem inter se, ut supra probatum est: ergo nec sunt idem cum motu.

16 Contraria sententia videtur expressa in D. Thoma 1. p. q. 45. art. 2. ad 1. ubi ait: *Quod actio & passio conveniunt in substantia motus, &*

differunt solum secundum diversas habitudines, ut dicitur 3. Physicorum. Vbi patet S. Doctorem approbare in Summa Theologiæ quæ dixit in Philosophia circa identitatem actionis, & passionis, & utriusque cum motu: Vbi etiam observa confirmare doctrinam nostram de distinctione quidditativa actionis à passione penes diversas relationes ad agens, & patiens, ut dictum est. Eandem sententiam docet cum B. Ægidio ubi supra N. Villanova.

Probatur ratione. Id quod emanat ab agente per modum fluxus, est motus: sed ut emanat ab agente est actio, & est actus movens, illud denominans movens, & agens; ut autem recipitur in passio: est passio, & actus mobilis, ipsum denominans patiens: ergo idem motus, sub diversis tamen respectibus, est actio, & passio: nec apparet quod sit entitas, aut modus distinctus ab actione, & passione.

17 Nostra sententia cum Villanova docet, quod motus non differt ab actione, & passione (adhuc quidditativè) si uniformiter sumantur; hoc est comparando motum strictum cum actione stricta, & latum cum lata. Si verò non sumantur uniformiter, sic distinguuntur realiter modaliter. Observa quod motus, & motio aliter in rigore significant, nam motio significat actionem agentis movens, & dicit respectum ad agens; motus autem est nomen passivum significans passionem mobilis ab agente. At hic non insistimus in vo-

ce, sed motum sumimus pro ea actualitate, quæ egreditur ab agente, & recipitur in passo: & de motu sic procedit dubium, & sententia nostra.

Probatur nostra sententia tum ex dictis pro secunda, tum explicando primam partem. Sume motum in tota latitudine: sic comprehendit omnes motus sive strictos, & physicos, qui sunt successivi, sive latos, ut sunt motus intentionales, & mutationes instantaneas. At etiam actio in tota latitudine comprehendit actiones strictas & latas, physicas & intentionales: ergo sic sumptis motu & actione, sunt idem.

Rursus, motus strictus comprehendit solum successivos, non autem instantaneos, qui non sunt motus, sed mutatio, ut dictum est num. 3. At etiam actio stricta est talis, nam solum comprehendit successivas, vel quæ cum alteratione, & successione conjunguntur: ergo, sic sumptis, non adest distinctio motus ab actione.

Sume tandem motum latum, qui est instantaneus: Hic solum comprehendit mutationes instantaneas, & intentionales, quæ non habent contrarietatem. At etiam actio lata supra explicata eadem comprehendit: ergo non distinguuntur. Quomodo autem actio, & passio differant quidditative; & tamen à motu nec quidditative differant, dicemus in solutione 4. confirmationis.

Si tamen non comparentur uniformiter, sic distinguuntur realiter modaliter. Hoc probant fundamenta

primæ sententiæ. Et ostenditur. Nam motus strictus habet successionem, qua calor ut octo paulatim intenditur. Si autem hic calor fieret in instanti, tunc daretur actio lata, & terminus, nempe calor, & ea essent idem; ceterum deficeret illa successio, quæ modus est, relictus ex qualitate paulatim intensa. Similiter intellectio, & volitio sunt actiones; ceterum non sunt motus strictus, nec fiunt cum motu.

18 Quæres: Si motus est idem cum actione, & passione, cur eum explicavit Philosophus per ordiem ad passum in diffinitione, & non per ordinem ad agens? Respondeo, causam esse vocem ipsam, quæ ut differt à voce motio, explicat respectum passivum. Potest autem uterque respectus explicari sic: *Motus est actus entis in potentia, secundum quod in potentia, ortus ab agente.*

Quæres secundò. Si motus est idem ac actio, & passio, cur ista ponuntur in prædicamento, secus motus? Respondeo, quòd in motu confunditur uterque respectus agentis, & passivi, qui exprimitur per actionem, & passionem. Prædicamenta autem sunt series distinctæ, nec debent esse confusæ. Adde, quòd nec actio in communi, ut comprehendit omnes, ponitur in prædicamento, sed sola actio stricta, & successiva. Sic ad idem spectat motus strictus. Quod si interdum dicitur, quòd motus pertinet ad prædicamentum sui termini, ut motus localis ad prædicamentum ubi, alterativus ad qualitatem, augmen-

tativus, vel diminutivus ad quantitatem; tunc est sermo de motu identicè sumpto, ut habente solam entitatem termini, quæ in talibus locatur prædicamentis.

19 Ad fundam. posita num. 15. respondemus, & ad 1. dicimus quòd creatio activè sumpta, identificatur cum Deo, & de ipsa non est sermo nunc, sed de creatis. Creatio passivè sumpta, non stat sine motu lato, quia & ipsa est actio lata instantanea; stat tamen sine motu stricto, sed hoc non est contra nos, quia non sumis jam uniformiter motum, & actionem. Ad aliud de actione, & passione, dic, quòd creatio passivè sumpta, est simul actio, & passio: unde non stat actio creata sine passione.

Ad 2. nego majorem. Nam licet sint idem actio, & passio quoad entitatem, sunt tamen diversa quidditative penes diversos respectus ad agens, & patiens: & cum respectus ad passum sit passio, & ille respectus non conveniat agenti; illi non convenit passio. Idem dic de motu, qui activè sumptus, convenit agenti, sed non passivè, nam ita solum respicit passum, & mobile.

Ad 3. dic, quòd actio instantanea, quæ est tota simul, ut intellectio, volitio, sensatio &c. est actus perfecti; & etiam motus latus instantaneus est actus perfecti, plenè complens subjectum. Motus autem successivus est actus imperfecti, & relinquit subjectum in potentia: ceterum idè habet actio stricta, & successiva, ut dictum est. Quo fit, ut argumentum Veneti

probet actionem instantaneam distinguì à motu successivo, & è contra, quod non negamus: sed non probat distinguì motum, & actionem, si sumantur uniformiter.

Ad 1. confirmationem dic, quòd actio instantanea non est actus mobilis secundum quod in potentia; ceterum idem habet motus instantaneus. Illa ergo diffinitio motus est pro stricto, & successivo, sed verificatur uniformiter de actione successiva. Ad 2. patet ex dictis, nam tam motus, quàm actio successiva, habent subjectum mixtum actu & potentia: secus actio instantanea & motus latus. Ad 3. dic, quòd motus instantaneus etiam habet totum suum esse simul, & ob id est instantaneus. Motus successivus non sic; ceterum nec sic etiam actio successiva.

Ad 4. nego sequelam maj. Licet enim actio, & passio sint idem quidditative cum motu, non sunt idem inter se. Sicut licet materia, & forma sint idem entitative cum composito non sunt idè inter se; nec animal & rationale, quæ sunt virtualiter idem cum homine, non sunt inter se idem virtualiter. Omnium ratio est, quia illud principium *quæ sunt idem cum tertio &c.* solù valet, quando illud tertium est unum unitate simplicitatis, secus unitate compositionis. Rursus, debet esse unum tam realiter quàm virtualiter. Quare nec probat in exemplis datis; nec etiam in divinis, ubi ex identitate Personarum cum essentia, non sequitur identitas Personarum inter se. Motus ergo cum quo actio,

& passio identificantur quidditative, non est unica simplex quidditas, sed duplex, quia est duplex relatio ad agens, & ad mobile: ergo non est

Physicorum:
tertium opportunum ad inferendam identitatem quidditativam actionis, & passionis inter se.

Q V Æ S T I O II.

An motus, & actio distinguantur à termino?

§ I.

Probata distinctione actionis ab agente, & passo; referuntur sententia de distinctione actionis à termino.

EX quæstione præcedenti constat actionem non distinguì à motu, quare quidquid infra disputabitur de actione, dictum intelligit de motu uniformiter sumpto. Omnes fatentur, ut certum, actionem distinguì ab agente, & passo, sed non eodem modo probatur. Ex nostris principijs id suadeo sic.

Et de actione relatè ad agens. Nulla causa creata identificat secum suum ultimum exercitium agendi: sed actio, & motus sunt exercitium ultimum agentis: ergo hæc distinguuntur realiter ab agente. Probatur major. Solus Deus, qui est prima causa efficiens, identificat secum suam actionem, & exercitium operandi. Rursus: Nulla causa creata agit per virtutem secum identificatam, ut ostensum est lib. 2. q. 10. ergo nulla agit per actionem secum identificatam. Patet consequentia, quia implicat quòd causa identificet secum operationem, & non identificet virtutem mediantem inter causam, & opera-

tionem. Tandem. Nam quæ separantur, realiter distinguuntur: sed agens sapius separatur à sua actione, & motu, nempe quando quiescit, & non agit: ergo.

De actione relatè ad passum sic. Motus, & actio recipiuntur in mobili, & passo; ut patebit ex dicendis: sed recipiens, & receptum, realiter distinguuntur; nihil enim potest seipsum recipere: ergo motus, & actio distinguuntur à passo. Rursus motus, & actio sunt actus mobilis & passivi; passum autem & mobile sunt potentia ad motum: sed actus, & potentia reales differunt realiter: ergo &c. Hęc doctrina est certa de omni actione tam successiva, quàm instantanea, nam tam verum est intellectum distinguì ab intellectu efficiente, & ab anima recipiente, quàm calefactio à calefaciente, & calefactibili. De distinctione agentis à passo actum est supra lib. 2. quæst. 19. §. ubi ostensum est idem posse agere in seipsum quoad secundum esse, non quoad

Quæstio II.

quoad primum. De quo intellige illud S. P. Augustini Psalm. 126. hominis excutientis se ipsum, & seipsum amantis. Verba dedimus quæ præcedente.

2 Circa distinctionem actionis à termino duæ sunt capitales sententia. Prima dicit realiter distinguì, licet discriminentur, Thomistis tenentibus esse distinctionem solum modalem, alijs contendentibus esse entitativam. Pro hac ultima citantur nostri Venetus 3. Physic. q. 3. Argentinas in 2. dist. 19. q. 1. art. 1. Ceterum, ut bene observat N. Villanova, hi solum docent distinctionem modalem motus à termino.

Probatur hæc sententia 1. ex D. Thoma in 4. sent. dist. 44. q. 1. art. 1. & q. 2. ad 2. dicente: *Constat enim quòd generatio, & resurrectio non sunt idem motus; nec tamen propter hoc impeditur identitas resurgentis.* En motus generationis, & resurrectionis non sunt idem, sed diversi, ut ait D. Thomas, & constat ratione, nam fiunt diversis temporibus, & à diversis agentibus, nempe à generate creato, & à Deo unica causa resurrectionis. Sed si motus illi essent idem cum termino, essent idem inter se, juxta illud principium: *Quæ sunt idem cum tertio &c.* ergo motus juxta D. Thomam non est idem cum termino, sed ab eo differt realiter.

Rursus, quæ realiter separantur, realiter distinguuntur: sed generatio transit, & non est, cum tamen genitum maneat, & existat: ergo quia realiter à termino genito distinguuntur,

tur. Tertio: motus est causa termini; unde generatio causat rem genitam, resurrectio rem suscitata: at nemo potest esse causa sui, sed alterius realiter distincti: ergo motus, & actio realiter differunt à termino. Quarto: via non est terminus via: sed motus, & actio sunt via ad terminum: ergo differunt realiter à termino.

3 Probatur 2. eadem sententia ex differentia inter efficientiam, & emanationem. Nam hæc juxta Philosophos consistit in eo, quòd illud, quod emanat, oritur à principio sine actione distincta; quod verò fit, oritur per actionem distinctam. Vide dicta lib. 2. q. 10. §. 7. Sed si actio non distinguitur à termino, jam nihil sit per actionem distinctam: ergo omnia dimanant, aut omnia æqualiter efficiuntur. Et urgetur. In nostris principijs, substantia non est immediatè effectiva, licet sit principium immediatum emanationis plurium accidentium: sed hoc idem est, quia ad emanationem non requiritur actio distincta, medians inter principium, & terminum, quæ requiritur ad veram efficientiam: ergo actio, quæ est vera efficientia termini, realiter distinguitur ab eo, & mediat realiter inter principium, & terminum.

Confirmatur. Si actio non distinguitur à termino, actio productiva substantiæ erit substantia, & non accidens: ergo ab illa poterit sine inconvenienti specificari substantia, si esset immediatè operativa. Hoc est contra D. Thomam, ut dictum est lib. 2. q. 10. Rursus. Nulla erit actio,

actio, quæ sit de prædicamento actionis, sed omnis erit de prædicamento sui termini. Hoc est tollere prædicamentum actionis. Præterea: non esset falsum ad unam actionem dari alteram, quod abhorret natura, & negant omnes. Patet sequela. Nam ad terminum datur actio; cum tamen terminus actio sit: ergo si identificantur actio & terminus, datur actio ad actionem.

4 Tertium fundamentum ejusdem sententiæ sumitur ex conceptu essentiali actionis. Actio juxta Philosophos non fit ab agente, sed dimanat; terminus autem non dimanat, sed efficitur ab agente: sed fieri, & non fieri, dimanare, & non dimanare, sunt contradictoria, quæ non possunt convenire eidem entitati: ergo actio & terminus sunt entitates distinctæ. Rursus, actio est causalitas agentis; terminus non est causalitas, sed terminat causalitatem. Agens quiescit in termino, secus in actione, quæ est motus, & via ad terminum. Actio non est effectus, sed effectio; terminus autem non est effectio, sed effectus: sed esse, & non esse &c. ut supra.

Confirmatur. Actio est causalitas agentis, qua constituitur operans in actu secundo: sed terminus non ita constituit: ergo actio non est terminus. Probatur minor. Id constituit agens operans in actu secundo, quod determinat illius virtutem ad operandum: sed terminus non ita determinat, sed sicut supponit virtutem causantem, sic supponit virtutem deter-

minatam ad causandum: ergo.

Confirmatur ex Suariorum, & Ariaga. Ignis v.g. productus ab igne A, potuit ab alio produci: ergo potuit esse sine actione, qua productus est ab igne A, & sic ab ea separari, quod est signum distinctionis. Probatur consequentia. Quia per nos actio nil est aliud, quam effectus ut ab hoc agente. Sed potuit ille ignis esse, & non ab hoc agente, sed vel à Deo, à sole, vel ab alio igne: ergo potuit esse sine illa actione, qua de facto productus est.

Tandem si actio Dei ad extram non distinguitur à termino: ergo Omnipotentia, quæ est actio Dei ad extram, non distinguitur à creaturis, quæ sunt terminus ad extram. Sed hoc est absurdum: ergo absurdum est negare distinctionem realem actionis à termino.

5 Secunda sententia docet motum, & actionem non distingui realiter à termino, sed solum per rationem. Citatur pro hac N. Arimin. in 2. sent. dist. 1. q. 4. ubi latissimè septem conclusionibus propugnat non dari distinctionem realem: dubium est tamè, an modalem, an solam entitativam excludat. Pro eadem sunt nostri Saxonia, Veracutus, & Lusitanus citati à Villanona hic; fuitque aliquorum antiquorum, quos suppresso nomine citat N. Argentinas ubi supra.

Probatur hæc sententia 1. ex Philosopho hic text. 4. dicente: *Non est autem motus præter res ad quas est motus.* En nil est motus præter res, ad

quas

quas est: ergo sentit motum indistinctum esse realiter à termino. Cõsonat Commentator hic 3. Physic. comm. 4. ubi ait: *Motus uno modo* accipitur pro forma fluente; alio modo pro fluxu formæ. Primus modus est verior, secundus famosior. En sumpto motu in veriori acceptione nil est, nisi forma fluens, hoc est forma successivè, & cum fluxu facta. Sed hæc est terminus motus: ergo motus non distinguitur à termino.

Probatur 2. ratione. Quæ differunt realiter absolutè, possunt saltem divinitus separata consistere: sed actio, & terminus non possunt adhuc divinitus existere separata; implicat enim quoddam Deus ponat dealbationem sine albedine; aut albedinem sine dealbatione: ergo motus, & actio non differunt realiter à termino.

Confirmatur. Si motus realiter differret à termino, tunc naturaliter prius esset completus motus, quam terminus esset completus; actio enim, sicut agens, præcedit natura suum terminum, si ab eo distinguitur: at impossibile est, quoddam completo motu pro priori, terminus compleatur pro posteriori: ergo idem. Probatur minor. Si terminus completeretur pro posteriori, terminus pro posteriori moveretur ad suum complementum: sed implicat quoddam completo motu pro priori, moveatur terminus pro posteriori; nam tunc vel moveretur sine motu, vel moveretur in posteriori per motum finitum in priori, quod utrumque est implicatorium: ergo.

Confirmatur 2. Si motus dif-

ferret à termino, jam passum reciperet duo realiter distincta, nempe motum, & terminum: ergo stante unico motu cum suo termino, passum bis moveretur, quod est implicatorium. Probatur sequela. Passum non aliter movetur, nisi recipiendo actualitatem ab agente: sed in sententia distinguente, passum duas actualitates reciperet ab agente, nempe motum, & terminum: ergo bis moveretur unico motu.

6 Probatur 3. à ratione. Actio creativa non differt realiter à termino creato: ergo nulla, nec quæ est cum motu. Patet consequentia, tum quia rationes primæ sententiæ æquè probant de omni actione, ac de nulla, ut patet. Tum quia non est minus factiva sui termini creatio, quam eductio, vel alteratio; imò magis, quia creatio nil termini supponit, unde totum facit ex nihilo, secus eductio, quæ agit ex subjecto præsupposito. Sed tota distinctio probatur ex actione; quia nil potest facere seipsum: ergo si creatio est magis factiva, & tamen non distinguitur à termino; nulla actio distinguitur.

Probatur antecedens. Si creatio distingueretur à termino, creatio esset creatura; nam esset quid creatum, & temporale, & sic creatura: sed hoc implicat, nam tunc creatio crearetur, cum omnis creatura creetur: unde creatio fieret per aliam creationem distinctam; & sic in infinitum. Ergo standum est in primis, & dicendum quoddam creatio non distinguitur à termino.

Probatur 2. idem antecedens. **Omne quod est in creatura, vel est substantia, vel accidens: sed si creatio distinguitur à termino, nequit esse substantia, vel accidens: ergo non distinguitur.** Probatur minor. Creatio distincta, non est materia, forma, aut compositum, in qua dividitur substantia adæquatè juxta Philosophum 2. de Anima text. 2. Rursus, non est accidens, quia omne accidens præsupponit subjectum; creatio autem nil præsupponit: ergo cum nil horum sit creatio, nil est distinctum à termino.

Probatur 3. idem antecedens. **Creatio, si distinguitur à termino, quid addit supra terminum: sed hoc non est assignabile: ergo nec distinctio ejus à termino.** Probatur minor. Nam illud additum nequit esse substantia, aut accidens, ut probatum est; aliunde nec relatio creaturæ ad Deum, quod probatur sic. Relatio illa durat quantum durat creatura, quæ ad Deum refertur: ergo si in ea consisteret creatio, hæc duraret, quantum creatura: ergo non semel crearetur creatura, sed continuò per totam suam durationem crearetur, quod à nemine dictum est.

§ II.

Nostra sententia proponitur, & probatur.

7 **N**ostram sententiam cum Villanova ubi supra proponimus duplici conclusione ad men-

tem B. Ægidij. Prima est, quòd motus vel actio successiva distinguitur à termino realiter modaliter. Secunda est, quòd motus latus, & actio instantanea, differunt realiter quidditative à termino, non autem entitative, aut modaliter. Hic observandum cum P. Suario disp. 49. Metaphysicæ sect. 2. omnes ferè DD. convenire in distinctione actionis à termino, nam manet terminus transacta actione, licet non è contra. Item terminus, qui nunc factus est ab hoc agente per istam actionem, potuit ab alio fieri per aliam. Hæc indicant distinctionem, sed dubium est qualem? Qui negant realem, recurrunt ad connotata defectibilia, ut de unione materiæ cum forma dicitur à DD. negantibus distinctionem realem. Qui verò non recurrunt ad connotata, astruere debent aliquam vel entitativam, vel modalem; & hæc ultima communior sententia est.

Nostra sententia quoad utramque conclusionem probatur ex S. P. August. lib. de Categ. cap. 13. ubi agit de actione, & passione immediate post qualitatem, & dicit: *Id autem quod calidum fit, passione sui accipit qualitatem, nempe calorem.* Vbi vides, quòd præsciendò à modo, quo calidum fit calidum, nempe successive, & cum motu, aut sine motu & in instanti, fieri calidum nil est aliud, quàm recipere calorem, qui est terminus. Quia verò qualitas habet contrarietatem, & latitudinem gradualem, successive transcurrendam per motum, & actionem successivam; idè

idè S. P. dicit, quòd actio, & passio etiam habent contrarietatem, & gradualem latitudinem, quam habet qualitas terminans. Dicit sic ibi: *Namque, & contrarietatem non respuunt, quam qualitas recipit, & magis, & minus admittunt, quorum qualitatem diximus receptive.* En argumentum. Fieri calidum ex terminis, nihil est aliud præter recipere calorem; fieri autem calidum successive, & cum motu, addit supra receptionem caloris modum illum successive receptionis penes magis, & minus, & receptionem partis post partem, quæ oritur ex contrarietate termini. Ergo licet in motu, & actione successiva detur modus additus termino; secùs in actione instantanea, quæ nil addit supra terminum.

Traditur hæc sententia à B. Ægidio quæst. 7. de Esse, & Essentia, ubi ait: *In successivis, & in his, quæ non fiunt simul, non est idem terminus cum eo, cujus est terminus. Ut forma non est idem quod motus ad formam.* Loquitur de distinctione modali, ut patebit ex ratione illius adducenda. Idem docuit D. Thomas Opusc. 48. & alijs locis citatis à Prado.

8 Probatur ratione Ægidiana. Quia partes substantiæ esse extensas, est unam esse extra aliam; idè partes substantiæ esse extensas, est modus distinctus à substantia, quem non habet, dum est tota simul: ergo quia partes motus esse successivas, est unam fieri post aliã; idè sic fieri est modus quidam, distinctus à termino, quem non habet terminus, dum fit totus si.

mul, & in instanti. Antecedens constat ex dictis in Logica lib. 6. q. 5. tum in Philosophia lib. 2. q. 7. §. 3. consequens eisdem terminis constat, ac antecedens, & consequentia legitime infertur.

Explicatur. Pone calorem factum successive, hoc est partem post partem. Pone eundem factum in instanti. Quærimus, an fieri successive sit modus distinctus à calore factò in instanti? Si affirmas, das nobis intentum, nempe quòd actio successiva addit modum supra entitatem termini. Si neges, teneris negare quòd extensio partium substantiæ, qua habet partes post partes, sit modus quantitativus distinctus à substantia. Sed habes contra te quæ dicta sunt locis citatis.

Confirmatur. Quòd calor fiat successive, est quid separabile à calore, nam hic potest fieri in instanti: ergo est quid realiter distinctum. Jam verò quòd tale sit modus, probatur tum paritate adducta de partibus extensis substantiæ; tum ratione. Nam idè substantiam habere partes, est modus, quia est determinatio substantiæ orta à natura quantitatis. Sic enim supra definitus est modus lib. 2. Physic. q. 7. §. ultimo. Sed etiam fieri successive, & partem post partem, est determinatio quædam orta à natura formæ, quæ fit, quæ habet partes, & latitudinem gradualem; & ob id supra dixit S. P. Augustinus quòd actio, & passio admittunt eandem contrarietatem, & magis, & minus, sicut qualitas ad quam terminantur: ergo fieri

fieri successivè, modus est distinctus à termino.

9 Probatum etiam à N. Argentina sic. Quod est formaliter, imò essentialiter successivum, realiter differt à permanente; unum non potest habere partes simul, aliud verò nempe ens permanens, vel nullas habet partes, ut anima nostra, vel potest illas habere si nō, ut anima plantæ: at motus est essentialiter successivus, ut constat ex ejus definitione; terminus autem est ens permanens: ergo realiter differunt, saltem modaliter.

Confirmatur. Illa, quæ tales habent essentias, ut non possint esse simul, non possunt esse idem. Patet hoc, quia esse idem est magis, quàm esse simul, & illud supponit hoc. Sed motus, & terminus tales habent essentias, ut non possint esse simul: ergo nec possunt esse idem realiter. Probatum minor. Numquam acquiritur terminus, nisi finito motu; nec enim nisi finita via adest terminus, nec quiescit agens in termino, nisi finito motu: ergo attentis essentijs, motus, & termini, numquam possunt esse simul.

10 Secunda conclusio de motu, & actione instantanea, probatur sic. Nam argumenta primæ sententiæ, & quæ dicta sunt num. 7. probant aliquam distinctionem realem inter actionem, & terminum, ut cum P. Suario notavimus; sed non entitativam, aut modalem, ut hic probatur: ergo quidditativam. Et arguitur. Nam quæ differunt genere diffe-

runt essentia, & quidditate, ut patet: sed quæ differunt quidditate, differunt quidditativè, ut explicatum est in Logica lib. 6. quæst. 9. de distinctione relationis à fundamento; & in Philosophia lib. 1. q. 18. de distinctione unionis à materia, & forma: ergo cum actio, & terminus pertineant ad diversa prædicamenta, & sic differant genere, si realiter differunt, distinguuntur quidditativè.

Confirmatur. De actione, & passione comparativè ad terminum, sic discurret B. Ægidius, ac de relatione comparata cum fundamento: sed ratio non est res, aut modus distinctus à fundamento, sed sola quidditas realiter distincta, ut loco citato probatum est de mente etiam S. P. Augustini, & D. Thomæ: ergo de ipsorum mente tenendum est, actionem, & passionem distingui quidditativè à termino, non autem entitativè, & modaliter. Vide B. Ægidium in 2. dist. 1. q. 3. art. 2. & plures nostros citatos à N. Villanova 3. Physic. disp. 1. dub. 7. citante etiam PP. Conimbric. 3. Physic. cap. 1. q. 3.

Confirmatur 2. ex dictis in Logica lib. 6. q. 1. §. 2. ubi de mente Doct. nostri ostensum est, quod tria prima prædicamenta dicunt rem, quartum dicit purum ordinem, sex verò ultima rem sub ordine: ergo actio, & passio unice addunt supra terminū purū ordinem: sed ordo, aut ratio non est entitas, aut modus distinctus à fundamento; sed sola quidditas distincta: ergo actio solam differt à termi-

termino realiter quidditativè.

Confirmatur 3. Passio non est entitas, aut modus distinctus à termino juxta S. P. Augustinum: ergo nec actio. Patet consequentia, tum quia actio, & passio sunt idem entitativè, & modaliter, ut probatum est, quæst. antecedente §. 2. tum quia eadem est ratio distinguendi actionem, & passionem à termino: ergo & æquè distinguendi. Antecedens probatur. Passio ad qualitatem caloris nil addit supra calorem nisi conceptum in; ut enim S. P. August. dicit supra num. 7. *Id quod calidum fit, passione sui accipit qualitatem.* Sed conceptus in, vel calor ut in passio, non dicit entitatem aut modum distinctum à calore, cum calor per se ipsum immediatè recipiatur in subjecto sine entitate, aut modo distincto, ut patet: ergo &c.

Urgetur etiam in actione. Actio essentialiter constituitur per egressum ab agente, ut dictum est: sed egressus ab agente nil addit supra entitatem egredientem, nisi solam quidditatem consistentem in conceptu ab: ergo actio est sola quidditas à termino distincta.

11 Probatum 2. conclusio. Entitas termini potest egredi ab agente per seipsam, sine entitate, aut modo distincto, non tamen sine quidditate, realiter distincta: ergo non differt actio à termino entitativè, aut modaliter, bene autem quidditativè. Prima pars consequentis patet, quia entitates, aut modi non sunt multiplicandi sine necessitate; nulla est necessitas, si terminus per se ipsum immē-

diatè potest oriri ab agente. Antecedens quoad primam partem probatur. Nam illa entitas, aut modus distinctus, qui à contrarijs vocatur actio, per seipsum immediatè oritur ab agente; aliàs ad unam actionem daretur alia, & sic processus in infinitum: ergo & entitas termini potest egredi ab agente per seipsam immediatè.

Quoad secundam partem probatur antecedens. Entitas illa non potest egredi ab hoc agente sine egressu ab eo; patet hoc, quia est propositio ferè identica. Sed egressus ab hoc agente, est quidditas realiter distincta, & separabilis ab entitate termini: ergo entitas illa non potest egredi ab hoc agente sine quidditate distincta. Probatum minor: Nam egressus ab hoc agente est quidditas talis actionis, constituta per conceptum ab. Quod ea sit realiter distincta, & separabilis à termino, patet. Nam illa entitas termini, potuit fieri à solo Deo: sed tunc daretur entitas sine egressu à tali agente creato: ergo sine tali quidditate.

Et urgetur. Nam ideò diximus in Logica relationem esse quidditatem distinctam à fundamento, quia essentia relationis consistit in actuali exercitio referendi, quod est separabile ab entitate fundamenti. At etiam essentia actionis consistit in actuali exercitio egrediendi ab hoc agente; sicut essentia passionis in actuali exercitio afficiendi passum; & utrumque exercitium potest deficere, manente entitate termini, vel à solo

Deo producta, vel à Deo conservata sine subiecto, & passio, ut conservat accidentia Eucharistica: ergo utraque quidditas actionis, & passionis est realiter distincta à termino. Vide dicta de relatione loco citato, ubi invenies impugnatas solutiones contra hoc argumentum de distinctione quidditativa.

12 Contra primam partem rationis nostræ adsunt solutiones sententiæ distinguentis entitativè, aut modaliter. Omnes DD. negant consequentiam de actione ad terminum. Primò, quia actio est ratio formalis producendi terminum; unde ut actio oriatur, non indiget alio distincto. Sicut quia lux est ratio formalis videndi, ut lux videatur, non indiget alia luce distincta. Secundò, quia actio non est effectus, nec fit, sed merè dimanat; terminus autem fit, & est effectus. Quod fit, petit actionem distinctam; secùs quod dimanat. Tertiò. Actio non potest dependere, & oriri nisi ab hoc agente; & idè ut ab eo pendeat, non indiget actione distincta, quæ sit dependentia actionis ab agente. At effectus potest jam ab hoc, jam ab alio agente oriri, & dependere varijs dependentijs, & causalitatibus. Ergo cum effectus, qui fit hac actione, fieri possit per alteram, est separabilis ab utraque; & sic nequit non distingui à sua actione.

Contra primam adest, quòd illud proloquium: *Ratio formalis respectu aliorum, est ratio formalis respectu sui*, indiget limitatione ad sui veritatem, & universaliter non probat.

Materia est ratio formalis recipiendi alia; & tamen non est ratio formalis recipiendi seipsam, quia hoc impossibile est. Prima operatio Angelica est juxta Thomistas ratio formalis constituens Angelum potentem se applicare ad reliquas, sed non est ratio respectu sui, quia ad primam non potest Angelus se applicare. Exemplum de luce non est ad rem: quia lux est ratio formalis passiva, ut videatur. De ratione formali passiva ad activam, ut est actio, non valet consequentia. Sicut non valet hæc: *Substantia per seipsam potest produci: ergo per seipsam potest producere*. Ergo licèt lux sit ratio formalis passiva ut videatur, nequit actio esse ratio formalis activa producendi seipsam. Restat quòd restringas illud axioma, nec facilè poteris, ut actionem comprehendas.

Equidem ad unam actionem non datur alia, ad terminum autem datur actio apud omnes. Ceterum hoc non idè, quia terminus petit entitatem, aut modum distinctum, medio quo fiat, secùs actio: sed quia ad terminum non sufficit sola entitas, sed requiritur quidditas egressus, ut ostensum est. Ad actionem autem, quæ consistit in actuali egressu ab agente, non requiritur alius egressus, ut notum est: ergo quòd ad actionem non detur actio, detur tamen ad terminum, non probat distinctionem entitativam, aut modalem, sed solam quidditativam. Contra secundam solutionem repono quæ dicemus in solutione secundi fundamenti senten-

ten-

tentiæ contrariæ.

Interim sume hanc instantiam. Actus intellectus, & voluntatis juxta plures primæ sententiæ non producant terminum vitalem distinctum. Quære ab eis, an sint causalitas, an effectus? Si causalitas: ergo sunt causalitas nihili, quia nil causant, vel sunt causalitas sui, & hoc implicat apud ipsos. Quid enim intellectus, & voluntas causant per tales causalitates? certè nihil. Ergo non sunt causalitates. Restat quòd actus illi sunt effectus suarum potentialium, & fiunt ut effectus. At non fiunt per actionem distinctam: ergo quod fit, & oritur à causa ut effectus, non petit actionem distinctam.

Contra tertiam, quam dat Ariaga in præsentem, adest quòd unice probat distinctionem quidditativam, non entitativam, aut modalem. Nam conceditur quòd actio est dependentia termini ab agente; & quòd hæc dependentia sit variabilis. At dependentia est relatio; relatio autem formaliter est quidditas distincta, non autem entitas, aut modus: ergo quòd terminus possit esse ab hoc, vel illo agente, hac vel illa dependentia, probat actionem esse quidditatem distinctam, non autem entitatem, aut modum. Ulterius juxta solutionem idem est terminus sive ab hoc, sive ab illo agente producat: ergo produci ab hoc non est aliquid distinctum à termino, sed purè ad aliquid, vel relatio distincta, quæ non immutat entitatem, cui advenit. Patet consequentia. Quia si terminus ab hoc

agente haberet aliquid, quod non haberet ab alio, jam terminus non esset idem divisivè ab utroque.

§. III.

Expenduntur fundamenta contrariæ.

13 **F**undamenta primæ sententiæ, posita num. 2, unice probant distinctionem quidditativam in actionibus instantaneis à termino, & modalem in successivis; quam tenet sententia nostra. Ad primum concedimus doctrinam D. Thomæ, quam intellige de motu lato, & instantaneo; nam resurrectio, teste Apostolo Paulo, fiet in momento, generatio autem, cum non fiat ex contrario, sed ex contradictorio, nempe ex nihilo, fit in instanti. Isti duo motus lati sunt idem entitativè cum termino, sed differunt inter se quidditativè realiter, & etiam quidditativè à termino. Quare stando distinctioni quidditativæ nec motus illi identificantur cum termino, nec inter se, sed inter se, & à termino differunt quidditativè.

Ad 2. dic, quòd transacta generatione, manet terminus, & aliquid deficit. At hoc est sola quidditas actionis, non autem entitas, aut modus. Manet terminus, ceterum quia non manet in fieri, sed in facto esse; idè non manet ut in exercitio egrediens: deficit exercitium egressus, vel ab: ergo deficit quidditas actionis, sed nil aliud. Quomodo deficiat realiter quidditas, & non entitas, aut modus,

318 *Liber III.*
 dus, dictum est in Logica loco citato de relatione.

Ad 3. nego quod motus sit causa termini; non enim est causa, sed exercitium causandi, consistens in actuali egressu termini ab agente: at hic egressus non addit entitatem, aut modum supra terminum, ut probatum est; sed solam quidditatem in motibus latis: ergo licet causa, & terminus debeant differre entitativè, aut modaliter; secus motus, & terminus. Et instatur in intellectu beata, quæ non producit terminum, sed ipsa est productio sui ipsius, ut dictum est num. 12. licet non possit esse causata à seipsa, sed ab intellecta realiter distincto. Ergo diversam distinctionem petit causa, ac causalitas à termino. Ad 4. concede totum de motu stricto, qui est via successiva, unde distinguitur modaliter à termino, cuius totum esse est simul. Sed de motu lato dic, quod est via unicè quidditativè distincta à termino, quatenus est exercitium agentis defectibile, manente termino.

14 Ad secundum fundamentum positum num. 3. retorque illud. Nam si actio non fit, sed dimanat, & juxta Thomistas accidentia possunt immediatè dimanare à substantia: ergo & actio poterit immediatè dimanare à substantia. Hoc est esse immediatè operativam, quod negant Thomistæ nobiscum. Discrimen inter emanationem & efficientiam traditum est lib. 2. q. 10. §. 7. Sed admissio quod intendit arguens, dicimus quod efficientia stricta petit actionem distin-

etiam saltem quidditativè; secus quod emanat. Ob id actio emanans sine actione distincta, non petit quidditatem distinctam ab actione emanante; sed ipsa actio intransitivè est egressus termini & sui ab agente, & dependentia utriusque ab eo. Ad urgentiam nega causalem minoris. Ideo enim substantia creata potest esse principium immediatum emanationis proprietatum, & accidentium, quia sic esse principium, non est efficere, sed petere, quod fiant talia ab agente, ut loco citato dictum est. Relatè ad actionem dimanantem à principio effectivo, est alia ratio. Nam idem est dimanare actionem ab agente, ac egredi ab illo, & quod faciat terminum dependere ab agente. Hoc est esse immediatè operativum; quod cum repugnet substantiæ creatæ; ei repugnat egressus actionis immediatus.

Ad 1. confirmationem concede totum, quia ratio illa in nostris principijs non urget, ut vidimus quæst. citata, ubi aliter probavimus substantiam non esse immediatè operativam. Vel dic, quod cum agens creatum non possit generare substantiam, nisi alterando materiam; nequit agere, nisi media alteratione, quæ est actio terminata ad qualitatem. Hæc est accidens, & ab eo specificaretur substantia, si esset immediatè operativa; quod repugnat.

Ad 2. dic, quod de actione philosophandum est juxta B. Ægidium, sicut de relatione: ergo sicut relatio ratione sui non habet entita-

tem,

tem, sed ratione termini, ratione autem sui solam quidditatem; ita actio ratione sui formaliter, habet quidditatem; sed non entitatem, nisi ratione termini. Hinc est, quod sicut relatio fundata in substantia, non est relatio prædicamentalis, sed vel transcendentalis, vel secundum dici; quæ verò fundatur supra quantitatem, aut qualitatem, aut ubi, est relatio prædicamentalis, hoc est de prædicamento numerato inter novem accidentia; ita actio terminata ad substantiam, non est prædicamentalis, id est de prædicamento actionis, & ob id non est actio stricta, sed lata; erit autem stricta ratione alterius adjunctæ, nempe alterationis, ut dictum est quæst. præcedente. Actio autem prædicamentalis, vel stricta, terminatur ad quantitatem, qualitatem, & ubi, ut dicemus lib. 5. sequenti. Hæc autem considerata, ut motus est successivus, sic non est prædicamentum, sed modus distinctus à termino; unde pertinet ad prædicamentum sui termini, ut hic dicitur à BB. Thoma, & Ægidio. Considerata tamen ut actio est, & secundum conceptum *ab*, sic habet quidditatem de prædicamento actionis, sed non entitatem; quia sicut habet entitatem ratione termini, sic pertinet entitativè ad prædicamentum termini.

Ad 3. dic, quod licet actio, & terminus identificentur entitativè, differunt quidditativè: ergo ponendo actionem ad terminum, non ponitur actio ad actionem, sed quidditas actionis ad entitatem termini, quæ

est etiam entitas actionis. Poneretur actio ad actionem, si pro quidditate actionis poneretur alia quidditas; ceterum non sic ponitur à nobis, ut patet: ex dictis.

15 Ad tertium fundamentum, positum num. 4. dic, totum probare distinctionem quidditativam, sed non entitativam, aut modalem. Unde ad illud dic, quod terminus fit, quia non oritur immediatè à virtute agentis, sed media quidditate actionis: quidditas autem actionis non egreditur media alia quidditate, sed intransitivè per se ipsam; & idem actio non fit, sed dimanat. Illa autem contradictoria, nempe dimanare, & non dimanare &c. verificantur de eadem entitate actionis, & termini, quæ unica est; sed non de eadem secundum idem, sed penes diversas quidditates; nempe ut entitas illa est exercitium agentis dimanat, ut est terminus exercitij fit, quia primo modo est quidditas actionis, secundo modo est quidditas & entitas termini. Idem dic, ad reliqua. Nam entitas termini, ut est exercitium agentis, est causalitas; secundum se est terminus causalitatis. Primo modo est via ad terminum, & in illa non quiescit agens; secundo modo est terminus viæ, & quies agentis. Primo modo est effectio, secundo est effectus.

Ad 1. confirmationem dic, quod terminus, ut terminans, non est causalitas agentis, nec determinatio virtutis ejus, sed supponit virtutem agentem, & determinatam. At terminus ipse, ut egrediens ab agente, qua-

qua-

qualiter est exercitium ejus, sic est causalitas agentis, & formalis determinatio virtutis agendi. Et instatur confirmatio, & argumentum in intellectu beatorum, quæ non est factiva verbi, sed per seipsam intransitive est causalitas intellectus, & effectus ejus, unde dimanat, & efficitur sed diversis rationibus, quæ forsitan non distinguuntur realiter quidditative, sed per rationem. Ergo melius in nostra sententia stabunt hæc vi distinctionis realis quidditative. Præterquamquod sententia contraria non ponit, nisi distinctionem modalem actionis à termino: ergo sunt actio, & terminus, eadem entitas, de qua hæc omnia verificantur sine contradictione, nempe penes diversa. Ipsi dicunt penes diversa modaliter; nos penes diversa quidditative. Quodcumque sufficit, ne sit contradictio.

Ad 2. confirmationem ex Suarrio dic, eam probare distinctionem quidditativam actionis à termino, nam si terminus, qui est ab hoc agente potuit non esse ab illo, sed ab alio: ergo potuit deficere *ly ab isto*. Hæc est quidditas hujus actionis. Inde probatur etiam nullam modum tunc defecturum: quia si terminus est idem ab hoc, vel ab alio agente: ergo agens hoc nil ponit in termino, quod non ponat aliud agens. Variantur actiones, sed non mutatur terminus: ergo quia actio est quidditas variabilis, sed non immutans; mutaret si modus additus esset.

Ad ultimam dic. Quod actio Dei ad extrâ, quæ dicitur immanens,

distinguitur à termino, quia illa identificatur cum Deo, ut dictum est lib. 2. q. 16. §. 4. Deus autem distinguitur à creatura terminante. Actio Dei transiens, quæ vocatur *creatio passiva*, hæc non distinguitur à termino, qui est existentia juxta D. Thomam, & B. Egidium. De quo N. Argentinas loco citato. Hæc actio transiens, vel creatio passiva, distinguitur ab omnipotentia, cum qua sola actio immanens identificatur. Confirmatio utramque actionem confundit, & idè nil concludit.

16 Ad fundamenta secundæ sent. posita num. 5. quatenus nostræ obviare possunt, respondemus. Et ad 1. dic Philosophum ibi negare motum esse rem distinctam à termino; & hoc concedimus. Sumpto autem motu pro modo successivo, dicit Philosophus pertinere ad prædicamentum terminum, & rei, cujus est modus; & hoc etiam à nobis dictum est num. 14. ad 2. confirmationem. Sic loquitur Commentator, nobis objectus, nec est contra nos; nam etiam dicimus, quod actio est forma fluens ab agente, & quod est fluxus formæ. In primo explicamus entitatem, & quidditatem actionis; in secundo solam quidditatem. Primus modus est verior, quia magis habens de entitate, habet magis de veritate, quæ est passio entis. Secundus usitator, quia actionem sæpius sumimus pro fluxu formæ, non pro termino fluente. Vide dicta de ente in fieri, & de fieri entis lib. 1. Philosophiæ q. 1. §. 3.

Ad secundum fundamentum à ratio-

Questio II.

ratione, dic, illo solum probari actionem & terminum non differre entitative, sed nil probat contra distinctionem quidditativam, aut modalem, quia nec modus, nec quidditas, possunt consistere separata ab entitate, cujus sunt, ut mille exemplis constat.

Ad 1. confirmationem, quæ est contra motum strictum, dic, quod terminus non adest completè, usque dum motus completus sit, & finitus, quia idem in successivis est compleri, ac finiri. At non est prius tempore finiri motum, ac compleri terminum, sed in eodem instanti cum sola prioritate naturæ. Hinc est quod in eodè instanti finitur motus, & completur terminus; unde non movetur terminus ad suum complementum sine motu, nec per motum, qui jam non est, sed per motum, qui est; sed finitur in eodem instanti, quo terminus completur.

Ad 2. confirmationem dic, quod per motum strictam, & terminum bis movetur inadæquatè passum; nam motus est modus, terminus est entitas, unde sunt duo recepta, & moventia, ceterum integrant unicam passionem adæquatam, & unicam adæquatam actualitatem mobilis, quæ constat ex ente, & modo. Loquendo de motu lato, hic est tantum quidditas distincta, quæ nec recipitur, nec mutat subjectum, ut de relatione dictum est.

17 Ad tertium fundam. positum num. 6. dicimus nil probare de actione creativa active sumpta, qualiter cum Deo identificatur, ut dictum est. De ipsa passive accepta, intelli-

gitur conclusio nostra, nam sic convenit cum nostris actionibus, & de ipsa dicimus differre quidditative à termino. Nec contra hoc valent probationes arguentis. Ad 1. dic, quod creatio identice est creatura, nam ejus entitas est entitas termini, & hæc est creata, & creatura. Sed creatio formaliter non est creatura, nec creatur *ut quod*, sed *ut quo*, quia non fit per aliam creationem, sed est id, quo creatura creatur. Vide dicta de actione, quæ non fit, cum tamen terminus fiat.

Ad 2. dic, quod creatio juxta BB. DD. Thomam, & Egidium, passive sumpta, est existentia rei creatæ; & hinc multi antiquitus probarunt in creaturis distinctionem essentiali ab existentia. Sed dic, ut ab ista sententia præscindas, quod creatio substantiæ est substantia identice, creatio accidentis est identice accidens. Sed formaliter neutrum, quia est quidditas, & conceptus *ab*, qui non habet entitatem. Vide dicta de relatione. Ad 3. dic, quod creatio addit supra terminum solam quidditatem, quæ est relatio creaturæ ad Deum.

Nec contra hoc urget probatio; nam S. P. Augustinus lib. de Gen. ad litteram dicit creaturam continuè creari, quia nec in actu oculi potest esse, nisi cõservetur actione sui Creatoris. Sic aer non solum dicitur illuminatus à sole; sed continuè illuminatur, quia nec ad instans potest esse lucidus nisi sole illuminante. Accedit, quod creatura continuè conservatur: at actio illa conservativa non

est distincta à creatione, quia utraque actio est esse creaturæ, ut pendens ab eodem Deo, unde est eadem relatio in primo instanti, & sequentibus creaturæ ad Deum: ergo continuò creatur ut dicit S. P. Augustinus, id quod ab alijs dicitur continuò conservari.

At quia creatio dicit ex terminis primum esse, conservatio autem est continuatio illius esse, sicut de re in primo instanti dicitur esse, in sequentibus durare; ideò dic, quòd licet relatio creaturæ ad Deum maneat, non respicit Deum ut dantem primum esse, sed ut conservantem

illud; & ob id relatio illa mutat nomen creationis, & dicitur conservatio. Vide B. Ægidium quæst. 7. de Esse, & Essentia, ubi ait, quòd esse, creatio, conservatio, & terminus creationis idem sunt quoad rem significatam, & solùm differunt quibusdam respectibus, & connotatis. Eadem res considerata ut in se, sic dicitur esse: ut ab alio inchoata, sic dicitur creatio actio; ut inchoata in alio, sic dicitur creatio passio: ut conservata ab alio, sic est conservatio actio: ut conservata in alio, sic dicitur conservatio passio: ut inducta in instanti, & tota simul, sic est terminus creationis.

Q V Æ S T I O III.

An actio recipiatur in agente, an in passio?

§ I.

Proponuntur fundamenta utriusque sententia.

Tenent actionem transeuntem recipi in agente Scotistæ, putantes actionem esse relationem agentis ad passum. Diversis principijs idem comprobant plures Thomistæ. Et notato quòd nullum est dubium de actione immanente, quæ talis dicitur quoniam inhæret, & manet in principio, à quo egreditur. Probatur sententia de transeunte sic. Actio denominat causam intrinsecè agentem: ergo est forma intrinsecè in ea recepta. Patet consequentia, quia denominatio intrinseca debet esse à forma intrinseca subjecto denomina-

to. Antecedens patet, quia passum denominatur intrinsecè tale à passione: ergo & agens ab actione.

Confirmatur. Si actio reciperetur intrinsecè in passio, illud denominaret intrinsecè agens: sed hoc est falsum: ergo in eo non recipitur. Probatur major. Nam forma dat primariam suam denominationem subjecto, in quo est; denominatio primaria actionis est agere, sicut passionis pati. Probatur 2. Nam denominatio agentis nil est, nisi forma actionis posita in subjecto. Et confirmatur 2. Nam relatio solùm denominat relatum

tum subjectum, cui inest: ergo & actio; quare in solo agente recipitur.

2. Probatur secundo hæc sententia. Agens perficitur intrinsecè per actionem: ergo in eo recipitur. Consequentia patet, nam nemo intrinsecè perficitur per formam in alio receptam. Antecedens probatur 1. Quia per actionem reducitur potentia agentis ad actum, unde est determinatio formalis potentia agentis. 2. Quia si agens creatum non perficeretur per actionem, idem de illo diceretur ac de Deo, qui non perficitur per actionem transeuntem.

Confirmatur. Agens creatum mutatur intrinsecè per suam actionem: ergo in eo recipitur. Patet consequentia, quia nemo mutatur, nisi per receptionem alicujus intrinseci. Antecedens probatur 1. quia ideò Philosophus 8. Physic. probat mundum fuisse ab æterno, quia si Deus illum produxisset in tempore, mutaretur Deus per actionem mundi productivam. Probatur 2. Agens per suam actionem transit de potentia in actum: non stat hic transitus sine mutatione intrinseca.

Confirmatur 2. Actio vitalis non inhæret passio, sed agenti: ergo & actio transiens, quæ est non vitalis. Patet consequentia, quia utraque petit subjectum inhærentis, non quia talis actio est, sed sub ratione communi actionis: ergo sicut conveniunt in inhærento, conveniunt in subjecto inhærentis. Antecedens est certum, quia vita est *motus à se, & in se*, hoc est actio quæ recipitur in eodem

principio, à quo egreditur.

3. Probatur tertio hæc sententia. Relatio agentis ad passum fundatur proximè in actione: sed relatio illa est in agente: ergo & actio. Patet consequentia 1. Quia relatio, & ratio fundandi debent esse in eodem subjecto, maxime si relatio non est entitas distincta à fundamento, sed vel indistincta, vel quidditas, ut à nobis dictum est. 2. Quia extrema, quæ se mutuò referunt, non possunt esse in eodem subjecto: sed actio, & passio se mutuò referunt, & passio est in passio: ergo & actio in agente.

Probatur quarto. Creatio non recipitur in passio: ergo nec ulla actio. Patet consequentia, quia omnium actionum est eadem ratio. Antecedens probatur 1. Quia actio creativa Angeli non pendet ab Angelo in ullo genere causa. 2. quia creatio actualis importat infinitatem, cum sit productio rei ex nihilo, & sic vincens distantiam infinitam, ut ex D. Thoma dictum est: sed infinitum nequit recipi in subjecto finito: ergo & c. Probatur 3. Quia creatio nullum subjectum præsupponit, cum sit factio ex nihilo: ergo in nullo recipitur.

Hæc videtur mens Arist. lib. 2. de Anima text. 26: ubi ait, actum esse in eo, cujus est. Sed hic 3. Physic. text. 18. & 20. docet actionem esse actum agentis: ergo quia actio est in agente. Idem sentit D. Thomas in 2. sent. dist. 40. q. 1. art. 4. ad 1. ubi ait: *Cum actio sit in agente, &*

passio in patiente, non potest esse idem numero accidens, quod est actio, & passio; cum unum accidens non possit esse in diversis subjectis. Rursus, quæst. 7. de Pot. art. 10. ad 1. & 2. contra Gent. cap. 9. dicit: *Actio, quæ non est substantia agentis, inest ei, sicut accidens subjecto: & idè inter novem genera computatur.* Tandem quæst. 7. de Pot. art. 9. ait: *Actio, ex hoc quod est actio, consideratur ut ab agente: in quantum verò est accidens, consideratur in subjecto agente.* Idem docet quæst. 8. seq. art. 2. ergo juxta S. Doctorem actio est in agente.

4 Secunda sententia docet actionem recipi in passio. Sic communiter reliqui Thomistæ, & ferè omnes Societatis cum P. Suario in Metaphysica disp. 48. sect. 6. Eam latè probant PP. Complutenses, qui prolixè disputant de mète D. Thomæ. Probatur ex Philosopho 9. Metaph. c. 9. ubi ait ædificationè esse in re ædificata. Rursus, 2. de Anima text. 24. & 26. ait: *Actus agentium in eo quod patitur, atque disponitur, inesse videtur.* Et lib. 3. cap. 2. text. 139. ait, actionem, & passionem, in eo esse, quod patitur: inde inferens necessarium non esse, ut quod movet, moveatur. Et ibi text. 140. ait: *Actio & passio, non in agente est, sed in eo, quod patitur.*

Hinc infert duo P. Suarius, nempe hanc esse certissimam Arist. sententiam, ut concorditer docent omnes interpretes tum Græci, tum Latini. Nec alia est mens D. Thomæ, quia numquam in rebus philosophi-

cis, quæ fidei contrariæ non sunt, S. Thomas deseruit Aristotelem. Vnde S. Doct. 3. de Anima dicit: *Agentis, & moventis operatio in ipso patiente suscipitur, atque inest.* Et post pauca concludit sic: *Et ista est ratio, quare non est necessarium, quòd omne movens moveatur.* Vide Complutenses.

5 A ratione probatur 1. Quia actio immanens, & transiens, adæquatè dividunt genus actionis: ergo habent differentias essentialiter oppositas, sicut rationale, & irrationale, quæ dividunt genus animal. At solùm possunt differre penes diversa subjecta, in quibus recipiuntur: ergo cum immanens recipiatur in agente, transiens recipitur in solo passio. Probatur minor. Quia illæ actiones non possunt differre per id, in quo conveniunt, ut patet: sed conveniunt in reliquis præter recipi in diverso subjecto: ergo &c. Probatur minor. Nam per producere terminum distinctum, non possunt differre, nam etiam actiones immanentes producant terminum distinctum, ut patet in intellectu, quæ producit verbum, & in amore, qui producit impulsus. Nec per producere terminum ad extrà; nam actio Dei creativa, actio etiam Angeli moventis Cœlos, est formaliter immanens, & tamen producit terminum ad extrà, nempe creaturam, & ubicationem Cœlorum.

Probatur 2. Nam actio, vel non distinguitur à motu, passione, & termino, vel ad summum distinguitur modaliter; sed motus non est in mo-

vente,

vente, sed in mobili; passio non est in agente, sed in passio; terminus actionis transeuntis est etiam in passio; ergo & actio. Patet consequentia clarè, si sunt idem; quia eadem entitas nequit recipi in diversis subjectis: ergo si ut motus, & passio recipitur in passio, etià ut actio. Si verò differat modaliter, ut modus à re, cujus est modus, probatur. Quia implicat, quòd modus separaretur à re cujus est modus; separaretur, si reciperetur in diverso subjecto, ac res: sed res, nempe terminus, cujus est modus actio, recipitur in passio: ergo & actio recipitur in passio.

Hæc ratio urgentior est ceteris, ut fatetur Suarius, & urgentius probat in nostris principijs, quibus non concedimus actioni entitatem, aut modum proprium, distinctum à termino, sed solam quidditatem: sed quidditas est inseparabilis à subjecto, cujus est quidditas, unde in eodem subjecto recipienda est: ergo cum contra controversiam terminus actionis transeuntis recipiatur in passio, in eodem recipitur actio.

6 Probatur 3. Agens in quantum agens, non patitur, nec transmutatur: ergo in quantum agens, non causat in se novam entitatem, aut modum, sed in passio, quod facit pati, & transmutari. Patet consequentia, quia si causaret actionem, quæ in ipso agente reciperetur, seipsum transmutaret, & à se ipso pateretur. Antecedens probatur. Quia ratio agendi, non est ratio patiendi, sed sunt rationes fundantes relationes

oppositas agentis, & patientis.

Hac ratione utitur Soncinas 5. Metaphysicæ quæst. 37. & in ea fundatur N. Villanova, ut doceat, quòd nec actio immanens recipitur in agente; nam licet pro immanentibus subjectum agens, & recipiens sit idem, nempe potentia immanens; at hæc potentia, non recipit, ut agens est, actionem, sed ut patiens est. Vnde intellectio non recipitur in intellectu ut activo, sed ut passivo, quia ut activus agit, non patitur, nec ut passivus agit, sed recipit. Vide alias rationes in Araujo, qui sex diversas proponit, leviores tamen, ac quæ hic positæ sunt.

7 Tertia sententia quasi media docetur à Magistro Sancto Thoma & à Silvio hic, nempe, quòd actio inchoativè est in agente, & consummativè in passio. Ratio esse potest, quia actio est perfectio utriusque: ergo est in utroque eo modo, quo illud perficit. Sed actio perficit agens egressivè; quia inchoatur egrediendo ab agente; perficit autè passum consummativè, quia consummatur producendo terminum, & hic est in passio: ergo inchoativè est in agente, & consummativè in passio. Hac distinctione solvantur argumenta contraria, & conciliantur authoritates D. Thomæ contrarias,

Quòd si quæras ab his DD. an sit unica, & eadem entitas illa actio? Affirmat Silvius, negat S. Thomas, nam idem accidens nequit perficere duo subjecta adæquatè distincta: sed agens, & patiens realiter distinguuntur,

tur, & adæquatè, nec se habent per modum unius, sicut materia, & forma: ergo non perficiuntur unica entitate, sed duplici. Hinc docet, quòd actio est entitativè duplex, una in agente, alia in passo, nec habent aliam unitatem, nisi ordinis, quo prima ordinatur ad faciendam. Hoc autem non est ponere revera unicam actionem, sed duplicem, quam etiam posuit Cayetanus, & Bergomensis teste Prado hic.

Hanc sententiam tenet Villanova, ut expressam in B. Ægidio, qui pro omni agente transeunter ponit duas actiones unam immanentem, aliam transeuntem; per primam perficitur agens, & nil extrà producit: per secundam perficitur passum, & producit terminus. Quo notato, dicit quòd immanens recipitur in agente, & transiens in passo.

Nolumus utramque difficultatem confundere, quare sententiam de duplici actione necessaria tractabimus quæst. seq. Ea data, non est difficultas de actione immanenti, ut notatum est, quia hæc in agente recipitur apud omnes. De transeunte est quæstio; quæ si juxta B. Doct. recipitur in passo, concinit Ægidius N. DD. secundæ sententiæ. Pro veriori explicatione sit.

§ II.

Nostra sententia proponitur, & probatur.

Nostra sententia distinguitur in actione id quod

ei convenit ratione sui formaliter, ut à termino distinguitur, ab eo, quod actioni convenit ratione termini, & identicè, aut materialiter, duas ponit conclusiones. Prima est. *Actio, ut talis, & ratione sui formaliter non inhæret agenti, nec passo, imò nullū petit subjectū inhætionis.* Secunda est. *Actio identicè sumpta, & ratione termini, recipitur in passo, si terminus in passo recipitur, secus si terminus recipiatur in agente.* Utraque conclusio docetur à P. Suarrio in Metaphysica disp. 48, sect. 4. num. 10. ubi ferè in terminis defendit doctrinam B. Ægidij. Traditur à B. Doct. locis datis quæst. præcedente, & ex ibi dictis colligitur evidenter, ut patebit ex probationibus adducendis. Ob id omittimus autoritates S. P. August. D. Thomæ, & B. Ægidij, quia doctrina hujus quæstionis est Corollarium doctrinæ jam datæ, & comprobata de illorum mente.

Prima conclusio probatur sic. Actio ratione sui formaliter non est entitas, aut modus, sed solùm quidditas, ut probatum est: ergo ratione sui formaliter non inhæret passo, aut agenti, imò nec petit subjectum inhætionis. Probatur consequēt. Quia inhærentia solùm cōvenit enti, aut modo accipentali: quare quod ratione sui nō est entitas, aut modus, ratione sui formaliter non inhæret, imò nec petit subjectum inhætionis.

Ob id S. Thomas 1. p. q. 41. art. 1. ad 2. & q. 45. art. 2. ad 3. & etiam ibi art. 3. dicit: *Quòd si ab actione auferatur motus, non remanet nisi relatio.* Ergo præscindendo à suc-

cessione, quam importat motus, & est modus à termino distinctus, de quo postea; actio ex se formaliter non est nisi relatio termini ut ab agente. Sed relatio non est entitas, aut modus distinctus à termino, nec ex se formaliter petit inhætere, nec habet conceptum in, sed totum suum esse est ad, ut in Logica lib. 6. q. 9. probatum est ex S. P. Augustino, D. Thoma, & B. Ægidio: ergo quidquid sit de modo distincto à termino, qui relucet in actionibus successivis, actiones autem instantaneæ nullum habent, nec petunt ratione sui subjectum inhætionis.

9 Confirmatur. Quoniam relatio ratione sui formaliter non est entitas, aut modus, sed solùm ratione termini, idèd ratione sui non est substantia aut accidens, nec existit per se, nec in alio; sed est quidditas ab utroque præscindēs ratione sui, & solùm ratione fundamēti existit per se, si fundatur in substantia; vel in alio, si fundatur in accidente. At idem dicendum est de actione relatè ad terminum: ergo ratione sui est mera quidditas præscindens ab existentia per se, & in alio; unde nullum petit subjectum inhætionis.

Quia verò actio successiva est modus distinctus à termino, ut dictum est q. 2. idèd de illa probatur etiam prima conclusio. Nam modus ex terminis, & ratione sui non petit inhætere, sed solùm ratione termini, & identicè: ergo actio adhuc successiva, non inhæret agenti, aut passo, sed solùm ratione termini. Probatur

antecedens. Modus ex terminis est indifferens ad substantiam, & accidens, dantur enim modi substantiales, ut existentia, subsistentia, unio materiæ, & formæ; & dantur modi accidentales, ut ubicatio, situs, & alij. Sed quod ex se formaliter est indifferens ad substantiam, & accidens, non petit inhærentiam: ergo &c. Secundò. Nam modus ratione sui formaliter non est ens, aut res, sed ratione termini: ergo ratione sui non est substantia, aut accidens, sed ratione termini. At sola accidentia petunt inhætere: ergo modus ratione sui non petit inhærentiam, sed solùm ratione termini.

10 Probatur secundò eadem conclusio. Actio formaliter ut talis, id tantum habet, quod convenit omni actioni: sed inhætere nō cōvenit omni actioni: ergo actioni formaliter ut tali, nō cōvenit inhætere. Major patet, quia quod convenit formaliter actioni, est de illius essentia, nulla est possibilis actio, cui non conveniat id quod est de essentia actionis. Probatur minor. Actio creativa *passivè sumpta*, qualiter est quid creatam juxta B. Ægidium, non habet subjectum inhætionis; imò cum faciat rem ex nihilo, nullum præsupponit subjectum. Rursus, consecratio, quæ est actio transubstantiandi, & actio transiens, & non immanens, quia est activè à verbis prolatis à Sacerdote; & tamen talis actio nullum habet subjectum inhætionis, quia nihil est commune termino à quo, & termino ad quem consecrationis, ut colligitur ex D.

Thomā 3. p. q. 75. art. 8. et-
go &c.

Confirmatur. Si de conceptu actionis formaliter, esset inherere, nulla esset possibilis actio terminata ad substantiam: at hoc est falsum: ergo & primum. Probatur sequela majoris. 1. Quia de ratione relationis prædicamentalis, ut talis, est juxta Thomistās esse accidens, & inherere; idē nulla relatio prædicamentalis potest juxta ipsos immediatē fundari in substantia. In nostris autem principijs, quia relatio ratione sui non est ens, sed ratione fundamenti; idē nulla relatio potest esse prædicamentalis, & inter accidentia computari, si immediatē fundetur in substantia. Ergo nec ulla actio terminari immediatē ad substantiam, si actio ex terminis petit inherentiam.

Probatur 2. sequela. Si de conceptu actionis formaliter, esset inherere, hoc haberet, quia est entitas distincta à termino, vel modus, vel quidditas distincta, cui ratione sui conveniret inherentia. Sed actio ratione sui non est entitas distincta, ut patet ex quæst. præcedente, & fatentur Philosophi communiter. Dato autem esse modum, aut quidditatem, si petit ratione sui inherentiam, nequit immediatē terminari ad substantiam: ergo &c. Probatur hæc minor. Modus, aut quidditas, terminata ad substantiam immediatē, non habet entitatem, nisi substantiæ ad quam terminatur. Sed implicat quod modus, aut quidditas, cujus entitas est substantia, petat ratione sui inherentiam; sicut

implicat substantiæ inherentia: ergo.

11 Probatur tertio hæc conclusio. Tota essentia actionis formaliter consistit in conceptu *ab*: sed *ab* non est *in*, nec *ab* petit formaliter inherentiam: ergo actio formaliter, ut talis non inheret, sed tantum ratione termini. Consequentia patet, quia *id* solum petitur formaliter, quod est de essentia petentis; quare si tota essentia actionis est in conceptu *ab*, non petitur inherens formaliter. Major constat ex dictis supra de essentia actionis, quæ nil est nisi terminus, ut *ab* agente, quare supra entitatem termini, non addit nisi *ab*. Præterea: Actio constituitur essentialiter ut distincta à passione: sed passionis essentia totaliter est in conceptu *in*: ergo & actionis in *ab*. Rursus, tota essentia relationis est in conceptu *ad*, ut in Logica dictum est: ergo tota actionis essentia est *ab*, & tota passionis *in*. Urgetur. Idē tota essentia relationis est *ad*, quia totum esse relationis est relativum, & ad aliud: at totum esse actionis est *ab* agente; totum etiam esse passionis est in passio; nihil enim habet actio, quod non sit *ab* agente, & in passio: ergo totum esse actionis est *ab*, & totum passionis *in*.

Minor principalis, nempe quod *ab* non est *in*, nec petit formaliter inherentiam, probatur. Et quidem distinctio *ab*, & *in*, patet ex terminis. Quod autem *ab* non petat inherentiam, probatur; solum petit inherentiam, quod est accidens, diffinitur enim *ens in alio*, sicut substantia *ens per se*. Sed quod est *ab* alio, non est acci-

accidens ex terminis, substantia enim creata est ab alio, immo & in Divinis Filius, & Spiritus sanctus sunt ab alio; cum tamen eis, & substantiæ repugnet inherere. Ergo *ab* non petit inherentiam.

Explicatur. Actio aliud habet, quia actio, aliud, quia est accidens; ut enim est actio, egreditur ab agente; ut verò est accidens, inheret. Sed quod actio sit accidens, non habet ratione sui formaliter, sed ratione termini: ergo quod inheret non convenit actioni formaliter, sed identicè ratione termini. Probatur minor. Quia actiones Divinæ sunt actiones, nec tamen sunt accidens, sed substantia Dei. Rursus creatio, & transubstantiatio sunt actiones, & transeuntes, modo explicato; nec tamen sunt accidens, sed substantia, aut accidens indiscriminatum juxta naturam termini creati.

12 Hinc facilè probatur secunda conclusio. Nam cum actio ratione sui non sit accidens, nec ens, aut res, sed ratione termini, idē solum ratione termini recipitur: ergo in eo subjecto recipitur, quo terminus. Patet consequentiam, quia eadem est ratio unitatis subjecti inherentis, ac inherendi. Tum quia implicat quod in uno subjecto recipiatur entitas, & in alio modus ejus, aut quidditas illius; hoc enim esset separare realiter modum, aut quidditatem ab entitate rei, cujus est modus, aut quidditas; quod certè impossibile est adhuc divinitus.

Nunc sic. Sed terminus actio-

nis transeuntis recipitur in passio: ergo actio transeuntis identicè, & materialiter sumpta, recipitur in passio. Probatur minor. Nam actio transeuntis sic dicitur, quia non manet in agente, sed transit in exteriorem materiam, ut in ea quid novum efficiat, v.g. ignis calorem in ligno, & sic de alijs. Ergo terminus actionis transeuntis recipitur in passio. Quod etiam est verum adhuc dato cum P. Suavio, & alijs, quod actio, qua aqua calida recuperat suam frigiditatem, sit actio transeuntis. Verius dicitur immanens, sed dato esse transeuntem, recipitur in subjecto frigiditatis: at hoc est aqua, non ut agens, sed ut patiens; ergo actio illa recipitur in passio.

Hinc patet etiam de immanentibus. Nam illæ produunt terminum vitalem, nempe intellectio verbum, amor, impulsus. At isti termini recipiuntur in passio, hoc est in eis potentiis, quæ sunt receptivæ eorū terminorum: ergo in eisdem recipiuntur actiones. Quod autem identicè illæ potentie sint simul effectivæ, & receptivæ, unde simul sunt causa efficiens, & materialis suorum actuum, per accidens est: nam sicut rationes formales causandi sunt distinctæ, & una activa, alia passiva; ita distinguuntur in eis quasi formaliter subjectum agens, & patiens, ut sic de eis etiam verum sit, quod actio immanens non recipitur in agente formaliter, sed in passio, ubi recipitur ejus terminus, dum est termini productiva. Dum autem non producit terminum, tunc ipsa est actio, & si-

mul effectus; quare recipitur eodem modo, ac si terminum produceret.

§. III.

Expenduntur fundamenta aliarum sententiarum.

13. **F**undamenta primæ sententiæ, posita num. 1. poterant expendi juxta principia quæst. seq. ceterum hic unice solventur juxta doctrinam communiorem hic traditam: juxta quam dic contra Scottistas actionem non esse relationem agentis ad passum; nam hæc relatio potius fundatur supra actionem, vel supra potentiam agentis, ut determinatam per actionem, qualiter diximus in Logica lib. 6. quæst. 8. §. 3. Vnde relatio agentis præsupponit actionem, & sic actio in ea non consistit. Si actio in aliqua relatione statuenda est, non erit relatio agentis ad passum, propter dicta, sed relatio termini ad agens, à quo egreditur. Nec idem poneretur una relatio fundata supra aliam; tum quia actio non est fundamentum relationis agentis, sed virtus ejus activa, ut determinata per actionem. Tum etiam, quia nec actio est pura relatio, sed dicit rem sub ordine, nempe entitatem termini ut ab agente.

Ad primum fundamentum, quidam negant quod actio denominet causam intrinsecè agentem, & quod causam perficiat intrinsecè, aut intrinsecè determinet, eò quod hæc petunt fieri per actum, & formam, intrin-

secè receptam, ut probat argumentum. Actio autem transiens non est forma intrinseca agentis, sed extrinseca, quare omnem denominationem, & effectum relatè ad agens dicunt esse extrinsecum. Hoc dicitur probabiliter à multis, sed non benè percipitur. Nam cum agentis virtus sit intrinsecè indifferens, & hæc indifferentia intrinseca debeat tolli per aliquid intrinsecum, alioquin non tolleretur intrinsecè; si tollitur per actionem, debet actio esse intrinseca agentis, & sic redit totum argumentum.

Ob hæc melius Ioan. à S. Thoma cum alijs dicit actionem transiens esse intrinsecam agentis, non *inhabensivè*, sed *egressivè*; quia egreditur à virtute intrinseca agentis. Nec amplius requiritur in agente transiēter, quàm quod perficiatur intrinsecè *egressivè*, hoc est per actionem egredientem à virtute intrinseca illius. Perfici autem nedum *egressivè*, sed *inhabensivè*, est proprium solius agentis immanentis, ut dictum est, quia est simul principium egressionis, & subjectum receptionis actionis suæ. Quod si replices, quod etiam hoc modo agens perficitur per terminum, qui egreditur à virtute intrinseca agentis. Et hoc à nemine dicitur. Respond. quod terminus ut sic egrediens, est ipsa actio, ut dictum est: quare per ipsum perficitur agens. Qui negant terminum esse perfectionem agentis, loquuntur de termino in esse termini, & præcisivè ab egressu ejus ab agente.

Hujc doctrinæ acquiescimus, pro

pro cuius firmiori intelligentia observa, quod virtus est plenè intrinseca agentis, & cum hæc possit considerari in actu primo, & in actu secundo, dat agenti duas denominationes, unam potentis, aliam operantis; & utraque denominatio prættatur à forma intrinseca *inhabensivè*, nempe à virtute in recto, sed non à sola, sed ab ea, ut connotante actionem in obliquo; quam si connotat ut possibilem, dat agenti denominationem potentis in actu primo; si connotat actionem exercitam, dat agenti denominationem operantis in actu secundo. Utraque est intrinseca, & à forma intrinseca *inhabensivè*, sed dependenter à connotato, quod non est intrinsecum *inhabensivè*, sed *egressivè*. Nec in connotato requiritur major intraneitas, quàm egressiva.

14. His notatis disting. antecedens. Actio denominat causam intrinsecè agentem, actio in recto, nego, quia causa sic denominatur à virtute actu agente. Actio in obliquo, concedo antecedens, & nego consequentiam. Quia licet forma, quæ in recto est causa denominationis intrinseca, debeat esse intrinsecè recepta; at quæ tantum in obliquo est causa denominationis talis, sufficit quod sit intrinseca *egressivè*, nec requiritur quod sit *inhabensivè* intrinseca, ut dictum est. Nec paritas de passo, tenet, quia intrinsecè est tale non à passione in recto, sed à virtute passiva connotante passionem. Et licet passio *inhabensivè* passo, id non habet, quia sit forma denominationis patiē-

tis; sed quia constituitur passio per *in*, & sic respicit passum, sicut actio agens per *ab*.

Ad 1. confirm. nego majorem. Nam actio non denominat agens, ut *inhabensivè*, sed ut egrediens; quia recipere est pati, non est agere. Ergo cum non afficiat passum, ut subjectum à quo egreditur, sed in quo recipitur; idè non dat passo denominationem agentis, sed patientis. Actio ergo cum simul sit passio, dat duas denominationes, nempe agentis subjecto à quo egreditur, patientis subjecto in quo est. Ergo quia solum patientis est passum, in solo patiente debet esse actio; alioquin si esset in agente, ei daret utramque denominationem, agentis per egressum ab eo, patientis per *inhabensivè*. Hinc secunda probatio est falsa, quia actio posita in subjecto, non est denominatio agentis, sed patientis. Nec tenet secunda confirmatio, quia licet relatio, & quæcumque forma absoluta, solum denominet subjectum, in quo est; at actio specialiter denominat subjectum in quo non est, sed à quo egreditur. Hujus ratio est, quia sola denominatio agentis, est denominatio principij *egressivi*.

15. Ad 2. fundam. positam num. 2. constat ex dictis num. 13. dic. quod agens per actionem perficitur *egressivè*, non autem *inhabensivè*. Nec contra hoc sunt probationes antecedentes. Ad 1. dic. quod potentia agentis reducitur ad actum per actionem, ut egredientem, non per actionem, ut receptam. Ratio est, quia

reducitur ad actum operando : sed operari est esse principium egressio- nis actionis, non autem receptivum ejus, quia recipere, non est agere, sed pati. Ad 2. dic, quod æquè de Deo, ac de creaturis agentibus est verum, quod non perficiantur per actionem transeuntem receptam. Discriminantur, quia creaturæ saltem egressivè perficiuntur per actionem, & ab ea sumunt commodum, v.g. conservationem suæ speciei. Deus autem non sic, qui non producit ad extrà ex necessitate, aut propter commodum, sed ex fecunditate, ob meram bonitatem suam, quam variè diffundit.

Ad 1. confirm. dic, quod agēs creatum vel intrinsecè non mutatur, & hoc volunt multi; vel si mutatur, fit per virtutem ejus intrinsecam, ut connotantem actionem exercitam, sicut dictum est. Nego autem conseq. quia ad similem mutationem non requiritur receptio alicujus intrinseci, sed egressus à virtute intrinseca. Et patet, nam vi solius egressus, causa quæ erat potens intrinsecè ad illum, non potest jam, quia nulla creatura potest reproducere. Ergo post productionem unius termini causa creata est minus potens, ac antea : ergo mutata est intrinsecè. Ergo per solum egressum actionis, aut termini, & sine receptione alicujus intrinseci. Ad 1. probationem antecedentis dic, Philosophum ibi errasse, putans Deum mutabilem, si in tempore produxisset mundum. At error iste non nascitur, quia putaverit mutandum for-

maliter per actionem transeuntem; sed per immanentem sui decreti de productione mundi. Vel dic putasse mutandum per actionem transeuntem, ut de creaturis dictum est. Ad 2. probationem antecedentis patet ex dictis. Ad 2. confirm. dic, quod actio vitalis, ut actio præcisè, non petit subjectum inhesionis, sed ut passio. Differt autem à non vitali, quia vitalis petit principium egressio- nis identificatum cum subjecto receptionis. Actio autem non vitalis petit distinctionem realem agentis à patiente.

Ad 3. fundam. positum num. 3. nega quod relatio agentis fundatur supra actionem; fundatur enim supra virtutem, ut determinatà per actionem : ergo licet relatio, & ejus fundamentum sint in eodem agente, non sequitur quod actio in agente sit, sed quod ab eo egrediatur; quia sic est sufficienter determinativa virtutis agentis. Ad 2. probationem nega quod actio, & passio sint extrema relata; nã solum agens, & patiens se mutud referunt; & relatio mutua utriusque fundatur supra actionem, & passionem tantum connotativè, ut connotata sunt & determinativum virtutis activæ, & passivæ agentis, & patientis. Vide dicta in Logica lib. 6. citato.

16. Ad 4. fundam. positum num. 3. respondemus instando. Nam actio creativa non recipitur in agente: ergo nulla recipitur in agente. Respondemus 2. quod creatio satis indicat nostram sententiam de eo, quod actio ut talis, nullum petit subjectum inhesionis, quare nec in agente, nec

in passo recipitur, ut num. 10. probatum est. Dicimus 3. quod creatio activè sumpta, est actus immanens Dei cum Deo identificatus, ut dictum est sapiùs, sed præcipuè lib. 2. quest. 16. §. 4. Creatio autem passivè sumpta, non distinguitur à suo termino formali, qui est essentia. Ceterum quia essentia recipitur in essentia; idè creatio passivè sumpta, recipitur in passo, sicut terminus ejus. Nec contra hoc sunt probationes arguentis. Non prima, quia actio creativa Angeli activè sumpta, non pendet ab Angelo: bene tamen passivè sumpta, quia sic recipitur in essentia Angeli, sicut essentia ejus recipitur in essentia: unde pendet ab essentia ut à causa materiali.

Non etiam secunda. Quia actio vincens infinitam distantiam, est sola creatio activè sumpta; unde hæc certè nequit recipi in subjecto finito. Sed creatio passivè sumpta, nullam vincit distantiam, sed est terminus actionis vincens distantiam: quare in essentia finita recipitur, & ob id est finita, quia recipit existentiam cum reali distinctione.

Non tandem tertia. Quia nullum præsupponere subjectum convenit creationi propriæ, qualis est activè sumpta, non passivè. Iam verò creatio actio nullum præsupponit subjectum, quia licet terminus formalis ejus, nempe essentia, præsupponat essentiam, quæ est subjectum existentia; at ipsa essentia fit etiam ab actione creativa, & purè ex nihilo, quia ante essentiam nil est. Ergo

essentia præsupposita, non est subjectum præsuppositum creationi actioni, sed passioni, aut formali termino creationis.

17. Ad authoritates Philosophi, & D. Thomæ, constat ex dictis num. 4. de mente utriusque. Conciliantur quæ alioquin contraria videntur, dicendo cum P. Suarior, & alijs, D. Thomam, quoties insinuat actionem in agente, loqui de actione ratione relationis agentis resultantis, quæ relatio est in solo agente. Vel de actione, quæ solum virtualiter est transiens, sed formaliter immanens, ut sunt actiones Dei, & Angeli producentes terminum ad extrà. Vel loquuntur Philosophus, & D. Thomas de inhesionia lata, quæ stat in solo egressu, ut dictum est.

PP. Complutenses ad 1. auth. D. Thomæ dicunt loqui de actione in esse morali. Nam S. D. loquitur de peccato crucifigentium Christum Deum. At peccatum est in peccante quoad culpam: ergo actio illa moraliter fuit in Judæis crucifigentibus, licet physicè, ut hic est sermo, fuerit in Christo patiente. Vide apud ipsos prolixam disp. de mente S. Doct.

Fundamenta secundæ sententiæ posita à num. 4. non improbant nostram sententiam, si exponantur de actione identicè, & materialiter sumpta, quatenus est idem excitativè, aut modaliter cum termino, & sic recipitur in eodem subjecto, ac terminus, nempe in passo. Si verò id contendat suadere de actione formaliter, ut à termino aliquomodo disti-

distincta, nil potest opponi, quod *urgeat*, & non solvatur clarè ex di-

ctis pro nostra sententia. De tertia sententia erit sermo quæst. seq.

QVÆSTIO IV.

An sit necessaria duplex actio immanens, & transiens, in agentibus transeunter?

§. I.

Proponuntur sententiæ cum suis fundamentis.

1. **N**AZARIUS antiquus Thoma citatus à Complutensibus hic disp. 17. q. 4. §. 2. docuit quòd omne agens transeunter, operatur duplici actione, una immanenti, quam appellat metaphysicam, & hæc realiter distinguitur à motu deserviens unicè, ut per eam agens actuetur, & perficiatur intrinsecè. Altera, quam dicit physicam, identificatam cum motu, & receptam in passivo. Eandem sententiam docuit Mag. Joann. à S. Thom. in Philosophia q. 114. art. 4. & 1. p. Theologiae q. 44. art. 2. ubi tenet has duas actiones necessarias, & realiter distinctas, quæ solum dicuntur una unitate ordinis, non unitate identitatis, aut compositionis. Quam sententiam priùs docuit B. Egidius, ut videbimus, & defenditur ab ejus discipulis, licèt forsitan aliter explicetur à Thomistis laudatis.

Probatur hæc sententia 1. ex D. Thoma in 2. Sent. dist. 40 quæst. 1. art. 4. ad 1. ubi ait: *Actionem, & passionem non posse esse idem numero accidens, quia actio est in agente, & passio in patiente.* Sed juxta D. Thomam

3. Physicor. lect. 5, actio, & passio identificantur cum motu, & actio transiens est perfectio passi, & in eo recepta, sicut motus: ergo dum dicit actionem esse accidens distinctum à passione, loquitur de actione non transeunte, sed immanente, quam distinguit à passione, & motu, ut sic distincta sit perfectio solius agentis.

Et confirmatur. Nam S. Doct. 1. p. quæst. 54. art. 1. dicit, quòd *Actio est actualitas virtutis.* Et lib. 2. contra Gent. cap. 9. ait: *Quòd actio est complementum potentia.* Ergo sentit quòd causa agendo transeunter non perficitur purè extrinsecè, sed intrinsecè: sed per actionem transeuntem, identificatam cum motu, quæ solum recipitur in passivo, nequit perfici intrinsecè agens, ut patet; nemo enim perficitur intrinsecè perfectione in alio recepta: ergo ultra actionem transeuntem identificatam cum motu, ponenda est de mente D. Thomæ alia actio, quæ manens in agente, sit perfectio ejus intrinseca.

2. Confirm. 2. ex dictis quæst. præcedente, ubi vidimus D. Tho. varijs locis docere, quòd actio est in agente,

Quæstio IV.

te, & quòd actio est in passivo. At hæc non possunt intelligi de eadem actione: ergo concedenda est duplex de mente D. Thomæ. Probatur minor. Quia eadem actio nequit recipi in subjectis realiter diversis; & ob id S. Doct. ubi proximè, docet non esse idem numero accidens. Ergo est duplex, & sic duplex actio. Secundò probatur min. Quia explicationes, quæ dantur communiter, sunt contra litteram D. Thomæ. Dicitur enim S. Doct. loqui de emolumento agentis, vel de actione in esse morali; vel de relatione agentis; vel de inharretia lata, ut est egressio actionis ab agente. Sic explicatur illud dictum D. Thomæ, *Actio est in agente.*

At nulla explicatio congruit. Non prima; quia emolumentum sequatur ex actione, est extrinsecum agenti: ergo vi ejus non potest intelligi actio in agente. Non secunda; quia antequam D. Thomas lococitato loquatur de crucifixione Domini in esse morali, loquitur de omni actione in communi; & de ea sic, asserit esse in agente. Non tertia; quia relatio agentis est posterior ad actionem, & fundatur in actione: ergo præterquam relatio nequit esse in agente, nisi in eo non sit actio; hæc improprie dicitur in agente, quia relatio agentis in eo est. Non etiam quarta; quia egressio ab agente supponit, vel petit in eo actionem virtutis. Hæc nequit præstari per solum egressum. Restat ergo dicendum de mente Philosophi, & D. Thomæ (ait Joann. à S. Thom.) quòd pro omni

§. I.

effectu ad extrà, datur duplex actio, una in agente, quæ est inchoatio effectus, & per eam perficitur agens: alia in patiente, quæ est consummatio efficiencie effectus. Et sic bene exponitur D. Thomas dum dicit actionem esse in agente *inchoative*, & in passivo *consummative*.

3. Contrariam sententiam docent PP. Complut. ubi supra, quam probant sic impugnando Nazarium Philosophum nullam actionem agnovit distinctam à motu, & passione: sed motus, & passio sunt unica actio: ergo de mente Philosophi non est ponenda duplex, sed unica. Probatur major ex Arist. hic text. 19. ubi ait: *Motivi enim actus alius non est: oportet enim esse actum utriusque.* Et exponit D. Tho. *Ostendit quomodo se habeat motus ad movens; & primò proponit quòd intendit dicens: quòd actus motivi non est alius ab actu mobilis: unde cum motus sit actus mobilis, est etiam quodammodo actus motivi.* En de mente Philosophi, & D. Thomæ non est actus duplex pro movente, & mobili, sed unicus, qui est utriusque perfectio. Ergo non agnovit, sed expressè negat duplicem actionem pro agente, & patiente.

Probatur 2. à ratione. Quia visivum, & visibile sunt correlativa, idè eadem visio est actus visibilis, & visivi: sed movens, & mobile, sunt correlativa: ergo idem actus, & eadem actio, est utriusque perfectio, qua movens actu movet, & mobile actu movetur.

Confirmatur ex Philosopho 3. de

de Anima, ubi docet, quod movens dum mover, non movetur, quia eius operatio recipitur in passio: ergo non agnoscit aliam actionem in agente, quam si reciperet, moveretur, & mutaretur. Rursus Philosophus 5. Physic. docet quod ad unam actionem non datur alia. Sed qui ponit ad eundem effectum duplicem, unam in agente, aliam in passio, ponit unam actionem ad aliam: ergo contra Philosophum ponit duplicem,

§ II.

Egidiana sententia de duplici actione proponitur, & probatur.

4. Sententiam istam de duplici actione necessaria in agentibus transeunter, docuit B. Egidius Quodl. 6. quest. 4. §. dicemus. & q. 7. de Esse, & Essentia. Et 1. Metaph. q. 28. de cuius mente descenditur à nostris Bonerva hic, Gwardi tom. 3. Theolog. de Creatione quest. 2. art. 2. Villanova in Philosophia lib. 3. agens de subjecto actionis. Omnes hi cum Doct. Nostro tenent, quod sicut Deus creans agit duplici actione, una immanenti, cum Deo identificata, & dicitur creatio actio; alia transeunte, & indistincta à termino, quæ est creatio passio, aut creatio passivè sumpta: sic ignis v.g. calefaciens stupam, duplici actione operatur; una immanente, & hac perficit se ipsam, & se facit calidum in actu secundo; altera transeunte, & hac perficit stupam, quam actuat

calore.

Præcipuum fundamentum B. Egidij sumitur ex S. P. Augustino locis datis à nobis 1. Physic. q. 2. §. 1. & 2. ubi ex S. Parente explicavimus rationes feminales necessarias omni agentis; & quare dicuntur rationes, si inditæ sunt irrationalibus, & inanimatis. Ibi dictum omnia agentia creata agere artificiosè juxta dispositionem à Divina arte derivatam. Quam doctrinam agnovit Arist. lib. 7. Metaph. à cap. 25. usque ad 31. ubi ostendit, quod actiones naturales assimilantur actionibus artificiosis.

Nunc sic. Sed effectus artificiosus est à duplici actione, immanente, & transeunte: ergo etiam effectus moralis est à duplici actione. Probatur min. Domus externè constructa, est effectus actionis transeuntis factivæ domus. Insuper est effectus actionis immanentis, scilicet cognitionis artificis, domum in anima fabricantis. Ergo ad effectum artificiosum concurrunt duæ actiones. Vbi nota, quod intellectio artificis est actio immanens, deserviens, ut per eam agens perficiatur, & actuetur: actio autem externa non perficit agens sed passivè, & per eam domus ponitur actu in esse. Ergo eisdem titulis, ut ignis calefaciat stupam, & idem de quocumque effectu naturali, duplex actio adhibenda est; una qua ignis actuatur in se, & perficiatur; altera qua passivè immutetur, & terminus in passio producat.

5. Probatur 2. In omni actione transeunte agens, & patiens intrinsecè

secè perficiuntur, ut patet ex dictis tum hic, tum quest. precedente. Ergo vel perficiuntur actionibus realiter distinctis, vel unica & eadem. Quidquid dicas, teneris concedere duplicem: ergo pro omni effectu transeunte productio est necessaria duplex actio. Minor quoad primum patet, nam si agens, & patiens perficiuntur actionibus realiter distinctis, erit necessaria duplex; & hoc intendit D. Thom. n. 1. allegatus.

Iam verò, quod secundum, nempe, quod sit necessaria duplex actio, si agens & patiens perficiuntur eadem actione, videtur difficile; sed clarè ostenditur ex B. Egidio 3. Physic. text. 20. dub. 1. Actus idem nequit esse perfectio duorum, nisi illa sint aliquomodo unum: sed agens, & patiens sunt duo, & nequeunt esse unum, nisi ante actionem transeuntem ponatur altera actio immanens: ergo non possunt perfici eadem actione transeunte, nisi admittatur duplex actio, una immanens, alia transeunte. Major traditur à D. Thoma ubi supra num. 1. & videtur nota, quia eadem perfectio nequit perficere aut recipi in duobus subjectis realiter distinctis, nec unum accidens recipi in duobus, nisi unione sint unum, ut materia, & forma in composito receptivo accidentium.

Minor probatur. Ex duabus potentiis, nec ex duobus actibus, nequit fieri unum; quare nec ex duabus materiis potest fieri una, nec ex duabus formis una, sed ex materia & forma fit unum, quia ex sola potentia & a-

ctu sit unum per se, ut cum Aristot. docent omnes communiter: sed si ante actionem transeuntem non ponitur in agente actio immanens, qua actuatur ejus potentia, agens, & patiens sunt duæ potentia, nempe activa agentis, & passiva patientis: ergo si ante actionem transeuntem non ponitur actio immanens in agente, nequeunt agens & patiens fieri unum sufficienter, ut eadem actione transeunte perficiantur.

6. Hæc ratio confirmatur ex D. Thoma verbis datis num. 3. ubi de mente Philosophi docet, quod idem motus est actus motivi, & mobilis; & addit *ly quodammodo*, ut insinuet quod actio transeunte est propriè actus mobilis, sed non ita propriè subjecti motus, sed quodammodo. Ratio est hæc. Quia eo modo est perfectio mobilis, quo in eo recipitur, recipitur autem propriè. Eo etiam modo est actus movens, quo movens est unum cum mobili & passio: at non est unum propriè sicut materia, & forma, sed quodammodo, quia comparantur quodammodo, ut potentia, & actus: ergo motus, qui est propriè actus mobilis, est aliquomodo actus etiam movens, quia per actum immanentem fit actus, ut cum potentia patientis faciat aliquomodo unum.

Confirmatur 2. ex illo principio Philosophi sapè usurpato à D. Thoma, & DD. omnibus, *Unumquodque operatur in quantum est in actu*. Sed si ante actionem transeuntem non ponitur alia immanens in agente, non operatur ut est in actu, sed ut est in

potentia : ergo ponenda est immanēs ante transeuntem. Probatur minor. Esse in actu est conditio ad agendum prærequisita, vel formalis ratio agendi, unde debet intelligi ante operationem transeuntem : sed si non ponitur actio immanēs, nullus est actus, nec potentia agentis est in actu, sed merè in potentia ad suam operationem : ergo non operabitur ut in actu, sed ut in potentia.

Nec inlites in actione immanentem, quæ est operatio, & tamen non supponit causam constitutam in actu per aliam operationem præsuppositam; alioquin daretur processus in infinitum. Non inlites, tum quia agere immanenter non est strictè operari, ed quòd actio immanens apud omnes dicitur grammaticalis, non philosophica, unde potius est emanatio, quàm efficientia. Tum quia ad actiones etiam immanentes supponitur agens constitutum in actu, licèt non per aliam actionem, sed per actum formalem; nempe per cognitionem objecti, aut formam apprehensam, ut sic amet; vel per speciem objecti, ut intelligat. In casu autem nostræ questionis, forma caloris recepta in igne est actus formalis constituens sufficienter ignem ad se ipsum immanenter calefaciendum.

7. Probatur 3. B. Ægidij sententia ex P. N. August. lib. de Categ. cap. 13. ubi ait : *Id autem, quod calidum facit, calidum sit necesse est.* Ex quo sic. Ut ignis calefaciat lignū, debet esse in se calidus in actu secundo; sed sine actione immanente, di-

Physicorum.

stincta à transeunte in lignum, non est ignis calidus in se in actu secundo : ergo sine actione immanente, nequit ignis transeuntes calefacere. Major patet, quia ignis qui in actu secundo non est calidus, est ignis qui in actu calidus non est, sed potest esse. Talis autem, dato quod forsitan non repugnat, est tamen insufficientis ad calefaciendum alia. Nam prius est, ut patet ex P. N. August. & experientia, quòd ignis sit in se calidus actualiter, quàm quòd possit extrà calefacere. Prioritas constat ex hac causalitate à priori, quia ignis est actu calidus, idèd potest ad extrà calefacere, quæ ab omnibus conceditur vera.

Minor probatur. Ignem esse calidum in actu secundo, non est tantum habere qualitatem caloris, sed ea habita, per illam agere in se ipsum, & se ipsum calefacere : sed calefacere se ipsum, est actio immanēs, ut patet : ergo sine tali actione immanente ignis non est calidus in actu secundo. Probatur hæc major, Vivens esse vivens in actu secundo, non est tantum habere formam vitalem, sed est operari per illam vitaliter : ergo ignem esse calidum in actu secundo &c. Probatur conseq. Idèd antecedens est verum, quia anima non est forma tantum faciens ad esse, sed simul ad esse, & ad operari. Patet hoc, nam quia quantitas purè facit ad esse, idèd esse quantum in actu secundo, & extensum, nil est nisi actu habere quantitatem. Similiter data forma corporeitatis, quia hæc purè facit ad esse, idèd esse corpus in actu secundo, ni-

hil

Questio IV.

hil aliud est, quàm habere formam corporeitatis. Atqui calor, & omnis qualitas operativa, non est forma, quæ purè facit ad esse, sed ad esse simul, & operari : ergo sicut habens animam, solum est vivens in actu primo, redditur tamen in actu secundo vivens per operationem immanentem; ita habens calorem est calidum in actu primo, redditur autem calidum in actu secundo per actionem immanentem.

Confirmatur. Calor est virtus calefactiva sui, & aliorum; hoc est subjecti proprii, & extranei : ergo est activa in subjectum proprium per actionem immanentem, & in alienum per transeuntem. Sed implicat, quòd calefaciat extraneum subjectum, quin prius calefaciat subjectum proprium; ergo implicat in igne actio transiens calefactiva ligni, quin præcedat actio immanens calefactiva sui, qua redditur in actu secundo calidus in se.

§. III.

Solvuntur quedam contra nostram sententiam, & aliarum fundamenta expenduntur.

8. **H**ÆC doctrina nostra plura habet contra se, quæ à Complutenensibus omissa sunt; sed hic oportet dissolvere. Argues 1. ex B. Ægidio quest. laudata de Esse, & Essentia §. Resp. dicendum. Vbi hanc actionem immanentem ignis, & aliorum agentiam, dicit latam. Quod probat ex Prolo propos. 47. & 71. de Causis, ubi dicit, quòd nullam

agens corpoream potest habere actionem converivam supra se : sed ignis est agens corporeum; & si se ipsum calefaceret, haberet actionem converivam supra se; sicut intellectus se ipsum intelligens, & voluntas se ipsam amans, sunt converivæ potentia, & ob id purè spirituales : ergo ignis nec calefacit se ipsum, nec habet actionem illam immanentem, quam contendimus, sed merè est actu calidus per receptionem caloris, aut in merito genere causæ formalis, ut ibidem innuat B. Ægidius.

Confirmatur. Si ignis, & alia agentia, agerent duplici actione, quarum una esset immanens; illa esset vitalis : ergo omnia essent agentia animata, quod falsissimum est. Patet consequentia, quia solius agentis animati est agere per actionem immanentem, & vitalem. Antecedens probatur. Nam actio vitalis est *Motus à se, & in se*; hoc est actio recepta in eodem principio, à quo egreditur; talis est omnis actio immanens.

Respondeo ex doctrina M. P. August. in Psalm. 116. ubi ait : *Qui excutit, aut se excutit, aut aliquid aliud. Si aliud excutiat, excutiens est; non excussus : si ab alio excutiat, excussus est, non excutiens. Si autem excutiat se ipsum, excutiens est, quia excutitur à se.* En actio agentis corporei, (sola enim corporalia excutere, & excuti possunt) reflectitur supra se, modo quò ignis calefacit se, non minus quàm alia, immò magis; quia se in summo calefacit, alia à se infra

summum. Ergo Procli propositio nõ benè explicata, instatur ad oculos. Intellectio est conversiva, quia potest se ipsam intelligere; & amor se ipsum amare: at nec calefactio potest se ipsam calefacere; nec excussio se ipsam excutere, ut patet. Vnde nulla actio talis agentis corporei est conversiva supra se; benè tamè activa in subjectum proprium, quod non est esse conversivam. Talem conversivam relegat B. Ægidius, & ob id adducit propositiones Procli. Sed talè negamus nos, ponentes tamen latè conversivam, quæ activa est in subjectum proprium.

Ad confirmationem dic, quòd *ly motus à se, & in se*, non dicit purè actionem immanentem in eodem principio: alioquin qui docent omnem actionem recipi in agente, tenerentur concedere omnem actionè esse vitalem, & omnia agentia esse animata. Rursus dum aqua calida se restituit in pristinam frigiditatè, dicitur communiter, quòd ipsa in se causat frigiditatem novam, similem pristinæ deperdita: at nemo dicit talem actionem esse vitalem, licèt sit ab aqua, & in aqua: ergo &c. Quo exemplo, & à paritate probatur ignem se ipsum calefacere efficièter, sicut aqua in se ipsa producit efficienter frigiditatem, quam recuperat.

Hæc, & alia inanimata non moventur à se, sed à generante, qui dedit tales formas, ut igni calorem, aquæ frigiditatem, quibus in se, & in alijs patientibus possunt operari. Ob id non agunt vitaliter. Animata au-

tem non moventur à generante, nisi in primo motu vitali; in reliquis moventur à se, & sic vitaliter.

9. Argues 1. Si in igne datur duplex actio, immanens, & transiens, dabitur duplex virtus calefactiva, nèpe immanens, & transiens: sed hoc præterquam est inauditum, est implicatorium; ignis enim unicam habet calorem; in unico calore implicat duplex virtus: ergo & implicat in igne illa duplex actio.

Confirmatur. Natura abhorret superflua: sed ad unicum effectum naturalè superfluit duplex actio: ergo ad calefaciendù lignù nõ datur duplex actio in igne. Et urgetur. Nã actio est dependentia effectus à causa; sed ut calor ligni depèdeat ab igne, sufficit unica dependentia: ergo & unica actio.

Confirmatur 2. Vel actio transiens est effectus actionis immanentis, vel non. Si primum? Ergo ad unam actionem ponimus aliam, quod negat Aristot. hic, & 5. Physicor. Si secundum? Ergo immanentè ponimus sine termino; & sic sine entitate, quod est implicatorium. Patet consequentia, quia juxta B. Ægidiù suprà, entitas actionis est entitas termini. Quare quæ nullam habet terminum, nullam habebit entitatem.

Respondemus exemplo Augustiniano dato. Virtus excussiva sui ipsius, & aliorum, non est duplex, sed unica; quia est ad excutiendum se, & alia: ergo & virtus calefactiva sui & aliorum in igne, non est duplex, sed unica. Respicit tamen utramque actionem ut duas inadæquatè, & unicam

cam adæquatè, adæquatione ordinis, ut ex Ioan. à S. Thoma dictum est; nam immanens ordinatur ad transeuntem.

Ad 1. confirmationem dic, quòd pro unico effectu superfluit duplex actio transiens, sed non duplex, ita ut una sit immanens; nam hæc est necessaria non pro effectu, sed pro agente, ob rationes nostras datas. Hinc non urget alia probatio. Nam sola actio transiens, est dependentia effectus à causa; non ponimus duplicem, quare nec duplicem dependentiam. Actio immanens non est dependentia effectus, sed actualitas agentis.

Ad 2. confirmationem insta illam in visione beata, quæ juxta B. Ægidium, & D. Thomam, nullum producit terminum: ergo nullam habebit entitatem, cum entitas actionis, sit entitas termini. Nec hoc est speciale contra nos. Nam, ut vidimus quæst. 2. §. 1. communiter dicitur, quòd actio solùm modaliter differt à termino. Ergo dum actio non producit terminum, datur modus sine re, cujus est modus, quod sanè implicat. Rursus cum modus non habeat entitatem, nisi rei cujus est modus, ponunt etiam actionem sine entitate.

Directè respondemus, quòd actio illa immanens ignis, est indistincta entitativè, & modaliter ab illo esse calido in actu secundo, quod habet ignis vi suæ actionis immanentis; differt tamen quidditivè ab illo esse. Quare licèt actio immanens non habeat pro termino transeuntem, ha-

bet tamen terminum, nempe esse calidum in actu secundo. Hic terminus habet entitatè, ut patet; ergo non ponitur in illa actione quidditas sine entitate. Quæres, quomodo se habeat actio immanens ad transeuntem? Respondeo, quòd non ut actio, sed ut complementum principij ad actionem transeuntem. Dato quòd poneretur ut actio; non esset inconvenièns, quia Philosophus negat unam actionem transeuntem ad aliam transeuntem, sed non actionem immanentè ad transeuntem, ut quæst. 17. & 16. dictum est de actione immanente Dei, quæ causat nostras actiones.

10. Argues 3. Calor respectu subjecti proprii non se habet ut causa efficiens, sed ut causa formalis: ergo exercitium reddendi ignè calidum in actu secundo, non est actio immanens, & effectiva, sed est mera informatio, & causalitas causæ formalis. Antecedens probatur. Omne accidens respectu subjecti proprii in quo recipitur, est forma accidentalis: sed forma respectu subjecti receptivi est mera causa formalis, ut patet ex dictis lib. 2. ergo.

Confirmatur. Quod præstat calor igni in genere causæ formalis, nõ præstat efficienter, nec per actionem effectivam: sed esse calidum, quod ignis habet à calore, præstatur in genere causæ formalis: ergo ut sit calidus ignis, non indiget actione immanenti, sed mera receptione caloris. Major patet, quia ex opposito sequitur conclusio generum causarum. Minus etiam est certa, nam calor in genere causæ

causæ formalis, & ut forma, aliquē effectum formalem præstat; non aliū nisi esse calidum.

Respondeo ex dictis num. 7. quod formæ aliæ faciunt purè ad esse, ut quantitas, figura, corporeitas &c. aliæ faciunt ad esse simul, & ad operari, ut anima, & quæcumque qualitates activæ. Formæ primæ generis, unicè exercent causalitatem formale respectu subjecti; & ob id semel receptæ in subjecto, dant ei suam esse in actu secundo. Sic substantia recipiens quantitatem, vi solius receptionis, & informationis est quanta, & extensa, nedum in actu primo, sed in actu secundo. Similiter materia recipiens formam corporeitatis, purè facientem ad esse, vi illius est corpus, aut corporea nedum in actu primo, sed in actu secundo.

Formæ autem operativæ non sic; nam quatenus faciunt ad esse, illud dant formaliter subjecto; sed quatenus faciunt ad operari, non dant suū effectum in actu secundo, nisi media causalitate effectiva. Constat hoc in anima, quæ facit ad esse, & ad operari, nam vivere est agere. Dat ergo anima per solam sui informationem esse vivens in actu primo, sed non esse vivens in actu secundo: nam pro hoc necessaria est causalitas effectiva, nec sufficit formalis. Ergo cum qualitas effectiva caloris sit forma faciēs ad esse, & ad operari, vi tantum informationis dat esse calidum in actu primo, id est posse se calefacere in actu secundo; vi autem actionis immanentis dat igni esse calidum in a-

ctu secundo. Quare sicut corpus recipiens animam, habet esse vivens in actu primo, & recipit posse ad esse vivens in actu secundo; sic dic de igne recipiente calorem à generante; habet vi receptionis esse calidum in actu primo, & posse se reddere calidū in actu secundo.

Hinc solvitur argumentum, neg. antecedens. Ad probationē dic, quod forma, quæ purè facit ad esse, est mera causa formalis respectu subjecti proprii. Secus forma, quæ facit simul ad esse, & ad operari. Observa, quod doctrina est vera adhuc in potentia generativa, quæ non potest esse generativa subjecti proprii, cum nemo possit se ipsum generare. Est tamen vera, quia potentia illa est simul alterativa. At licet nemo possit se ipsum generare, potest tamen se ipsum alterare; nec in generationibus unicè passum alteratur, sed agens: ergo nulla est forma activa purè subjecti extranei, quæ non sit aliquomodo activa subjecti proprii. Ad confirmationem dic, quod effectus formalis caloris est reddere calidum in actu primo; & hic non præstatur efficienter à calore; præstatur tamen efficienter esse calidum in actu secundo.

11. Restat solvere fundamenta Complutensium posita num. 3. Ad 1. nego antecedens. Nā Philosophus fecit mentionem de actione immanenti, dum sapè docet, *Unumquodque operari in quantum est in actu*, quod num. 6. explicatum est de actione immanente necessaria. Fecit de transeunte, dum hic agit de motu. Fecit de

utra-

utraque, dū loco nobis objecto docet eundem actū esse perfectionem agentis, & passi. Nam hoc est impossibile, nisi ex parte agentis ponatur actio immanens, ut num. 5. probatum est. Quare argumentum ex Philosopho, & D. Thoma, non est contra nos, sed pro nobis.

Ad 2. concedo quod eadem actio est perfectio agentis, & passi: ceterum inde non sequitur releganda actio immanens pro agente, sed ponenda, ut patet ex num. 5. Exemplum visivi, & visibilis non est ad rem: quia visibile per visionem non perficitur intrinsecè, sed extrinsecè: unde eadem visio est perfectio intrinseca videntis, & extrinseca objecti visibilis. At in generatione agens, & patiens juxta Aristot. perficiuntur intrinsecè. Ergo ut eodem actu perficiantur, debet agens actuari prius per actionem immanetem, ut sic fiat unū

cum passo; quod non petit videns cū visibili. Vide num. citat.

Ad confirmationem dic Philosophum, & interpretes ibi loqui de motu identificato cum actione transeunte. De hoc est verum, quod per illum nō mutatur agens, sed passum; quia in solo passo recipitur, ut dictum est. At quia agens actuatum immanentèr, est aliquomodo unum cum passo; idè etiam per actionem transeuntem mutatur, & perficitur agens, ut docet D. Thomas ubi supra num. 6. Per actionem autem immanetem, quam ponimus, mutatur agens, sed non ut agens, sed ut patiens, ut dictum est quæst. præced. Ad ultimum patet ex dictis, quia actio immanens non ponitur ad transeuntem, sed ad actualitatem agentis. Dato poni ad transeuntem, non implicat una ad aliam diversæ speciei: immanens, & transeuens differunt specie.

QUESTIO V.

Quid sit infinitum, & an sit possibile?

§. I.

Traditur diffinitio infiniti, explicantur ejus proprietates, & ostenditur nihil extra Deum esse infinitum.

1. **I**N tota hac quæstione quæ de infinito tum in genere, tum in determinata specie disputantur, ex communibus principijs deciduntur: quare cum nihil Schola Ægidiana speciale teneat in hoc puncto, ab eo me expediam breviter. Si prolixio-

rem disputationem desideres, consule Cardin. Aguirre in Philosophia.

Infinitum à prisca Philosophis diffinitum fuit sic: *Cujus nihil est extrinsecè*. Impugnatur ab Aristot. quia convenit cuilibet toti perfectio. Quodcumque ens, si perfectum est, ita est, ut

extra

extra nihil ejus sit. Rursus. Da numerum Angelorum infinitum. Tolle à n. illo unum Angelum: certè numerus manet, ut antea infinitus. Patet, quia infinitam per ablationem unitatis finitæ, non redditur finitum. Sed de illo infinito remanente non est verum, quòd ejus nihil sit extrà; nam supponitur unus Angelus extra collectionem positus: ergo infinitum non benè diffinitur ab antiquis.

Ob hæc Aristot. hic text. 62. dicit: *Non enim infinitum est id cujus nihil est extrà; sed id, cujus aliquid semper est extrà.* Hoc est, cujus qualibet parte designata, semper restat alia, & alia designabilis. Quare cum possit infinitum concipi secundum numerum, secundum quantitatem, secundum intensionem, & secundum substantiam, aut essentiam; dicendum est de mente Aristot. quòd infinitum secundum multitudinem est numerus talis, ut quolibet designato, semper restat alius, & alius major designabilis. Infinitum secundum magnitudinè, est corpus sic extensum, ut quolibet designato termino, adhuc extenditur ultra. Infinitum in intensione, est cujus quolibet gradu designato, adhuc amplius intenditur. Infinitum secundum perfectionem est, cujus qualibet perfectione assignata, alia, & alia sine termino restat assignanda.

2. Hæc Philosophi diffinitio videtur data pro infinito syncategorematico, quod est tale in potentia, non pro infinito in actu, quod dicitur categorematicum. Primò, quia

infinitum in actu est impossibile, ut cum Aristotele dicemus: sed quod est impossibile est nihil, & non habet essentiam; quare nec potest diffiniri: ergo hic non diffinitur infinitum categorematicum. Secundò: nam dato Deum producere infinitam collectionem creaturarum, tunc esset in re infinitum in actu. At illi non conveniret diffinitio Aristotelica, sed ea antiquorum, nempe, *Cujus nihil est extrà*: ergo si quæ diffinitio est infiniti categorematici non est Aristotelica, sed quæ ab Aristot. impugnatur. Tertio, quia infinitum nequit explicari per terminos positivos, sed per negativos: sed diffinitio Aristot. traditur per terminos positivos: ergo non est infiniti categorematici.

Ob hæc melius diffinitur cum P. N. Augustino Epist. 56. & libro contra Epist. Fundam. cap. 20. infinitum est, *Quod caret principio, & fine. Vel Quod nullis clauditur terminis.* Vbi nota, quòd infinitum juxta Aristot. propriè dicitur de quantitate molis: extenditur tamen ad quantitatem virtutis juxta M. P. Aug. lib. 6. de Trinit. cap. 8. dicentem: *In his que non mole magna sunt, idem est majus esse, quod melius esse.* Quare Deus dicitur infinitus, non quia infinita mole distentus, sed quia in omni linea infinitè perfectus est. Hinc verior infiniti notio sumenda est ex quantitate molis infinita, si eam possumus concipere. Illam diffinit P. N. Augustinus ubi suprà sic: *Infinitum corporeum est, quod per infinita spatia distenditur, & nullo sine cohibetur. Vel*

Quod

Quod locorum finibus non ambitur. Hinc omne infinitum rectè explicatur negativè sic: *Quod nullis terminis clauditur.*

Ne autem in re parva deservamus Aristotelè, dic ad objecta, quòd primum non urget. Nam licèt impossibile sit infinitum in actu, benè tamen diffinitur negativè, ut ex P. N. Augustino vidimus, & omnes consentiant: ergo & benè ab Aristot. Quod si impossibile supponeretur ante diffinitionem, adhuc posset diffiniri saltem negativè, sicut nihil diffinitur *Quod non est.* Et impossibile, *Quod existere non potest.* Hoc modo diffinitur infinitum, data ejus impossibilitate. Ceterum non sic concipitur, dum diffinitur sed ut possibile per similitudinem ad Deum, qui in re infinitus est. De quo sic diffinito, dubium est postea sit possibile, an non?

Ad 2. dic nihil tunc fore extra illam multitudinem, sed non idèd multitudo illa esset infinita. Quod patet. Nam suppose totam collectionè esse finitam, & totam à Deo produci. Tunc nihil esset extra illam: sed non idèd illa esset infinita, cum eam supponamus finitam. In eo casu nulla esset designabilis creatura ultra quam non esset alia, & alia designabilis: & ob id multitudo illa foret infinita.

Ad 3. dic, quòd diffinitio Aristot. æquivaleret diffinitioni Augustiniana traditæ per terminos negativos. Nam idem est *Aliquod esse extrà*, ac esse extra omnem terminum finitè. Sed hoc est idem ac nullis ter-

minis finiri: quare diffinitio Aristot. est etiam per terminos negativos.

3. Infinitum, ut dictum est, aliud est categorematicum & in actu, aliud syncategorematicum, vel in potentia. Primum est, cujus partes actu existunt simul. Talis esset linea infinita, si actu daretur; nam omnes partes haberet existentes. Hoc modo Deus infinitus est, quia in omnigenere habet perfectionem sine ullo termino, & quidquid est, actu existit, non in potentia. Secundum est, cujus partes actu sunt finitæ, sed in potentia sunt infinitæ. Hoc modo partes quantitatis sunt infinitæ syncategorematicè: quia actu finitæ sunt, sed per divisionem in semper divisibilia, sunt infinitæ in potentia.

Nota, quòd nullis claudi terminis, arguit infinitatem, quando oritur ex perfectione, ut in Deo; secus si ex imperfectione, ut in pūcto, quod est ita imperfectum in genere quantitatis, quòd caret extensione, & terminis. Sic dicitur de ente rationis, quod carere omni materia, non est in eo perfectio, sed imperfectio. Hinc etiam est, quòd nunc non est se modo infinitate potentialitatis materie. Primò, quia hujusmodi infinitas est propter imperfectionem. Secundò, quia non est infinitas categorematica, sed syncategorematica ad formas non actu infinitas, sed in potentia sine termino.

Philosophus hic text. 30. assignat quatuor infiniti proprietates, nempe esse principium; esse incorruptibile; esse conservativum; & esse quid

Divinum. Hinc meritò P. Suarius in Metaphysica disp. 28. notat Gentiles Philosophos subodoratos esse infinitatè Dei. Patet ex proprietatibus hic designatis, quæ plenè soli Deo convenire possunt. Est ergo de ratione in finiti esse principium. Nam quod non est principium, est principiatum: sed omne quod principiat, finitur: ergo nullum infinitum est principiatum, sed est principium. Est etiam incorruptibile; quia nullam habet potentiam ad non esse; alioquin per illam finiretur. Est conservativum; quia cum sit primum principium, ad illud pertinet conservare, quæ agit & principiat. Est tandem Divinum, quia incorruptibile quid Divinum est, maxime quod est omnium principium. Hinc patet Philosophum hic non locutum de infinito in potentia, ut putat Cardin. Aguirre, sed de infinito in actu, cui soli istæ proprietates conveniunt.

4. An autem de facto sit in rerum natura aliquid infinitum præter Deum, nunc temporis à nemine dubitatur. Citantur pro affirmativa sententia Platonici, extra Deum ponentes ideas actu infinitas rerum. Pythagorici docentes numeros esse rerum principia, & admittentes in sensibilibus infinitum, quod dicebant non esse substantiam, sed quamdam corporis proprietatem, v.g. quantitatem, aut figuram. Pro eadem stare poterant Atomistæ, ponentes omnia ex atomis facta. Ceterum de Platonis mente satis dictum est in Logica lib. 3. q. 2. §. 2. ubi ab Aristotelica impostura vindicatur. De aliis satis dictum est

in Philosophia lib. 1. q. 1.

Vera, communis, & Catholica sententia Deum agnoscit categorèmaticè infinitum; quæ verò extra Deum à Deo creata sunt, finita sunt. Deum infinitum in omni genere dicente perfectionem, testantur ubique Scripturæ; ut Baruch. 3. *Magnus Dominus, & non habet finem.* Inde probat S. P. August. infinitatem Dei lib. 3. contra Maximinum cap. 16. Et Psalm. 144. dicit M. P. sic: *Cogita quantum vis, quando autem potest cogitari, qui capi non potest: Laudabilis est, & valdè, & magnitudinis ejus non est finis. Ideò dixit valdè, quia magnitudinis ejus non est finis, ne fortè incipias velle laudare, & putes te laudando posse finire, cujus magnitudo finem non potest habere.*

Rationes plures sunt unde convincitur infinitas Dei, sed aliæ Theologicæ, ut ex asseitate, quæ est à se, & nullum habet principium, quare nec limitativum; ex summa simplicitate, qua quidquid in Deo est, ibi est per identitatem, & sic cum infinitudine; ex immutabilitate, qua nec decrementum, nec augmentum potest suscipere, & alijs, quæ vide apud Theologos. Philosophicè, & naturali ratione id probatur ab Aristotele ex motu infinito, & æterno, qui cum sit à Deo movete, arguit à posteriori virtutem motricem infinitam. Sed hæc ratio, ut in Metaphysica expendit Suarius habet antecedens falsum, & consequentiam dubiam. A D. Thoma nec non à B. Ægidio, quos Suarius citat ibidem, probatur ex quo solus Deus est suum esse, de quo Exodi dictum est

Ego

Ego sum qui sum. Quare solus identificat existentiam; quod arguit infinitatem. Non approbat Suarius rationem istam, quia in creaturis finitis putat etiam existentiam identificari. Videatur dicta à nobis lib. 1. Philosophiæ quæst. ult. ubi satis de ratione ista dictum est.

5. Jam verò quod omnia extra Deum facta, sint actu finita, probat directè, & ex professo S. P. August. lib. 11. de Civit. Dei cap. 4. & seqq. Et supra Psalm. 156. ex illo Sapientiæ 11. *Omnia fecisti in numero, pondere, & mensura:* sed quæ sic facta sunt clauduntur terminis numeralibus pōderosis, & mensurabilibus: ergo omnia finita sunt.

Signanter de corpore magis noto, dicit lib. de Vita beata disput. 1. *Modum habere omnia corpora, à natura constitutum, ultra quam mensuram progredi nequeunt.* Et Epist. 28. *Corpus non est, nisi quod per loci spatium sistitur, & movetur.* En nullum corpus, quod non habeat mensuram; nullum quod à loco non circumscriptatur, & finiatur. Immo Epist. 56. docet, quod si corpus esset aliquod infinitum, non haberet superficiem, & figuram, quæ sunt termini quantitatis, dicit enim *Hoc corporum est, ut quæcumque infinita fuerint, sint & informia,* hoc est line forma, & figura. Quod est naturaliter impossibile. Rationes pro hoc asserto patebant ex dicendis de potentia absoluta, quæ

urgentiùs probant
de facto,

De infinito secundum magnitudinem.

6. **T**ENENT divinitus possibile quantitatem continuam infinitam N. Arimin. in 1. dist. 44. q. 4. N. Argent. in 2. dist. 1. q. 2. art. 2. Venetus, & alij, quos sequuntur Vazquez, Hartado citati à N. Villanova hic Probatur 1. Quia Deus cognoscit quantitatem actu infinitam, ut docet S. P. August. lib. 12. de Civit. Dei cap. 18. Ergo potest illam producere. Patet conseq. quia si illa quætitas infinita est in cognitione Divina, potest illa cognitio applicari ad opus à Divina voluntate, volente causare quod cognoscit. Et urgetur. Dum Deus cognoscit illam quantitatem infinitam, vel illam cognoscit ut possibilem, vel ut impossibilem. Si primum? Ego ipsa in se est possibilis, & sic potest à Deo produci. Si secundum? Ergo non cognoscit illam directè, sed indirectè, sicut cognoscit falsitates indirectè per speciem veri, qua privant. Hæc consequentia est cōtra P. Aug. loco laudato.

2. Omnipotentia est virtus infinita, quæ debet habere objectum, in quo manifestetur. At solum potest virtus infinita manifestari per productionem magnitudinis infinitæ: ergo hæc est divinitus possibilis. Confirmatur. Apud omnes est possibile infinitum in potentia, immò datur de facto in partibus continui quæ sunt infinitæ in potentia: at frustrà est potentia, quæ non est reducibilis ad actum: ergo potest dari divinitus infinitum in actu.

Rursus. Corpus habens partes infinitas, est infinitum: at nullum est continuum, quod non habeat partes infinitas: ergo nullum est, cui repugnet infinita extensio. Hæc levia sunt.

Fortius pro hac sententia argues sic. Nulla est quantitas, cui per additionem non possit Deus facere majorem, & majorem in infinitum. Vel aliter. Nulla est cogitabilis quantitas ita magna, ut Deus non possit producere majorem. Ergo vel deveniendum est ad aliquam finitam ita magnam, ut Deus non possit majorem producere; vel semper progrediendum est usque ad quantitatem infinitam, qua nulla major sit possibilis. Patet consequentia. Quia si omnes quantitates possibiles sunt finitæ; & omnes sunt inæquales, Deus benè noscit quam sit ceteris maj. Illa erit finita, & ultra eam non poterit Deus facere majorem, quod implicatorium est, & contra naturam quantitatis. Ne hoc dicatur tenendum est, intra collectionem omnium quantitatum possibilium, eam quæ ceteris major est, esse quantitatem infinitam. Ergo infinita possibilis est.

7. Contraria sententia est communis, quam cum D. Thoma, & Scotto docent Thomistæ, & Scotistæ. Traditur à B. Ægidio in 2. Sentent. dist. 2. q. 1. art. 1. §. Tertia autem. Probatur ex ultima autoritate S. P. Augusti. allegata num. 5. Nam implicat quantitas sine forma, & figura, aut saltem nõ exigens aliquam formam, & figuram: sed forma, & figura sunt termini quantitatis; nulla autè quan-

titas infinita potest petere terminum; immò petit carere terminis; ergo implicat magnitudo infinita.

Rursus, implicat corpus, quod non sit mobile: mobilitas enim est propria passio corporis, sicut risibilitas est passio rationalis: sed corpus cum infinita quantitate, & magnitudine non esset mobile: ergo implicat. Probatur min. Et quidem de motu recto, patet: nam hic fit per derelictionem unius loci, & acquisitionem alterius. Sed corpus infinitè magnum replet omne spatium, & sic nõ posset locum deperdere, & novum acquirere: ergo nec moveri motu recto. De circulari probatur sic. Nam motus circularis fit per transitum unius partis ad locum alterius: sed inter partes illius corporis infiniti esset distantia infinita, & impertransibilis per motum: ergo non posset illud corpus moveri circulariter.

Urgetur. Quòd lineæ magis protrahuntur à centro, eò magis distant inter se, ut patet in radiis rotarum: ergo dum infinitè protrahuntur, distant in ultimo infinitè inter se. Sed lineæ illius corporis infiniti, protraherentur infinitè à puncto centrico: ergo infinitè distarent: quare non possent per motum circulem sibi invicem succedere. Vide alias rationes in AA. citatis.

8. Ad fundam. posita num. 6. respondemus, & ad auctoritatem S. P. Augustini dic, ibi S. Doctorem loqui de quantitate discreta, ut sunt numeri. Hic autem est sermo de quantitate continua, Fatemur propter ultimum

argumentum eadem esse rationem de quantitate continua, & discreta, nam sicut natura numeri talis est, ut semper sit possibilis alius major; sic nulla est designabilis extensio continua, qua major alia non sit possibilis. Quid autem in casu isto dicendum sit, patebit ex solutione ultimi argumenti.

Ad 2. dic omnipotentiam esse subjektivè in se infinitam actu, sed nõ objectivè. Præterea: Sicut in productione creaturarum, quæ sunt entia ab alio, explicat perfectionem suam, quæ est entis à se; ita in productione entis finiti, explicat suam infinitatem; maximè in creatione, ubi juxta D. Thomam, & B. Ægidium, vincit infinitam distantiam inter nihil, & ens. Ergo ut explicet infinitatem, non est necessarium, quòd possit producere effectum infinitum.

Ad confirmationem dic, quòd ex partibus continui, dato quòd sint infinitæ, solum sequitur infinitum secundum multitudinem, de quo postea. Nunc agimus de infinito continuo secundum extensionem. Sed dices. Pars ad dita parti, facit majus in extensione: ergo partes si sunt infinitæ, & unitæ, faciet extensionem infinitam. Respondet, quòd antecedens est verum de partibus aliquotis nõ se communicantibus. Sed istæ in continuo nõ sunt infinitæ, sed finitæ. Falsum est de partibus proportionalibus, se communicantibus. Nec istæ in continuo sunt actu infinitæ, sed in potentia. Nec ex hac potentia ad actum valet consequentia, quia ut benè notat B. Ægidius actus

hujus potentie, non est completa divisio continui, nam hæc est impossibilis; sed incompleta, in partes semper divisibiles in infinitum. Ad 2. confirmationem patet ex dictis pro prima.

Ad ultimum argum. sumptum ex cognitione Dei, eo probatur possibilis numerus infinitus omnium maximus; nec non gradus intensiois infinitæ omnium maximæ; nec non etiã creatura omnium perfectissima. Quæ omnia in via D. Thomæ, & B. Ægidii impossibilia sunt. Hunc nodum difficillimum, ut possim, dissolvam, sed prius communem solutionem proponam, & motiva, quibus illi non acquiesco. Sit sermo de numeris, ubi clariùs procedemus.

9. Villanova cum communi aliorum DD. consensu dicit, quòd Deus non cognoscit determinatè numerum omnium maximum, sed indeterminatè. Ratio est, quia cum Divina cognitio rem cognoscat juxta sui naturam; & natura numeri talis sit, ut quolibet determinato, sit possibilis alius, & alius major in infinitum; idè Deus nõ cognoscit determinatè numerum reliquis majorem, sed cognoscit indeterminatè, hoc est cognoscit numeros alios, & aliis majores sine termino, nec venit ad ultimum reliquis majorem, vel quoniam talis numerus non est possibilis, vel quia nõ cognoscitur à Deo determinatè, sed indeterminatè. Quare nequit ille à Deo produci, quia vel non est possibilis, vel nõ cognitus determinatè, nõ potest determinatè produci.

Huic doctrinæ non acquiesco, quia

quia Deo tribuit imperfectissimum modum cognoscendi, nempe indeterminatum, & confusum, talem qualem nos homunculi habemus, ut dixit S. P. Augustinus adducendus. Patet hoc, quia nos etiam noscentes numeros esse posibles in infinitum alios alijs majores, cognoscimus indeterminatè, & confusè possibilem unum reliquos excedentem. Quid ergo amplius noscit omniscius Deus? Audi nunc M. P. Augustinum, expressè concedentem scientiam Dei cognoscere numeros infinitos, non confusè, sed comprehensive.

S. P. lib. 12. de Civitate Dei cap. 17. disputans contra Veteres dicentes: *Nulla infinita ulla scientia comprehendit*: ostendit numeros esse infinitos, & tamen comprehendi à scientia Dei, (comprehendi dicit, non cognosci confusè, & indeterminatè) eò quòd scientia Dei est infinita, & ejus non est finis, nec numerus. Dicit sic cap. 18. *Nec Dei scientia, quæ infinita sunt, comprehendit* (supple dicunt Veteres) *restat eis, ut dicere audeant, atque huic se voragini profunda impietatis immergāt quòd non omnes numeros Deus noverit. Eos quippe infinitos esse certissimum est, quoniam in quocumque numero finem faciendum putaveris, idem in se non dico uno addito augetur, sed quamlibet sit magnus, & quamlibet ingentem multitudinem continens, in ipsa ratione, atque scientia numerorum, non solum duplicari, sed multiplicari potest.* En ex natura numeri probatum, collectionem numerorum esse infinitam: quā à Deo cognosci, & comprehendi certissimum

est, & impium asserere contrarium.

Prosequitur S. P. dicens: *Ita verò suis quisque numerus proprietatibus terminatur, ut nullus eorum par esse cui cumque alteri possit.* (Hoc est, sunt essentialiter inæquales) Ergo & *disparēs inter se, atque diversi sunt: & singuli quique finiti sunt; & omnes infiniti sunt.* Itaque numeros propter infinitatē nescit omnipotens Deus, & usque ad quamdam summam numerorum scientia Dei pervenit, ceteros ignorat? *Qui hoc etiam vel dementissimus dixerit?*

Absit igitur ut dubitemus, quòd ei notus non sit omnis numerus, cujus intelligentiæ, sicut in Psalmo canitur, non est numerus. Infinitas itaque numeri quamvis infinitorum nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis ei (nota cognitionem perfectā, & comprehensivam, non autem confusam, & indeterminatam) *cujus intelligentiæ non est numerus. Quapropter, si quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur, perfectò, & omnis infinitas quoddam ineffabili modo finita Deo est, quia scientiæ ipsius incomprehensibilis nō est. Quare si infinitas numerorum scientiæ Dei, quæ comprehenditur, esse nō potest infinita: qui tandem nos sumus homunculi, qui ejus scientiæ limitem fingere præsumamus?*

10. En concedit numeros infinitos posibles ex vi naturæ numeri, qui duplicari, & multiplicari potest in infinitum. Dicit etiam eam collectionem numerorum infinitam, non esse numerum; nam numerus habet ultimam unitatem, hanc non habet, nec potest, collectio infinita numerorum.

Hæc

Hæc collectio infinita perfectissimè, & comprehensive noscitur à scientia Dei. Quare quasi finitur, dum comprehenditur, eò quòd usque ad ultimum cognoscitur, nec aliquid latet. Sed si finitur à comprehendente, quomodo est collectio infinita? Respondetur ex S. P. quia non finitur per scientiam finitam, sed per infinitam, cujus non est numerus. Sic Deus infinitus, & incomprehensibilis à se ipso comprehenditur, & quasi finitur: est tamen absolute infinitus: nam à solo infinito comprehensibilis.

Hæc doctrina de numeris, applicanda est partibus continui proportionalibus, quæ infinitæ sunt, nec non gradibus posibles intensionis qualitatis; atque etiam gradibus essentialis perfectionis creaturarum, quorum essentialis, ut dicitur, sunt sicut numeri, nempe inæquales, & aliæ alijs perfectiores in infinitum. Quapropter dum ab arguente assumitur scientia Dei, quæ noscit numerum omnium maximum, creaturam omnium perfectissimam, extensionem, aut intensionem omnium maximam, quæ sanè si darètur forent infinita in actu; nūquam dicendum puto talia vel nō cognosci à Deo, vel cognosci confusè, & indeterminatè. Sed cum S. P. Aug. concedendum censeo ea cognosci clarè, determinatè, & comprehensive. Nego tamen consequentiam de cognitione Dei ad productionē. Quare omnia relata posibles sunt cognosci, sed nō posibles sunt produci. In tota hac questione est sermo de infinito in actu existente, & à Deo producto, non

de infinito à Deo cognito, nec consequens valet de cognitione ad productionē.

11. Disparitas solidissima est, & multis ostenditur, quæ summatim proponam. Primò Deus cognoscit comprehensive collectionem omnium creaturarum: non tamè potest producere illam collectionem. Ex primo nullum sequitur absurdum; ex secundo sic, quia juxta D. Thomam exhauriretur omnipotentia, & nō esset omnipotentia. Quare non posse producere quantum potest cognoscere, non derogat omnipotentia; imò quia est omnipotens nō potest producere, quantum potest cognoscere.

Secundò. Creaturæ in se, & ad extrā productæ, habent limitativum: quare nulla semel producta, potest esse infinita. Creaturæ in scientia Dei non habet unde limitentur; unde ibi possunt, & revera habet infinitatem. Ratio primè est, quia quod produci-tur, principiatur; quod principiatur limitatur, nam habet principium, & finem sui esse. Ob id Verbum Divinum est productum, sed nō principiatum, quia produci-tur à principio infinito, agèt quantum potest. Sic Deus ad extrā nō operatur, nec potest, quia per nullam creaturā exhauriri potest omnipotentia. Ergo cum omnis creatura in re producta, aut producibilis, limitetur vi productionis, nulla extra Deū potest esse in ullo genere infinita. Benè tamen in scientia Dei, ubi nullum est limitativum.

Tertio. Quia quidquid produci-tur à Deo, cadit sub determinata intentione Dei. Hoc probat D. Thom.

sicut

sicut supra S. P. Aug. ex illo Sap. 11. *Omnia fecisti in numero, pondere, & mensura.* Sed quod est infinitum non potest sic cadere; quia infinitum non habet certam, & determinatam sphaeram: ergo nihil ad extra productum, potest esse in ullo genere infinitum. Fatetur D. Thomas nullam rationem ex Philosophicis pro repugnantia infiniti, esse demonstrativam. Hanc autem ex Theologicis, putat urgentiorem, & meritò. Ea evincitur repugnantia infiniti in quocumque genere; nec non demonstratur, quòd licet Deus cognoscat scientia sua numeros infinitos &c. eos non potest producere, quia productio cadit sub determinata intentione Dei; secundum cognitionem. Quo fit quòd relatè ad scientiam Dei est possibile infinitum in quocumque genere; sed non relatè ad omnipotèntiam. Si quid speciale in hoc asserto invenias, illud illustra, & corrobora: mihi tamen non licet, quonià in antecedentibus nimis prolixè disputavi. Vide N. Villan, in Philosophia lib. 3. disp. 2. dub. 5. num. 76. Et me infra n. 21.

Nec te terreat fundamentum solutionis hinc impugnata, datum num. 9. Nam potius evincit oppositum. Cognitione Dei res cognoscit juxta earum naturam; ceterum non cognoscit eas in eis, sed in se ipso, ut cum S. P. Aug. lib. 83. qq. q. 46. docent D. Thomas, & B. Aegid. At natura numeri in se ipsa non est infinita, quia sic cadit sub omnipotentia, & sub determinata intentione Dei, quod repugnat infinito: eadem tamen natura, ut in Deo, & relatè ad scientiam Dei, nullum habet li-

mitativum, ut ostensum est. Ergo attempto modo cognitionis Dei, & conformitate ejus cum natura rei, ut in se ipso; potius sequitur quòd Deus cognoscat numerum infinitum, & determinatè numerum omnium maximum, ut ex M. P. August. ostensum est.

§. III.

De infinito secundum multitudinem.

12. **T**ENENT possibile divinitus infinitum in actu secundum multitudinem N. Arimin, & DD. citati §. precedente. His accedunt illi DD. qui agentes de compositione continui Aristotelica, eam impugnant, quia inde sequitur dari in quolibet continuo infinitum in actu, quod hic negat Aristot. quare antilogia redarguunt principia Aristotelica hic data, & lib. 6. sequenti. De hoc vide Cardin. Aguirre lib. 6. Physic. disp. 34. & me forsan audies lib. 6. dum sermo sit de compositione continui.

Probatur ergo sententia ista 1. Omnia presentia, praeterita, & futura, sunt multitudo infinita, quae simul existunt in aeternitate, ut dicitur 1. p. q. 4. & 14. Sed sicut simul existunt in aeternitate, poterant simul existere in se ipsis, vel in alio medio extrinseco: ergo possibilis est multitudo infinita.

Confirmatur. Si mundus fuisset ab aeterno, praecessissent à creatione mundi usque nunc infiniti dies, infinita tempora, & motus infiniti: at mundus potuit esse ab aeterno: ergo pos-

possibile est infinitum secundum multitudinem.

Confirm. 2. Tunc casus singulis diebus potuisset Deus unum hominem creare; ergo cum dies forent infiniti, essent etiam infiniti homines producti. Urgetur. Dato quòd homo esset creatus ab aeterno, tunc ab aeterno habuisset cognitiones; & cum homo sit immortalis quoad animam, & aeternus à parte post, habebit cognitiones sine fine multas, & diversas. Ergo in casu, quo ab aeterno esset creatus, non esset designabilis prima cognitio ejus, nec ultima: sed quòd non habet primum, nec ultimum, est infinitum: ergo in cognitionibus humanis probatur possibile infinitum in actu.

Confirmatur 3. Instantia unius horae sunt infinita juxta Arist. sententiam de qua lib. 6. sed potest Deus in singulis horae instantibus unum Angelum producere: ergo possibilis est multitudo infinita Angelorum.

Confirm. 4. ex doctrina ejusdem Arist. qui sibi contrariatur. Nam vel continuè componitur ex partibus finitis, vel ex infinitis. Si ex infinitis: Ergo cum partes illae actu existant in continuo, jam juxta Arist. non solum est possibile, sed datur de facto infinitum in actu. Si ex finitis: Ergo cum omne finitum possit exhausti, jam continuè per successivam divisionem exhaustiri potest, & sic possumus dividendo continuè venire ad partes indivisibiles. Sed hoc est contra sententiam Arist. de compositione continui, quod dicit non componi ex indivisibilibus, sed ex partibus semper, & in infinitum divisibilibus: ergo haec doctrina de infinito non coheret cum doctrina de compositione continui.

13. Contraria sententia cum Arist. hic est D. Tho. & B. Aegidij in 1. dist.

39. q. 1. art. 3. & est communis apud omnes Scholasticos. Traditur à P. Aug. lib. 11. de Civ. Dei cap. 4. ubi refutat eos, qui tenuerunt caeli motum, tempus, & mandum ipsum esse infinitum, & aeternum. Eos redarguit ex illo Sap. 11. *Omnia fecisti in numero, pondere, & mensura.* Sed quidquid à Deo potest fieri, non aliter fieri potest, nisi in numero, pondere, & mensura. Ergo cum infinitum non sit numerabile, ponderabile, aut mensurabile; infinitum non est possibile.

Huc spectat praecipua ratio D. Tho. Quidquid est à Deo producibile, cadit sub determinata intentione Dei: sed infinitum, nullam habens sphaeram determinatam, nullumque terminum determinatam sphaeram, non potest cadere sub determinata intentione Dei: ergo non est possibile, aut producibile. Major patet tum ex textu allegato, tum quia quidquid est producibile, est ens determinatum, & habet determinatam essentiam: ergo dum producit ab agente Divino, debet cadere sub determinata intentione Dei.

Rursus, implicat numerus, qui per suam essentiam non sit in aliqua determinata specie: sed in numeris sola ultima unitas dat speciem: ergo cum infinitum non habeat ultimam unitatem, implicat numerus infinitus. Major probatur. Numerus non existens in specie determinata, haberet essentiam infinitam, & careret differentia essentiali, qua res creata determinatur ad speciem. Sed implicat numerus creatus habens essentiam infinitam: ergo.

Præterea implicat numerus compositus ex pluribus infinitis: sed numerus infinitus componeretur ex pluribus infinitis: ergo implicatius est. Minus pa-

tet, quia ex finitis nequit fieri infinitū; nec finitum additū finito, facit infinitū. Maj. probatur. Nā infinitū cōpositum ex duplici medietate infinita, non esset majus sua parte; cū unū infinitū non sit majus alio. Præter quā quod majoritas, & minoritas sunt proprietates quantitatis finitæ, & desumuntur relatè ad terminum determinatū, quæ omnia non sunt in numero infinito.

Rursus, implicat numerus, qui nec à Deo sit numerabilis sed ita esset numerus infinitus: ergo implicat. Probatur min. Quod numeramus, cōputamus à prima usque ad ultimā unitatem; sed in numero infinito non est ultima unitas, nec Deus potest venire ad ultimam ejus unitatē, quæ in infinito non est: ergo &c.

Hæc ratio videtur esse contra doctrinā datā §. præced. ex P. Aug. Sed revera nō est. Nā vel de ratione numerationis est pervenire ad ultimā unitatem; vel unicè noscere omnes unitates numeri. Si primū? Deus noscēs numerū infinitū, non numerat illū, quia nō venit ad ultimā unitatē? Si secundū? Certè Deus noscens numerū infinitū, illum numerat, & suo modo finit, & cōprehēdit, quia nulla est in numero illo unitas, quæ à Deo non plenè cognoscatur.

Tandē probatur. Quia sicut de essentia continui est esse semper divisibile in ulterius divisibilia, ita de essentia numeri, est posse duplicari, & multiplicari, per additionē unitatū. Sed numero infinito nequit fieri additio unitatis; & dato restare unitatē addendā infinito, per illam additionem non fieret majus; quia infinitum nequit crescere: ergo.

34. Ad fundam. posita n. 1. & 2. ref.

pondemus, quod omnia præterita, præsentia, & futura, nō sunt multitudo simpliciter infinita, sed secundū quid. Patet hoc. Quia Christus inquantū homo noscit illa, quare juxta D. Thom. scientia Christi æquat in numero scitorum scientiā visionis Dei, quæ est de præteritis, præsentibus, & futuris. At scientia Christi nō est simpliciter infinita; foret tamen si nosceret objecta, & multitudinem simpliciter infinitam: ergo.

Ad 1. confirm. dic, admissō casu creationis mundi ab æterno, de quo infra lib. 8. tunc daretur infinitū à parte ante, dierū, & motuū, sed non à parte post, nec infinitū simpliciter quod nec habet principium, nec finem. Per hoc patet ad 2. confirmationem.

Ad urgentiā de creatione hominis ab æterno, cujus anima tunc esset æterna à parte ante, & à parte post, quare variādo cognitiones, haberet infinitas simpliciter, cū nec prima esset designabilis, nec ultima. Dicendū est, tunc Dei providentia disponendum, quod homo non variaret cognitiones, sed unica nosceret, sicut modò Beati, de quibus dicit S. P. Aug. quod non habēt volubiles cogitationes, sed unica, & permanente noscunt Deū. Sic tunc à Deo disponendū, patet ex rationibus, quibus probata est repugnātia multitudinis simpliciter infinitæ. Ad 3. dic, quod in hora sunt instātia determinata, sed hæc finita sūt. In eis potest Deus Angelos producere, sed produceret finitos. Instātia indeterminata sunt infinita, sed in eis nequit Deus, quidquā producere. Quia quidquid producit cadit sub determinata intentione ejus, & in mensura determinata rei, quæ producitur.

Ad 4.

Ad 4. confirm. constabit ex dicendis lib. 6. interim respōdetur ex D. Th. quod partes aliquotæ cōtinui sunt finitæ. Partes proportionales sunt infinitæ. At istæ non faciunt numerū infinitum. Ratio est, quia numerus cōstat ex unitatibus adæquatè distinctis. Sed partes proportionales cōtinui, cū sint cōmunicantes, & se mutuo includentes, modo quo homo, & animal, non sunt adæquatè distinctæ, sicut homo & animal, non sunt duo: ergo non faciunt numerum, aut multitudinem infinitam.

§. IV.

De infinito secundū intensionem.

15. **N**egatur cōmuniter possibilis intensio infinita qualitatis. Sic docetur à B. Ægid. in 1. dist. 17. p. 2. q. 1. art. 3. Implicat qualitas infinite intēsa in subjecto finito, capaci solum qualitatis, & intēssionis finitæ: sed omne subjectū finitū est, ut dictū est §. 2. & dicitur infra de omni creatura: ergo implicat infinitū secundū intensionem.

Vergetur. Vel intensio fit per additionē gradus ad gradū, vel per majorē radicationem in subjecto. Si primum? Ergo implicat infinita intensio, sicut implicat infinitus numerus graduū, cujus repugnātia probata est §. antec. Si secundum? Ergo cū in subjecto finito nequeat qualitas infinite radicari, implicat infinita intensio qualitatis.

Dices. Hæc ratio probat de qualitate tantū producta in subjecto, at Deus potest producere eam sine subjecto, sicut cōservat accidētia Eucharistica sine illo: ergo nil probatur. Et cōfirmatur. Juxta D. Th. & B. Ægid. ita qualitates limitantur per subjectum, ut si

Deus produceret albedinē in abstracto albedo foret infinita. Sed Deus potest producere albedinem sine subjecto: ergo potest dari infinita qualitas.

2. Si Deus operaretur ex necessitate naturæ, ageret quantū potest: sed potest infinite: ergo produceret qualitatem infinite intensam. 3. Gratia habitualis Christi D. fuit omnium perfectissima: ergo infinita, & consequenter possibilis est qualitas infinite intensa.

16. Ad 1. dic, quod licet Deus produceret qualitatem extra subjectū, sepe illa per suā essentiam diceret ordinē ad subjectum. Ab hoc ordine limitaretur. Hinc ad confirmationē dic, Beatos DD. loqui de qualitate producta nedum extra subjectū, sed sine ordine ad illud. Sic non potest à Deo produci: quare infinita qualitas impossibilis est.

Ad 2. dic, quod adhuc in eo casu qualitas producta limitaretur à subjecto, vel ob actualē intēssionē, vel ob aptitudinalē, ut cōtingit in accidentibus eucharisticis. Ad 3. dic, gratiam Christi habitualē non fuisse physicè infinitam, sed moraliter, quod vide latè probatū à Cardin. Aguirre in Philos. disp. 23. sect. 4.

§. V.

De creatura omnium perfectissima, sive de infinito secundū essentiam.

17. **S**icut numerus omnium maximus est infinitus, ut supra vidimus ex P. Aug. ita creatura omnium perfectissima est infinita quoad essentiam, vel habet essentiam infinite perfectā. Ratio sumitur ex illo vulgari axiomate, *Species sunt sicut numeri*. Similitudo ita in duobus. Primò sicut numeri sunt inæquales in unitatibus, sic species inæquales

Yy.

tunt

sunt in perfectione essentiali. Rursus sicut numerus addita, vel ablata unica unitate non manet idē; sic nec species, & essentia rerum variatur quolibet addito, vel detracto. Hinc venit, ut sicut numerus nullus est designabilis, quo non sit possibilis alius major, ut docet P. Aug. lib. 1. contra aduersariū legis cap. 2. ita nulla est designabilis species creata, qua maior, & perfectior possibilis non sit. Quare sicut numerus omnium maximus, si est possibilis, est infinitus; ita infinita esset in perfectione essentia creatura omnium perfectissima. Ob id disputatur hoc lib. 3. de eius possibilitate.

Sententiā affirmatiuā tenet N. Vernetus 8. Phys. cōm. 15. Durādus in 1. dist. 44. q. 2. Henriqus quodl. 3. q. 3. ex RR. Arriaga in Phil. disp. 13. sect. 13. & aliqui ex Scotistis citati à Cardin. Aguirre in Philosophia disp. 24. per totam, ubi contrariam sententiam, ut communem defendit.

18. Probatur 1. ex P. August. 12. Confes. cap. 7. ubi Deum alloquēs dicit: *Duo fecisti Dñe, unū prope te, aliud prope nihil, & nū quo tu, superius esses, aliud quo inferius nihil esset.* Hoc est materia prima, illud autē natura Angelica. Ex quo sic. Possibilis est creatura omnium imperfectissima; imò de facto datur nempe materia prima: ergo possibilis est creatura omnium perfectissima. Patet conseq. tū à paritate, tū à ratione. Nā sicut juxta P. August. hic, perfectio creaturę sumitur per accessū ad Deum, & ob id natura Angelica est perfectior, quia prope Deum est; ita imperfectio sumitur per recessum à Deo, qui est summa perfectio; sed dabilis est

creatura sic distās à perfectione Dei, ut non sit possibilis alia imperfectior, nempe materia: ergo dabilis est creatura sic propinqua perfectioni Dei, ut non sit possibilis alia perfectior. Illa autem erit omnium perfectissima.

Confirmatur. Juxta P. Aug. in laudatis verbis natura Angelica salte generice sumpta, est genus omnium supremum, & prope Deum. Et tamen illud genus infinite distat à perfectione Dei: ergo licet nulla in specie designabilis sit creatura, quę non distet infinite à Deo, non idē benē probatur à sententia contraria, quod non sit possibilis omnium suprema.

Confir. 2. Supposito quod omnes species sunt inæquales in perfectione, Deus videns omnes creaturas posibles, videt eas se gradatim excedere; quare videt illā, quę ceteras omnes excedit; sed illa est omnium perfectissima: ergo illa possibilis est. Patet conseq. quia si non esset possibilis, nō videretur intra collectionē possibilium.

Confir. 3. Licet forsan in genere Angelico non sit summa propinquitas cū Deo, ut contendebamus ex P. Aug. illa est tamen in collectione omnium possibilem; cū extra illam collectionē non sit cogitabilis creatura Deo vicinior. Sed illa summa propinquitas cū Deo, nequit convenire collectioni ratione omnium specierum, nec ratione duarum æqualium, quia supponimus species omnes esse inæquales: ergo convenit ratione unius speciei. Hęc erit omnium possibilem suprema, Deo vicinior, & omnium perfectissima. Nec videretur in collectione omnium possibilem, nisi esset possibilis.

Con-

Conf. 4. ab Arriaga. Deus potest producere creaturā summē perfectam quā potest producere. Hęc propositio videtur identica. Demus illam produxisse. Vel ergo potest Deus producere aliā perfectiorē, vel non potest. Si primum? Ergo non produxit summā, quā potuit, & hoc est contra suppositum. Si secundum? Ergo possibilis est creatura omnium perfectissima, cujus perfectio excedi non possit ab alia possibili.

Tandē. De facto sunt aliqua producta, quę juxta D. Thom. 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. ita perfecta sunt, ut non possint à Deo effici meliora, v.g. unio Hypostatica; visio beata, & donum Maternitatis Dei hominis. Ergo cōtra conceptum omnipotentia non est, posse producere creaturam ita essentialiter perfectam, ut perfectior sit impossibilis.

19. Contraria sententia est cōmunitis, & vera. Traditur à D. Thoma 1. p. q. 25. art. 6. & q. 1. de Potentia art. 2. & alijs locis, quę videbis in Aguirre. Docetur à B. Agidio quodl. 3. q. 5. & alijs locis quę invenies in Villanova.

Probatur multis. Præcipua ratio sumitur ex P. Aug. ubi supra. Nulla est possibilis creatura, quantumque sit Deo propinqua, quę non distet infinite à perfectione Dei: ergo nulla est possibilis inter quā, & Deum non sit possibilis alia, & alia perfectior in infinito.

Respondet Arriaga instando in collectione omnium possibilem, quę infinite distat à Deo; & tamen inter collectionem, & Deum non est possibilis creatura perfectior illa collectione. Hęc solutio fundatur in implicatione, quā id, quod est infinitum in potentia,

sumitur collectivē, & in actu. Contra illā vide Aguirre multis arguentē. Tibi sufficiat instantia de numeris. Nā nullus est possibilis, cui non possit fieri additio, & sic fieri major. Et tamen si sumas collectivē omnes numeros, illi collectioni nequit fieri additio. Ergo sicut in numeris malē arguitur, & fallaciter à collectione ad speciem omnium maximam; sic à collectione creaturarum ad omnium perfectissimam.

Probatur 2. ex B. Agidio in 2. d. 1. p. 1. q. 3. art. 3. omnis creatura est essentialiter ens per participationē: ergo nulla est possibilis infinita secundū essentiam. Patet conseq. Quia participare est partem capere; nec ulla creatura potest à Deo infinitam Dei perfectionē capere, sed partem. Nunc sic. Sed creatura omnium perfectissima, esset infinita; nam data quacumque finita perfectione, potest sine dubio alia major, & major in infinitum producī à Deo: ergo impossibilis est creatura omnium perfectissima.

Huic rationi affirmis est ea, quę utuntur PP. Carmelitę disp. 18 quæst. 2. §. 2. sic. Omnis natura creata, & creabilis constat ex genere, & differentia; & convenit univoce cum alijs naturis creatis: ergo nulla potest esse infinita secundū essentiam. Patet consequentia, quia per genus, & differentiam limitatur natura, & quasi intra terminos essentialia concluditur. Ad idem probatur ab alijs ex distinctione essentia ab existentia in creaturis. Ceterum principium hoc non est receptū DD. Societatis, quibus plana est impossibilitas hujus creaturę.

Melius cum Villanova probatur.

Qui

Qui a nulla est creatura, quæ non habeat aliquam potèntialitatè. Tum quia solus Deus est actus purus; tum quia omnis creatura est medium inter materiam primam, aut nihil, & Deum. A Deo habet actualitatem, à materia, vel per accessum ad nihilum potentialitatem. Sed à potentialitate venit limitatio: ergo nulla est possibilis creatura, quæ non sit limitata. At omnium perfectissima non esset limitata, sed infinita in perfectione essentiali, ut dictum est; ergo &c.

20. Ad fundam. posita num. 18. respondemus P. Aug. ibi locutum de creaturis à Deo de facto creatis, non de ijs, quæ potuit creare. Nec inter creatas materiã est omnium imperfectissima, licèt sit prope nihil, quia cum sit substantia, est perfectior omnibus accidentibus, à quibus exceditur sub ratione actualitatis. Sunt autè possibilis aliæ entitates minus distantes à nihilo, quarum essentia nos latet; nec P. August. dixit materiam esse *Id quo inferius nihil est possibile*, sed id quo inferius nihil est, intellige de facto.

Ad 1. confirm. dic. genus Angelicum esse supremum omnium inter substantias de facto productas, sed non inter possibles, nam sine dubio sunt possible alia genera, nobis ignota. Colligitur ea esse possible; quia cum genus Angelicum sit perfectionis finitæ; & possibilis sit alia major perfectio in infinitum; possibile est aliud genus supremum, & excellentius genere Angelico.

Ad 2. confirm. respondent DD. cõmuniter negando Deum cognoscere aliquam creaturã, in qua sistant Dei

cognitio, ita ut non sit alia major, quam cognoscant. Recurrunt ad instãtiam numerorum, ut suadeant Deum non cognoscere numerũ omnium maximum, nec quantitatem continuã omnium maximam. Alij cum Villanova concedunt Deum illã cognoscere indeterminatè, sed non determinatè. Hanc doctrinam impugnavi satis à num. 9. & seqq. quare juxta principia P. Aug. dicendum est Deum cognoscere sicut omnes numeros, ita omnes creaturas; & inter eas omnium maximam, sicut numerum omnium maximum. Ceterum hoc probat esse possibilem cognitioni Dei, ubi non habet numerus, nec creatura limitativum: sed quia in productione limitatur, idè illa creatura quæ possibilis est scientiæ Dei, non est possibilis produci extra Deum. Rationem vide num. 11.

Hinc ad 3. confirm. omiffa etiam cõmuni solutione ob rationem datã, respondeo ex nostris principijs intra collectionè omnium possiblem dari illam creaturam Deo viciniorem, vi cujus tota collectio est Deo propinquior. At illa est possibilis cognitioni, & scientiæ Dei, sed non productioni. Videtur inter possibles; non quia possible produci, sed possible cognosci. Sic tota collectio videtur ut possible: at non ut possible produci, quia impossibile est Deum producere totam collectionem, & totum quod potest, ut dictum est num. 11. sed ut possible cognosci.

Ad 4. nego majorem, quæ non est propositio identica, sed complicatoria. Sicut hæc *Deus potest producere totum, quod potest*. Hoc negant Theologi

logi cum D. Thoma, nam tunc omnipotentia exhauriretur, & non esset omnipotentia; cum post completam productionem omnium, quæ potest, nil posset ampliùs, & sic esset nihil potens. Nequit autem producere creaturam, quam noscit omnium perfectissimam; quia productione limitaretur, & caderet à perfectione prævisã, habendo limitativum in re extrã, quod non habet in scientia Dei.

21. Dices: ergo Deus noscit aliquod possibile, quod non potest facere. Quomodo ergo est omnipotens? Respondeo instando in collectione omnium possiblem, quam Deus non potest facere, & ponere in re; cum tamen ea sit possibilis. Directè respõdeo, quædam esse possible tam antecedenter, quàm consequenter; quia sicut prævidentur à Deo, possunt poni in rerum natura sine ulla implicatione. Quare respectu talium tã verum est quòd Deus potest illa facere, quã quòd ipsa possunt fieri à Deo. Alia autè sunt possible, quæ solum sunt talia antecedenter, & in actu primo, attendente potentia Dei, quæ infinita est; ceterum sunt impossible consequenter, & in actu secundo, quia nõ ponuntur in re, nisi cum implicatione. De his est verum quòd Deus potest illa facere, sed non est verum quòd ipsa possint à Deo fieri. Vel ut monet D. Thom. 1. p. q. 25. art. 3. in corpore *Convenientius dicitur quòd talia non possunt fieri, quàm quòd Deus non possit facere*. Quia in primo tota impotentia tribuitur effectui, in secundo tribuitur Deo; & hoc verum non est.

Restat ostendere quænam sint solum possible antecedenter, & in actu primo. Respectu nostræ potentia id est satis notum; nam stante lesione possumus ambulare potentia antecedenti, unde ambulatio est possibilis antecedenter, sed non consequenter. Similiter, assensus, & dissensus sunt nobis simul antecedenter possible, sed non consequenter, quia pugnant in statu existentia simul, sed non in statu possibilitatis. Hoc modo respectu potentia Dei, quædam sunt possible antecedenter, quia in signo ante productionè, quòd est signum potentia, non repugnant; repugnant verò in signo existentia. Ecce exempla.

Sit primum ex P. August. cujus est doctrina, quam sequimur. S. P. lib. 24. de Musica cap. 11. dicit: *Ista vis numero inest. ut omnis dictus finitus sit, non dictus infinitus*. Hoc est, quicumque designatur, finitus est; sed non designatus; & designabilis, est infinitus. At Deus noscit numerum infinitum, possibile quidem, & designabilem in actu primo, ut supra vidimus: hic autem repugnat existere, quia nequit existere nisi productus; productione autem designatur, & dicitur, & sic non potest esse infinitus; quia numerus omnis dictus finitus est, non infinitus. Ergo ex natura numeri habetur, quòd est aliquis, qui ante signum existentia, & productionis est possibilis; sed in signo existentia impossibilis est.

Secundum exemplum est in collectione omnium possiblem. Hæc noscitur ut possibilis, & revera possible est antecedenter in signo potentia

tia Dei. Ceterum in signo existentia est impossibilis, quia implicat productio, & existentia totius collectionis possibilium.

Tertium exemplum in omnibus, quae respectu nostrae potentiae sunt antecedenter possibilis, sed impossibilia consequenter. Nam eodem modo sunt respectu Dei. Ratio est, quia cum potentia nostra deriveretur a Deo, nihil est ex parte potentiae nostrae possibile, quod non sit etiam possibile Deo. At quia plura nobis possibilis in signo potentiae, repugnant in signo existentiae ratione alicujus adjuncti implicantis, repugnant nedum nobis, sed Deo etiam: quare nedum nobis, sed Deo etiam sunt impossibilia consequenter, ut de assensu, & dissensu dictum est.

Talia sunt omnia quantitativa quantitate molis, aut quantitate virtutis, quae possunt crescere, & esse majora in infinitum. Talia in signo actus primi non habent limitativum, ut probatum est n. 11. Unde in eo signo sunt infinita, & possibilis antecedenter. Ceterum, quia in signo existentiae, & productionis, habet limitativum; ideo quae in signo antecedenti erant infinita, redantur finita; & sic repugnant in signo existentiae, quae possibilis erant in signo anteriori.

Hinc ad replicam, distinguo illud consequens. Ergo Deus noscit aliquod possibile, quod non potest facere. Ali-

quod possibile antecedenter, & consequenter, nego: aliquod possibile antecedenter, sed impossibile consequenter, subdit. Non potest facere consequenter, concedo: antecedenter; iterum subdistinguo. Ob defectum potentiae, nego consequentiam. Ob repugnantiam termini in statu, & signo existentiae, concedo consequentiam. Quare de talibus melius dicitur quod ipsa non possunt fieri a Deo, quam quod Deus non possit ea facere.

Ad ultimam confirmationem positam num. 18. in fine, dic talia ibi numerata non posse fieri meliora, quatenus reduplicant Deum, quae involvunt, quia nil est possibile melius quam sit Deus. Ipsa tamen secundum se, & specificative, non sunt talia, ut non possint a Deo fieri meliora. Solutio est D. Thomae ibidem in solutione ad 4. dicentis: *Ad 4. dicendum, quod humanitas Christi ex hoc quod est unita Verbo, & beatitudo creata ex hoc quod est fruitio Dei, & beata Virgo ex hoc quod est Mater Dei, habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus: & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo.* Ipse sit fi-


nis nostri libri tertij, qui

Paulum rapuit us-

que ad tertium

caelum.

LIBER



LIBER QVARTVS

PHYSICORVM.



Etum est Libro tertio de motu, & de subiecto illius, quod est mobile: nunc agendum de utriusque mensura; quare agendum est de loco, qui est mensura mobilis, & de tempore, quod est motus mensura. Nullus sane motus est, qui vel non sit ad locum, vel in loco: quidquid sit de possibilitate creaturae nulli existenti, de qua dubitari potest, an possit moveri, semel nulli locata. Cumque loco contrarie-

tur vacuum, ideo hic etiam de vacuo disputatur ab Arist. qui librum hunc quatuordecim capitibus absolvit: quinque prima sunt de loco, quatuor sequentia de vacuo, reliqua de tempore, & duratione motus. Plura ab interpretibus disputantur hoc libro, quae cursim attingemus, Deo favente, ut quid teneat Schola nostra scias, ubi temporis pressura non permittat prolixè disputare. Sit ergo.

QVÆSTIO I.

An sit locus, quid sit, & qualiter immobilis?

§ Vnicus

Traditur breviter Aristotelica, & communis sententia

Supponit Arist. in praesentia dari locum, vel quia notum est, vel quia facile probatur ex motu locali, quem dari docet experientia. At in motu locali aliquid acquirit mobile; nec aliud nisi novum locum: ergo ex locali motu probatur dari locum, & hunc non esse quid rationis, sed quid reale, reali actione acquisitum. Hinc, ut bene notat B.

Aegidius in praesenti, sicut mutatio substantialis facit nos venire in cognitionem materiae, quae est subiectum receptivam formae, ad quam fit mutatio: ita motus localis ducit nos in cognitionem loci, qui est corporum receptaculum, dum moventur localiter.

Ob id facile vindicatur Plato ab impostura Aristotelis hic textu 15.

ubi allegat tantum Philosophum in Tymro docuisse locum esse materiam primam. Equidem materiam locum appellavit, sed non strictè, sed per similitudinem, eò quod sicut locus est corporum receptaculum commune; sic materia respectu formarum; & sicut corpora incompatibilia sunt in eodem loco, quare ab eodem se mutuo expellunt; sic formæ à materia. Est tamen discrimen in multis, sed unicum observa pro nunc, nempe quod materia est pars intrinseca mutationis substantialis, ut dictum est libro 1. q. 1. ceterum nec locus, nec corpus sunt partes intrinsece motus localis.

Supposita existentia loci, restat scire quid sit? Plures DD. quibus non placuit Aristotelica definitio, varias dedere, sed ridiculas, quas recenset, & irridet Cardinalis Aguirre. Ob id eas plene omittere utilius putavi, sicut & in alijs de quibus infra, quæ cum sint veluti prima elementa hujus disputationis, oportet ea tradere doctrinaliter, & quasi supponere, ut de dignis discussione disputemus.

2 De mente Arist. locus diffinitur *Ultima superficies corporis continentis immobilis, prima*. Hoc est juxta B. Ægidium superficies non qualibet, sed illa, quæ primum & immediate attingit locatum. Ita hic text. 42. Sic locus terræ est illa superficies aquæ, qua tangitur & ambitur terra: locus aquæ est illa superficies aëris, qua tangitur, & circumscribitur aqua. Dato autem quod ignis elementaris sit prope Cælum primum Lunæ;

locus aëris est ultima superficies ignis ambiens, & tangens aerem. Idem de aqua existente intra vas; ejus locus est superficies illa, qua ambitur, & tangitur aqua: & eadem est ratio de quocumque corpore locato.

Hinc colliges contra aliquos locum non esse *ubi*, vel præsentiam localem. Ratio est clara. Nam corpus recipitur in loco: sed non recipitur in sua præsentia locali: ergo locus non est præsentia localis, vel *ubi*. Rursus *ubi* resultat ex adjacentia corporis ad locum: ergo *ubi* non est locus, sed supponit locum, & corpus in eo.

Colliges contra alios quod, locus non est spatium imaginarium, aut quoddam inane & vacuum, ut vocant; nec esse ens rationis aut meram privationem, ut dixerunt alij. Primum, quia locus realiter ambit corpus quod continet: sed spatium imaginarium, quod est nihil, vacuum item, & inane, aut ens rationis, nequeunt realiter continere corpus locatum: ergo locus nil horum est. Secundò, quia corpus conservatur à loco, in quem naturaliter inclinatur: sed quod est nihil, nequit conservare corpus, nec terminare naturalem corporis inclinationem: ergo.

Hæc ratio traditur à P. Augustino Epist. 57. dicente: *Spatia locorum totale à corporibus, nusquam erunt; & quia nusquam erunt, nec erunt*. En nisi in loco, & alicubi, non possunt conservari corpora; ad differentiam Dei, qui est ubique, & in omnibus locis; ceterum quia ab eis non penetrat in esse, potius dicendus est Deus in

in seipso existens, quam in rebus, & locis immensis: quia sine ipso esse non potest, bene tamen sine locis creatis, quibus præsens est. Verba S. P. ibidem sunt: *In seipso autem, quia non continetur ab eis, quibus est præsens, tanquam sine eis esse non possit*.

3 Circa intelligentiam definitionis Aristotelicæ prolixè disputatur ab aliquibus, ut insinuat N. Villanova, breviter tamen de mente D. Thomæ, & B. Ægidij eam explicabimus cum communiori utriusque Scholæ sententia. Primum locus est *superficies corporis continentis*. Nam locus est qui continet, & ambit locatum: sed hæc munera conveniunt superficiei corporis continentis, ut patet in vase continente aquam: ergo talis est locus. Observa in vase duas superficies, unam in interiori parte, & vocatur *concava*: altera in parte exteriori, quæ dicitur *convexa*. Sola prima tangit aquam, & ob id ea sola est locus aquæ.

Hæc superficies dicitur in definitione *prima*, & *ultima*. Est prima respectu corporis locati, & contenti, quia per illam primum tangitur à continente. Sed est ultima respectu corporis continentis, & locantis. Dicitur etiam *immobilis*: quia de ratione loci est immobilitas. Hoc negat Hurtado, docens hanc loci immobilitatem non posse probari à ratione. Fallitur.

Nam probatur à ratione sic. Omne mobile ut tale, est capax essendi in loco: sed locus ut talis, non est capax essendi in loco: ergo locus, ut talis, non est mobilis, sed immobilis. Major patet, & minor est certa. Quia

si locus ut talis posset esse in loco, daretur processus in infinitum in locis, cum eadem sit de omnibus ratio, ut debeat esse in loco.

Confirmatur. Terminus à quo, & ad quem motus localis, non deferatur simul cum mobili; imò motus localis fit per derelictionem termini à quo, & acquisitionem termini ad quem: at uterque terminus motus localis est locus: ergo si neuter deferatur cum mobili, neuter est mobilis, sed immobilis.

Duo hic breviter expedienda sunt. Primum contra definitionem loci, secundum contra illius immobilitatem. Venio ad primum. Ultimum Cælum, reliquos suo sinu ambiens, est sine dubio in loco. Id testatur P. Augustinus Sermonie de verbis Dñi in monte cap. 2. dicens: *Sunt enim excelsa mundi corpora, quæ non possunt esse nisi in loco*. Sed illa suprema mundi sphaera Cælestis à nulla superficie alterius corporis continetur, cum extra illam non sit aliud corpus, sed meram spatium imaginarium, quod est actu nihil, ut dicemus: ergo vel illa sphaera non est in loco, quod est contra Augustinum, vel locus non est superficies corporis continentis, quod est contra Aristotelem.

Respondetur facilè ex B. Ægidio hic lect. 8. & in 2. Sent. dist. 2. q. 2. art. 3. Quod Cælum supremum est in loco, non ut contentum, sed ut continens reliqua. Hoc patet. Nam cui competunt differentie locales, ei convenit esse in loco: sed Cælo supremo convenit esse supra; item esse

alicubi; & hæc sunt differentia rei locata; nam quod in loco non est, nulli est, nec sursum, aut deorsum est. Ergo Cælum supremum est in loco; non tamen est ut contentum à loco, cum nullum extrà sit corpus continens. At nil inde contra Aristotelem, qui locutus est de loco relatè ad corpora mobilia per localem motum, de quo nunc agitur, Cælum primum non est mobile, vel quoniam est Empyreum, & sedes beatorum; quæ debet esse immobilis, vel quia primum mobile non movetur secundum totum, nec mutat distantiam à centro, sed penes partes circulariter: quare solas partes petit locatas, & seipsis locatur.

5 Majus dubium est de immobilitate loci. Nam lapis existens intra flumen, ambitur aquis continè decurrentibus: sed superficies aquæ ambiens, non est immobilis, sed continè fluens: ergo locus immobilis non est. Idem fit argumentum in turri, quæ ambitur ultima aeris superficie; quæ, cum aeris motu varietur, indicat locum non esse superficiem immobilem.

Urgetur. Nam sequitur ex doctrina Philosophi, quòd corpus mutet loca quin moveatur. Nam lapis in flumine non movetur, sicut nec turris: & tamen continè mutant superficies ambientes aeris, & aquæ: ergo mutant loca, cum tamen non moveantur localiter.

6 Omisissis varijs modis dicendi, nota cum B. Ægidio tum hæc, tum in 2. Sent. dist. 24. p. 2. q. 2. art. 5. quòd locus de materiali dicit super-

ficiem ambientem, sed de formali dicit relationem distantia ad Polos mundi. Poli dicuntur duo puncta fixa, quæ sunt in medio Cæli primi mobilis, quorum unum dicitur Polus Arcticus, aliud Polus Antarcticus. Hæc puncta demonstrantur à Mathematicis ex circulari motu Cæli. Nam in circulari motu moventur partes & lineæ, quæ à centro protrahuntur, sed non punctum centricum, à quo protrahuntur lineæ, ut apparet in rota volante supra axem immobilè. Hæc duo puncta, quibus Cælum nititur, dum volvitur, immobilia sunt, & fixa, veluti axes Cælestis rotæ.

Hinc colliges cum eodem B. D. ibi dist. 8. q. 2. art. 2. dub. 1. Quòd mutatio loci aliquando est solum materialis, aliquando solum formalis, aliquando formalis simul, & materialis. Variatur locus solum materialiter, quando variantur superficies ambientes locatum, sed non variatur distantia locati ad Polos Mundi. Sic accidit in casibus argumenti facti: Lapis in flumine, & turris in aere; mutant superficies, sed non distantiam ad Polos, quare variant loca materialiter, sed non formaliter.

Variatur locus tantum formaliter, quando locatum mutat distantiam ad Polos, sed non mutat superficiem ambientem. Sic accidit dum aqua intra vas movetur; mutat quidem distantiam, sed non superficiem vasis continentis, quia intra illam movetur. Idem dic de homine navigante in fundo navis, eodem ligno aut aere ambiente permanentibus, mutat

quos

quolibet instanti distantiam ad Polos. Variatur autem locus materialiter simul & formaliter, dum curimus, quia mutantur aeris superficies, & distantia à Polis.

Negant aliqui doctrinam istam futili argumento, quo rem totam confecisse putant. Supponamus, inquit, quòd sublunariis omnibus immotis, Deus moveat primum Cælum, & aliter collocet, ac nunc est. Tunc res sublunares immotæ mutant distantiam ad Polos: ergo mutant loca, cum tamen permanerent immobiliter, quod est implicatorium. Respondemus in eo casu locum formaliter non esse desumendum à relatione distantia ad Polos, præter naturam mobiles; sed immobiles naturaliter, & fixo loco imaginatos. Quare eadem distantia maneret non ad Polos in re, sed ad Polos imaginatos; vel melius dic, eandem manere distantiam ad Polorum naturalem situm, etsi variaretur relatè ad situm præternaturalem Polorum.

7 Colliges secundo cum B. Doct. quòd unitas loci non attenditur penes superficiem ambientem, quam locus dicit de materiali, sed penes ipsam, ut dicentem relationem distantia ad Polos. Hinc lignum partim existens intra aquam, partim extra, est in unico loco: quoniam licèt superficies aquæ, & aeris ambientes lignum, sint duæ in genere quantitatis, sunt tamen unicus locus ratione ejusdem distantia à Polis. Quod dictum est de unitate loci, intellige etiam de immobilitate. Super-

ficies illæ aquæ, & aeris ambientes lignum, flexiles, & mobiles sunt ex se; sed non in ratione loci, qui sic stant sub relatione distantia ad Polos, & hæc est immobilis.

Quæres, quomodo illæ superficies ex se mobiles, dicuntur immobiles in ratione loci? Respod. esse mobiles, ut superficies sunt, quia fluendo, manent eadem superficies ubicumque sint. At semel fluxæ, jam non manent idem locus, ac erant, & ideo in ratione loci, erant immobiles, cum semel motæ non maneat locus, qui erant,

8 Hinc facilè solvitur, quòd num. 5. objectum est. Ad 1. dic lapidem, & turrim, non moveri formaliter, quia non mutant relationem distantia ad Polos. Mutant tamen loca materialiter, quia mutant id quod locus dicit de materiali, nempe superficies ambientes in esse quantitatis, & superficiei.

Ad aliud dic, locum lapidis, & turris esse immobilem: quia licèt variantur superficies in esse talium, non tamen in esse loci formaliter, cum semper maneat eadem distantia ad Polos. Vel dic, quòd locus non est hæc determinata superficies, sed hæc vel illa, sub determinata tamen distantia ad Polos: cumque variata superficies, alia succedat sub eadem distantia, manet idem locus formaliter, & permanet immobilis, etsi variantur pro materiali superficies,

✱

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit locus, quæ ratio formalis essendi in loco, & quibus conveniat.

§ Vnicus.

Traditur communis, & vera sententia.

¶ **S**I de mente Aristotelis tradenda est divisio loci, unicè sermo erit de differentijs loci circumscriptivi; tum quia definitio supra data, solum convenit loco circumscribenti corpora; tum quia forsitan ignorans naturam Angelicam, nec benè capiens Divinam, putavit Deum, & intelligentias non esse in loco; quare, ut benè notavit ex Boetio D. Thomas, hæc propositio apud Sapientes erat nedum vera, sed per se nota, scilicet *incorporalia non sunt in loco*. Et Arist. hic textu 47. dicit: *Non omne quod est, in loco est, sed mobile corpus*.

Favet saltè apparenter P. Augustinus lib. 83. qq. quæst. 20. ubi ait: *Deus non alicubi est: quod enim alicubi est continetur loco; quod continetur loco, corpus est; Deus autem non est corpus: non igitur alicubi est. Et tamen: quia est, & in loco non est, in illo sunt potius omnia, quàm ipse alicubi: nec tamen ita in illo, ut ipse sit locus. Omnia igitur in ipso sunt, & locus non est. Locus autem Dei abusive dicitur templum Dei; non quòd eo contineatur, sed quòd ei præsens sit. &c.*

Hæc omnia sanum sensum habent applicata loco circumscriptivo,

ab Arist. definito. Nam in tali sola corporalia locantur, non Angeli spirituales, non Deus, ut benè probat P. Augustinus, qui allegato testimonio loquitur de loco, continente locatum; & talis est solum circumscriptivus; nam definitivus, conveniens Angelis, & Spiritibus, non continet Angelos, sed ab Angelis continetur. Ob hæc priusquàm de divisionibus loci circumscriptivi tractemus, oportet generalius expendere quænam sunt in loco, qualiter, & in quali loco sunt. Sunt ergo in loco Deus omnium Creator, Angeli, & omnia corporalia, de quibus sigillatim agendum est breviter.

2 Deus ergo per Immensitatem, qua omnia continet, & à nullo continetur, ubique totus est, ubique præsens per essentiam, præsentiam; & potentiam. Id explicat sæpè S. P. August. quem audi serm. 102. de diversis cap. 13. dicentem: *Ubique totus Deus, nec alibi dimedius, & alibi alio dimidio constitutus, sed ubique totus. Implet Cælum, & terram, sed totus est in Cælo, totus in terra. Quando totus in terra est, Cælum non deserit; & cum Cælum implet, à terra non recedit.* Et lib. 3. de Symbol. cap. 7. *Hoc enim est esse Deum, ubique esse totum.*

Hæc

Quæstio II.

§ Vnicus.

Hæc Dei præsentia omnibus locis, omnique creaturæ, probatur ex ejus operatione, qua omnia entia immediatè producit, & in esse conservat. Quare omnes autoritates tum Scripturæ tum PP. quibus probatur immediatus Dei influxus in omnes creaturas, probant ejus præsentiam omnibus creaturis. Vide dicta lib. 2. quæst. 16. de immediato influxu Dei, quibus adde hanc probationem Apostoli Pauli Actorum 17. dicentis de Deo: *Non longè est ab unoquoque nostrum* (en ejus præsentia; audi eam comprobata) *in ipso enim vivimus, movemur, & sumus*. Spiritualia enim veriùs, quàm corporalia, sunt ubi operantur, quia sunt in loco per operationem. Sed nullum est ens creatum quod Deus non operetur, & actu conservet in esse: ergo nullum est, cui Deus non sit præsens.

Est autè Deus ubique totus per essentiam, præsentiam, & potentiam, ut in Catechismo edocemur. Hoc sic explicat D. Thomas. In quolibet agente sunt tria, nempe substantia, virtus, & operatio. Ergo quando agens est in suo effectu, est in illo per suam operationem, potentiam, & substantiam. Deus autem est in creaturis ut agens; quare est in illis per operationem: & quia est agens immediatum, idem est esse in creaturis per operationem, ac esse in eis per præsentiam. Rursus quia ejus operatio identificatur cum virtute & potentia agendi, est in creaturis per potentiam. Tandem quia ejus potentia identifi-

catur cum Dei substantia, est in creaturis per essentiam.

B. Agidius approbans hanc explanationè D. Thomæ, dat aliam, quam vocat cõgruentiorè: Ea est: Deus est agens immediatum, agens per intellectum omnia ordinando, & per voluntatem omnia imperando. Quatenus est agens immediatum, est omnibus præsens per essentiam. Agit enim per virtutem identificatam cum essentia sua; quare sicut virtus est præsens effectui, sic essentia identificata cum virtute agentis. Quatenus autem agit per intellectum, est in omnibus per præsentiam; nam intellectus nil attingit, nisi sibi præsens in se, vel in specie. Quatenus agit per voluntatem dominatricem, est in omnibus per potentiam.

3 Hic modus essendi in omnibus creaturis per essentiam, præsentiam, & potentiam, est modus generalis, conveniens divinitati vi suæ immensitatis, qua omnia Deus replet, à nullo contentus: ceterum est alius modus essendi in creaturis rationalibus, nempe per gratiam, & Deo convenit ut authori gratiæ. Hoc docuit P. August. Epist. 57. ad Dardenum dicens: *Fatendum igitur est Deum ubique esse per divinitatis præsentiam, sed non ubique per gratiam habitationis*. Quia nempe solæ creaturæ rationales sunt capaces gratiæ Dei; unde hac speciali præsentia est in solis Angelis, & hominibus; nec tamen in omnibus, sed in eis tantum, qui donorum gratiæ participes sunt, qua efficimur consortes divinæ naturæ, ut ait Apost. Petrus; & hæc est

est sola gratia habitualis, per quam Deus inhabitat animam iusti, vel ad tempus, vel permanenter juxta ordinem Providentiæ suæ.

Cum Deus author gratiæ duo specialia opera fecerit in reparationem generis humani, & ut implet ruinas Angelorum, nempe unionem Hypostaticam, & gratiam nobis, & Angelis collatam ad meritum vitæ æternæ; idè humanitati Christi præfens est per gratiam unionis, & in unitatem Personæ; nobis autem præfens est per gratiam adoptionis, quæ est gratia habitualis. Quæ omnia, & alia vide apud Theologos, nam nostri instituti non sunt in præfenti.

4 De Angelis, quos in præfenti supponimus esse completè spirituales, & incorporeos, notum est non esse in loco circumscriptivè, undè juxta D. Thomam, & omnes Theologos hæc est per se tota Sapientibus: *incorporalia non sunt in loco commensurativè*. Ratio sumitur ex P. August. serm. 38. de verbis Dom. cap. 2. dicente. *Quod loco capitur, & mole quadam, & spatio distenditur* (hoc est esse in loco commensurativè) *minus est in parte, quàm in toto*. Sed Angelus spiritualis, & indivisibilis, non est minus in parte, quàm in toto, sed sicut anima rationalis in corpore est tota in toto, & tota in qualibet parte ratione suæ spiritualitatis, sic Angelus est totus in suo loco, & totus in qualibet parte loci: ergo non est commensurativè, vel circumscriptivè in loco. Quare sic sola corporalia in loco sunt, de quibus infra.

Physicorum.

Sunt ergo Angeli in loco diffinitivè, quia non sunt ubique sicut Deus, sed determinatè alicubi, & idè diffiniuntur, & determinantur ad talem locum. Ratio est multiplex. Prima, quia non sunt immensè, alioquin essent infiniti: ergo sicut sunt finitæ & determinatæ entitatis; sic finitæ & determinatæ præfentiæ. Secundo. Quia sunt in loco per quantitatem virtutis, vel per operationem: at eorum operatio, & virtus activa non est infinita, sed finita: ergo sunt in loco finito. Hæc ratio probat duo, nempe eorum præfentiam in loco, & præfentiam finitam. Angeli enim agunt circa corporalia: at nemo agit ubi non est: ergo ubi agunt, ibi sunt. Quare ex Angelorum operatione colligitur eos esse in loco, ubi operantur.

Hic locus Angelicus vocatur diffinitivus, ad differentiam loci corporaliū, qui dicitur circumscriptivus. Duplici titulo vocatur diffinitivus; primo, quia est locus finitus, & sphaera activitatis Angelī, quæ finita est. Secundo, quia sicut per locum circumscriptivum corpora ita sunt in eo, ut non sint alibi; ita à loco diffinitivo diffinitur, & determinatur Angelus, ut dum in eo est, alibi non sit, nec possit alibi simul esse.

5 Sed nota varia discrimina inter modum essendi circumscriptivè, & diffinitivè in loco. Nam quod est circumscriptivè in loco, continetur à loco, ut corpora: quæ verò sunt diffinitivè, non continentur, sed potius continent locum. Hinc corpora sunt in loco passivè, & ab eo continentur.

Quæstio. II.

nentur, & ab eo patiuntur, ut patet in locis frigidis, calidis &c. quibus corpora locata alterantur. Angeli autem sunt in loco activè, agendo circa corporalia, nec continentur ab eis, sed ea continent, nec à loco quidquam patiuntur. Hoc intellige juxta earum naturam, sed aliter accidit eis in inferno, dum diaboli alligantur igni corporali, & ab eo patiuntur. Hoc totum disponente justitia Dei in pœnam sui peccati, ut qui juxta suam perfectionem naturalem debebat dominari omnibus rebus corporalibus, & à nullo pati, dominetur ab igne corporeo, & ab eo patiatur æternaliter.

Secundum discrimen. Quod est in loco commensurativè, nequit pro suo libito esse in minori loco, ac est ejus quantitas molis. Secus Angeli, quorum locus adæquatus est totum spatium, ad quod eorum virtus se potest extendere; quare cum sint inæquales in virtute, habent inæqualia loca, unus potest agere spatio unius leucæ, alius majori, & sic de cæteris. Ceterum omnes pro suo libito possunt operari circa punctum indivisibile: & quando sic contrahunt operationem suam, tunc sunt in eo indivisibili puncto, ubi operantur. Hinc faciliè percipies in energumenis, & possessis, quomodo milliaria dæmonum ligantur sub ungue creaturæ ab Exorcistis. Ligantur, quatenus potestate divinitus nobis tradita supra dæmones, eos cogimus operari tantum circa spatium unguis: & ibi locantur, quanto tempore ibi tantum agere permittuntur.

§ Unicus.

Hunc modum essendi in loco habet anima nostra, à corpore separata; quia tunc est in loco per operationem ad instar spirituum, vel per passionem dum alligatur igni corporeo, vel æternaliter, vel ad tempus dum in Purgatorio detinetur. Anima autem unita corpori, ratione sui non est in loco circumscriptivo, sed ratione corporis. Si autem quæras, an anima sit in corpore, ut in loco? Respondemus esse veluti in loco diffinitivo, quia diffinitur, ne sit extra; & est in eo tota in toto, & tota in qualibet parte; ac tandem est in eo per operationem, quia agit in corpus, illud esse vitæ, quod corpus participat ab anima.

Plura de loco Angelorum disputant Theologi, quæ ex dictis, & dicendis possunt dissolvi. V.g. An duo Angeli possint esse in eodem loco? Est idem an idem effectus corporalis possit effici à duplici causa adæquata ejusdem ordinis? De quo disputavimus lib. 2. q. 21. Rursus, an Angelus possit esse in duplici loco adæquato? Sed hoc constabit ex dicendis pro bilocatione corporis. Item an possit agere in duobus locis discontinuis, v.g. in capite, & pede hominis, quin sit in corpore intermedio? Quod ibidem constabit, quantum Philosophis liceat attingere.

6 De corporibus, esse in loco commensurativè, notum est; ut enim ait P. Augustinus Epist. 101. *Nullum est corpusculum, quod non pro suo modo loci occupet spatium; nec tamen in eo quod occupat, ubique sit totum, sed minus*

nus sit in toto, quàm in parte. Hoc est esse commensurativè; se commensurando partibus loci, ut totum corpus sit in toto loco, & pars corporis in parte loci, & sicut partes loci una est extra aliam, sic partes corporis, nec una pars est intra aliam, aut intra locum ejus, sed extra. Quæ, & alia, quoniam videntur oculaviter, superfluum est exponere. Locus, quo corpora locantur, dicitur circumscripivus, quia circumscribit, ambit, & circumdat corpora; ut patet ex loci diffinitione, supra data ab Arist.

Ratio formalis essendi corporalia in loco, non est quantitas virtutis, sed quantitas molis. Quare duo hinc patent discrimina corporum, & spirituum. Corpora sunt in loco, etiam si nil operentur circa locum: secus spiritus, quia ibi tantum sunt, ubi operantur. Rursus, Angeli prius operantur in loco, quàm ibi sint, saltem prioritate intelligentiæ, quia ratio à priori essendi in hoc loco est in Angelis operari circa hunc locum. Vnde hæc causalis est vera de Angelis, *Quia operatur hic, sunt hic.* In corporibus non sic, nam prius sunt in loco per quantitatem molis, quàm ibi operentur: unde est vera causalis contraria, *Quia homo est hic, operatur hic.* Quo fit, ut corporalia prius approximentur passo, quàm operentur; secus spiritualia. Vide B. Egidium in 2. dist. 3. p. 2. q. 2. art. 2. dub. 2. & dist. 19. q. 1. art. 2. § *Tertia via.*

7 Ferè omnes DD. Societatis, & quotquot tenent corpus divinitus bilocari, negant quòd quantitas sit

ratio formalis locandi corporalia. Dicunt non quantitatem, sed ubicacionem esse rationem formalem essendi in loco. Contrarium docent Thomistæ & Egidiani cum suis BB. DD. & suadetur. Quia ubicatio est quid resultans ex adjacentia corporis locati ad locum: ergo quid posterius ad corpus locatum. Sed quod est posterius ad locationem, nequit esse formalis ratio locandi. Sicut si lux resultaret ex objecto viso, lux non esse formalis ratio videndi. Ergo ubicatio non est formalis ratio locandi. Bene quantitas, nam ejus effectus formalis secundarius est extendere substantiam in ordine ad locum; sed quod est formalis ratio extendendi localiter, est ratio formalis locandi: ergo non ubicatio, sed quantitas molis est ratio formalis locandi corporalia.

Dices. Implicat quòd corpus prius sit in loco, quàm quòd sit ubicatum. Quid enim est ubicari, nisi esse in loco? Ergo implicat quòd ubicatio resultet ex adjacentia corporis ad locum. Respondeo antecedens esse verum de prioritate reali temporis, aut realis causalitatis, sed non de prioritate realis resultantiæ. Sicut enim non est prius sed simul tempore poni duo alba, & esse similia; ceterum similitudo est relatio resultans ex positione duorum alborum. Sic ex positione locati in loco, resultat *ubi*, quod est relatio quædam, ut dicemus quæstione sequente.

8 Locus ergo circumscripivus dividitur primò in intrinsecum, & extrinsecum. Intrinsecus est ubicatio, qua

qua corpus denominatur intrinsecè locatum. Extrinsecus est ultima superficies corporis continentis, jam explicata. Sic plures satis communiter. Sed non probamus hanc divisionem, nam ubicatio non est locus, sed quid relictum in corpore ex adjacentia ejus ad locum, ut dictum est quæst. præcedente.

Dividitur primò in communem, & proprium. Primus est, qui omnia, vel plura continet corpora, ut Cælum ambiens omnia sublunaria. Secundus est, qui unum tantum continet, ut vas respectu aquæ. At alijs divisionibus omisissis, utilior traditur per differentias formales loci, v. g. sursum, deorsum. Locus sursum, est qui convenit levibus; locus deorsum qui gravibus. Locus autem medius convenit Cælo, quod movetur circulariter, sed non sursum, nec deorsum. His adde differentias loci in dextrum, sinistrum, ante, retro, &c. quæ concernunt relationem, & sumuntur relatè ad terminum purè extrinsecum, ut patet.

Locus etiam alter dicitur naturalis, alter violentus. Primus est ille, in quo existit locatum conformiter ad exigentiam suæ naturæ, v. g. lapis in centro. Violentus ille, in quo locatum existit contra suam inclinationem, ut lapis extra centrum positus. Talis est locus damnatorum in inferno. Sed nota hanc divisionem esse accidentalem: nam cum ratio formalis essendi in loco sit quantitas, ut dictum est; per accidens est loco, & quantitati, quòd ibi sit locatum contra

vel juxta inclinationem suam.

9 Proprietates loci circumscripivi designantur ab Arist. & interpretibus hic text. 48. Prima est, quòd in eum tendant naturaliter corpora: sic naturaliter tendunt levia sursum, & gravia deorsum. Rursus quòd sit mensura locati. Quòd sit terminus motus localis, & alia, quæ vide in quolibet. Omnes autem divisiones, & proprietates loci circumscripivi facile applicantur loco diffinitivo Angelorum, si caveas ab eis tantum, quæ includunt divisibilitatem partium, quam non habent Angeli immateriales.

Hic disputatur, an spatium imaginarium, hoc est vacuum illud infinitum, quod est extra mundum, sit locus, & an ibi Deus sit per immensitatem? Quæstio hæc pertinet etiam ad capita de vacuo, quare de illa erit sermo post explanationem vacui.

10. Restat breviter explicare locum sacramentalem Christi Dñi in Eucharistia. Actum est de omnibus, quæ sunt in mundo; & cum corpus Christi nedum sit in mundo ratione loci circumscripivi quem occupat in Cælo, sed in terris nobiscum sit in Sacramento altaris, & sic alicubi, oportet locum istum explicare. Accidentia panis, & vini, sub quibus est Christus, vocamus locum Christi, & sacramentalem. Locum dicimus, quia sicut corpora ambiuntur à superficie continentis, & sunt intra, nec tamen extra: sic intra eas species sacramentales est caro Christi, nec est extra. Quare ab eis quasi locatur. Hunc lo-

cum dicimus sacramentalem, quia occultus, & mysterio plenus est, ut patebit ex dicendis.

Primò locus iste non est circumscriptivus, quia non est ibi Christus modo extenso, nec ratione quantitatis, sed modo indivisibili, & ratione conversionis, aut consecrationis. Secundò, quia locus circumscriptivus, est immobilis, ut dictum est; species autem sacramentales, quas dicimus locum Christi, non sunt immobiles, sed mobiles, imò sunt ratio formalis cur Christus in Eucharistia movetur hinc, inde, & defertur ad infirmos, nempe ratione specierum, quæ mobiles sunt localiter.

Rursus locus iste non est diffinitivus, quia licet in eo sit Christus Dñus modo indivisibili, ut Angelus; at non est ibi per quantitatem virtutis, nec agit Christus ibi aliquid, sicut agit Angelus circa locum, in quo est. Secundò, quia Angelus ita diffinitur ad suum locum, ut in eodem instanti existens

Q V Æ S T I O. III.

Quid sit ubi, quotuplex, & an differat à re ubicata?

§ Vnicus.

Traditur breviter nostra sententia ex sapè comprobatis.

Docent aliqui, quòd *ubi* est extrinseca denominatio adveniens locato, & à loco proveniens. Sic N. Arimin. in 2. dist. 1. quæst. 4. Fonseca, & alij, quos citat Prado hic. Ceterum impugnantur, quia solum resultat in locato relatio mensurati ad mensurantem locum;

hic, non sit alibi. Ceterum Christus hic, & alibi, & in varijs mundi partibus simul est, ubicumque sit ritè consecratio panis, & vini. Quare in hoc sensu D. Thomas, & B. Ægidius negantes Christum esse in Eucharistia, ut in loco, intelligendi sunt de loco diffinitivo, aut circumscriptivo; non de sacramentali, què nunc explicamus.

Est ergo Christus in Eucharistia ad modum substantiæ naturalis in suis accidentibus; quare sicut substantia panis, si adesset, moveretur de loco in locum ratione accidentium; & esset ubi locarentur accidentia; sic Christus. At quia est ibi modo inextenso, & indivisibili, secundum totalitatem substantiæ essentialis, non verò secundum totalitatem quantitativam, ut dictum est in Logica lib. 6. q. 5. § 4. Idèò divisa hostia, non dividitur Christus, sed totus servatur in qualibet parte divisa. De hoc iterum dum de corpore bilocato disputemus.

sed relatio ista est quid reale, & intrinsecum: ergo *ubi* quid intrinsecum est. Pro sententia Arimin. videtur stare P. August. lib. de Categor. cap. 8. ubi ait: *Qualitas, & quantitas in ipsa usæ sunt* (idèst in substantia) *alia verò sunt extra usam, ubi, quando, habere.* Ecce si *ubi* foret intrinsecum substantiæ

tiæ locatæ, esset in substantia ut quantitas, & qualitas. Sed hoc negat P. N. ergo sentit esse merè extrinseca.

Ceterum de mente P. N. constat eodem lib. cap. 15. ubi ait: *Ubi, & quando videntur esse locus, & tempus, cum non sint.* Sed si *ubi* foret pura denominatio extrinseca, supra à loco, ubi nil esset nisi locus extrinsecè denominans locatū, sicut denominatio visū nil est nisi visio denominans colorè visum: ergo *ubi* juxta P. August. non est pura denominatio extrinseca, proveniens à loco. Est ergo quid intrinsecum: ceterum, quia hoc non est purè absolutum, ut quantitas, & qualitas, idèò non dicitur esse in substantia, sed extra.

2. Alia sententia asserit *ubi* esse præsentiam rei locatæ ad locum, quam dicit esse quid intrinsecum locato. Sic Suarius, Lugo, Arriaga, & plures. Hos impugnat N. Villanova, quia cum præsentia sit pura relatio, sequeretur quòd *ubi* sit relatio pura, & sic non esset prædicamentum distinctum à relatione. Hæc impugnatio non est solida in principijs B. Ægidij, apud quem sex ultima prædicamenta addunt supratra prima solum purum ordinem: ergo *ubi* supra substantiam quantam nil addit, nisi meram relationem ad locum. Nec tenet sequela Villanovani, quia *ubi* non solum dicit relationem ad locum, sed entitatem locati cum relatione ad locum; relatio autem, quæ est prædicamentum, nullam dicit entitatem, sed purum ordinem. Vide dicta lib. 6. q. 1. Logicæ nostræ.

Dicendum est, quòd *ubi* consistit

in entitate locati, dicente relationem præsentiam ad locum. Ita DD. secundæ sent. & probatur ex dictis in Logica loco citato de mente B. Ægidij. *ubi* est unum ex sex ultimis prædicamentis, dicentibus rem sub ordine: sed *ubi* non dicit aliam rem, quàm entitatem locati; nec alium ordinem, nisi commensurationis cum loco: ergo *ubi* est entitas locati, ut præsens locus, & loco commensurata.

Hinc colliges quòd *ubi* est quid intrinsecum locato. Tum quia entitas illa, & ordo ille sunt intrinseca locato: tum quia motus localis est quid intrinsecum mobili locato: ergo & ejus terminus, nempe *ubi*. Patet consequentia ex dictis lib. 3. quæst. 2. ubi probatum est, quòd actio, & motus non differunt à termino. Quæres an *ubi* sit res vel modus? De hoc infra quæst. sequente.

3. Divisiones *ubi* sunt tot, quot loci: quare sicut locus est triplex, sic *ubi*, nempe circumscriptivum, diffinitivum, & sacramentale. Primum est *Passiva circumscriptio locati à loco proveniens*. Secundum est *Passiva diffinitio locati à loco*. Et patet, nam sicut locus circumscribit corpus, nec sit extra, aut alibi: sic locus limitat, & determinat Angelū, nec tunc sit extra, aut alibi operetur. Hinc analogicè *ubi* sacramentale potest diffiniri sic: *Passiva determinatio corporis Christi ad essendum in Eucharistia modo indivisibili.*

Sicut materia, & forma non producuntur ratione sui; sed ratione compositi, ut dictum est lib. 1. sic nec ratione sui sunt in loco, sed ratione

compositi. Et cum quantitas molis, ut dictum est, sit ratio rebus corporeis essendi in loco; materia & forma, quæ sunt quanta unica quantitate compositi, sunt in loco per unicum *ubi*. Solum potest dubitari de anima rationali separata. Ceterum ex dictis quæst. præcedente constat, eam se habere in loco distinctivè ad instar Angelorum.

4. Hic dubitatur an *ubi* distinguatur realiter à re ubicata, & qualiter? Nobis autem est facilis decisio ex dictis in Logica lib. 6. q. 9. de distinctione relationis à fundamento, & ex lib. 1. Physic. q. 18. ubi actum est de distinctione unionis à materia & forma; nec non ex 3. physic. q. 2. ubi disputavimus de distinctione actionis à termino. Eadem est ratio de *ubi*, ac de alijs præsertim de actione; nam sicut actio nihil addit supra entitatem termini, nisi solam quidditatem; sic *ubi* solam quidditatem addit supra entitatem locati, quare solum quidditativè differt ab ubicato.

Probat de mente B. Ægidij 1. Quia juxta eundem locis datis lib. 6. Logica q. 1. sex ultima prædicamenta non dicunt puram rem, nec purum ordinem, sed rem sub ordine; quare supra tria prima addunt purum ordinem: sed *ubi* est de sex ultimis prædicamentis: ergo supra tria prima, quæ sunt res ubicata, solum addit purum ordinem. Sed ordo est quidditas, non autem entitas aut modus, ut de relatione dictum est: ergo *ubi* solum addit quidditatem supra rem ubicatam, non autem entitatem; aut modum. Differt ergo *ubi* à re ubicata me-

rè quidditativè, non autem entitativè, vel modaliter.

Hoc videtur insinuassee Arist. 8. Physic. text. 60. ubi probat motum localem esse alijs perfectiorem, *Quia nequaquam substantiam mutat quod movetur in eo quod fertur. Secundum hanc enim solum nihil mutatur in esse; sicut ejus quod alteratur, quale: ejus autem quod augetur &c.* Ecce probat Philosophus motum localem ad *ubi* esse perfectiorem motum præ alijs alterationis ad qualitatem, & augmentationis ad quantitatem, quia per hos mutatur substantia mobilis, secus per primū. Sed sola quidditas non mutat subjectum, entitas autem, vel modus subjecto adveniens, illud mutat, ut in de relatione dictum est: ergo sentit Philosophus, quod *ubi* non est entitas aut modus distinctus à re ubicata, sed quidditas distincta. Præterquam quod *ubi* esse quidditatem distinctam patet, ex quo est distinctum prædicamentum à re ubicata. Hoc indicat distinctione quidditatis, ut de relatione, & actione dictum est.

Dices. Motus localis est vera actio realis: sed omnis realis actio petit, si nova sit, novum & realem terminum: ergo cum terminus motus localis sit *ubi*, restat hoc esse aliquid distinctum à re ubicata. Sed hoc distinctum nequit esse sola relatio; quia ad relationem non datur per se motus, ut dicemus 5. Physic. ergo *ubi* est quid entitativè, vel modaliter distinctum à re ubicata. Respondemus concedendo primum syllogismum, & dist. subsumptam, hoc distinctum nequit esse

esse sola relatio, distinctum quod terminat motum, concedo, distinctum, quod est ratio terminandi, nego minorem & consequentiam. Totum *ubi* terminat motum; sed totum *ubi* non est sola relatio, quia *ubi* dicit rem sub ordine, non autem purum ordinem; unde totum *ubi* dicit entitatem rei cum ordine ad locum, vel cum præsentia ad locum. Hic terminus terminat per se, licet relatio, ut relatio, non terminet per se motum. At quia per actionem motivam non producit totum illud complexum ex entitate, & relatione; sicut per generationem humanam, quæ terminatur ad totum hominem, sola unio producit; unde dicitur unio terminus *quo*, & totus homo terminus *qui*. Ita in motu terminus *qui* est entitas locata cum ea nova quidditate: terminus *quo* est illa quidditas, addita denuò entitati rei locatæ. Reliqua argumenta vide in N. Villanova, & locis suprâ citatis de relatione, unione, & actione.

5. Ne autem quæ specialia sunt contra motum omittamus, objicies 1. Possunt à parte rei esse Petrus, & hic locus, quin Petrus sit in hoc loco: ergo Petrum esse in hoc loco, quid distinctum est ab entitate Petri, & entitate loci. Hoc distinctum est *ubi*: ergo *ubi* distinguatur à Petro ubicato. Secundo. Licet relatio sit quid reale, non terminat per se motum juxta Aristotel. 5. Physic. Sed ad *ubi* datur per se motus, ut ibi dicitur ab Arist: ergo *ubi* non est mera relatio distincta à re ubicata, sed vel entitas vel modus

distinctus. Tertio: Per motum localem mobile mutatur: ergo & per terminum motus, qui est *ubi*. Patet consequentia, quia per nos motus non distinguitur à termino, ut diximus 3. Physic. Sed sola nova entitas, aut modus potest mutare subjectum: ergo *ubi* est entitas, aut modus distinctus à re ubicata.

Ad 1. respondetur inde probari distinctionem realem ubicationis à re ubicata & loco, sed non entitativam, vel modalem, sed quidditativam, ut de relatione dictum est. Deficit enim in eo casu exercitium essendi Petrum in hoc loco. Hoc exercitium est sola quidditas, sicut in relatione exercitium referendi.

Ad 2. suprâ satis dictum est. Non enim motus localis terminatur ad solam relationem præsentia, sed ad entitatem locati ut præsentem, per motum enim fit locatum præsens loco; non tamen denuò producit nisi sola præsentia quæ est relatio, & quidditas. Sicut dum homo generatur, actio generativa terminatur ad totum hominem, sed non producit materiam, aut animam, sed solam unionem. Ob id actio illa potius est unitiva, quàm productiva. Sic motus localis non tam est actio productiva, quàm unitiva locati ad locum.

Ad 3. dic per motum localem mobile mutari localiter, quia mutat locum, unum relinquendo, & alium acquirendo. Sed non mutatur physice, quia nullam entitatem, aut modum novum recipit. Imò inde Arist. probat motum localem esse perfectio-

rem motibus ad qualitatem, & quantitatem, quibus mobile mutatur physice.

Observa quod relatio corporali ad locum est realis, & prædicamentalis, quia fundatur supra quantitatem corporis, & comparatur ut mensuratum ad locum mensurantem. At Angeli non mensuratur à loco, nec ab eo continentur: quare sicut continent & sunt activè in loco, sic sunt mensura sui loci. Hinc est quod relatio præsentia ad locum ex parte Angeli mensurantis non est realis, sed rationis, ceteram ex parte loci mensurati

Q V Æ S T O III.

An sit possibilis creatura nullibi existens?

§ I.

Referuntur sententia cum suis fundamentis.

ERit creatura nullibi, si divinitus absolvatur ab omni ubicatione, nam per ubicationem ponitur alicubi. Negant possibilem creaturam absolutam ab omni ubicatione Suarius lib. 4. de Angelis cap. 3. Arrubal 1. p. disp. 123. Molina, Compton, Quiros, & alij ex modernis. Probat 1. Quia juxta Arist. *Quod nullibi est, non est.* Quæ propositio est etiam P. Augustini; ut infra patebit. 2. Quia nulla res potest absolvi ab omni duratione: ergo nulla ab omni ubicatione. Cõsequentiã patet, quia duratio, & ubicatio æquè distinguuntur, & æquè consequuntur ad rem, cujus sunt. Antecedens probatur,

Quia quod existit verè est, quod sonat tempus præsens, et sic durat tempori coexistens. Probat 2. antecedens. Quia aliàs posset res durare primo, & tertio anno, quin duraret anno secundo intermedio, si in secundo absolveretur ab omni duratione. Hoc est impossibile nisi in secundo anno destruat eam existentiã. Nam quia existentiã Dei manet tribus illis annis, idè est impossibile, quod non duret illis tribus. 3. Quia illa creatura existens potest à Deo destrui, & iterum produci: sed in hoc importatur duratio, & successio: ergo nequit absolvi ab omni duratione.

Probat 3. conclusio sic. Nulla est

Physicorum.

est realis: quæ cum ab Angele realiter terminetur, idè est realis ex parte utriusque extremi, nempe terminativè ex parte Angeli, & formaliter ex parte loci diffinitivi. Hoc sufficit ut ubi Angelicum sit reale, & ut Angelus sit realiter in loco. Tum quia est realiter agens in loco, & per actionem locatur. Tum quia licet dominium importet relationem ad servum, Deus est realiter Dñs creaturæ, per hoc quod ista dicat relationem realem ad Deum, & Deus illam terminet realiter.

Quæstio. III.

est possibilis creatura, cui Deus non sit præsens: sed Deus non est nullibi: ergo Deus esset præsens illi creaturæ alicubi. Ergo illa creatura esset alicubi. Patet consequentiã. Quia nihil potest esse mihi præsens, nisi ego, & illud simus ibi, ubi præsentia exercetur.

Confirmatur. Si ponatur corpus infinitum, illud erit præsens illi creaturæ: sed corpus illud non esset præsens illi secundum se totum: ergo secundum partem. Major patet, nam Deus titulo immensitatis, & infinitatis est præsens omni creaturæ. Minor est certa. Nam si creatura illa esset præsens toti corpori infinito, esset ubique, sicut corpus infinitum ratione suæ infinitatis. Tunc sic. Ergo creatura illa esset præsens tali loco determinato, quem occuparet pars illa corporis, cui esset præsens. Sed esse in loco determinato, est esse alicubi: ergo omnis creatura possibilis est alicubi.

Confirmatur 2. Omnis creatura vel esset in mundo, vel in spatio imaginario. Si primum? Ergo esset alicubi. Si secundum? Quærimus, an esset præsens toti spatio imaginario, vel parti. Si toti? Hoc implicat, quia spatium illud est infinitum, & immensum, & sic creatura illa foret immensa. Si parti? Ergo jam esset in determinato spatio: sed creatura determinatur ad spatium ubi: ergo omnis creatura debet habere aliquod ubi. Confirmatur 3. Implicat creatura, quæ non sit pars universi: ergo implicat creatura, quæ non sit in aliqua par-

§. I.

te universi: sed quæ est in aliqua parte, est alicubi: ergo &c.

2. Affirmant possibilem creaturam talem Valentia, Monceus, Meratius, Oviedo, & alij citati à Quiros 4. Physic. Allegant Arist. hic cap. 3. dicentem: *Universum non est alicubi.* Ergo universum juxta Arist. est nullibi: ergo possibilis est creatura nullibi existens. Patet consequentiã. Idè universum de facto non est alicubi, quia extra universum non datur superficies corporis continentis, quæ juxta dicta est locus. Sed potest Deus in spatio imaginario, ubi nullum est corpus, creare aliquam creaturam, vel hic creatam, ibi ponere; tunc autem à nullo corpore contineretur: ergo possibilis est creatura non existens alicubi.

A ratione probatur 2. Chimera nec est hic, nec alibi: ergo nullibi. Ergo est dabile ens reale nullibi existens. Rursus. Carentia Petri non existens, illa nec est hic, nec alibi. Ergo quando hæc tollitur per existentiam Petri, existentia Petri nec est hic, nec alibi. Patet consequentiã. Quia si existentia Petri esset hic, solum hic tolleretur carentia Petri; unde alibi maneret carentia Petri, & sic darentur in rerum natura simul tempore existentia Petri, & ejus carentia, quod est impossibile.

Confirmatur. Potuit Deus ante omnem creaturam corporalem creare Angelum: sed tunc Angelus ille non esset alicubi: ergo esset nullibi. Major patet, quia nulla est in eo repugnantia, nec Angelus pendet in esse

à corporalibus. Minor probatur. Angelus ille non haberet passum circa quod operaretur: sed deficiente operatione Angeli circa passum, deficit ejus *ubi*, quod fundatur in ejus operatione ad extrà: ergo.

Confirmatur 2. Potest Deus negare Angelo concursum ad omnes operationes ad extrà, dando solum concursum ad internas, & vitales: sed tunc per istas viveret, & existeret; non tamen esset ubicatus in aliquo loco: ergo esset nullibi. Minor patet, quia sine ratione formali ubicationis, nequit ubicari Angelus; ejus ratio formalis ubicationis est actio ad extrà.

3 Respondet Quiros, quod operatio Angeli non est ratio formalis essendi in loco, quia prius est quod Angelus sit in loco, quam quod operetur. Ceterum licet ad Theologos spectet agere de loco Angelorum, aliquando etiam ad Philosophos, ut monet Suarez ubi supra. Quare hæc solutio breviter saltem potest à nobis impugnari. Contra eam est 1. Quod æquè discurre de Angelis, ac de corporibus quoad esse, & agere in loco. Sed hoc est contra D. Thomam, & B. Ægidium, dantes disparitatem, quam vide supra quæst. 2. num. 6.

Secundò. Nam ratio formalis essendi Angelum in loco non est ejus substantia, nec ejus virtus operativa, quæ est quantitas virtutis: ergo est ejus operatio, vel quid secutum ex operatione. Non hoc per te, quia ante operationem est Angelus in loco: ergo restat sola substantia, aut virtus Angeli. Quod autem neutra sit

ratio essendi in loco, probatur 1. Quia Angelo est liberum esse in loco; si enim ei conveniret per suam substantiam esse in loco, non liberè, sed necessariò esset in loco. Idem dic de virtute Angeli, quæ est ei necessaria, sola enim operatio, & exercitium virtutis, est Angelo liberum. 2. Quia tam substantia Angeli, quam ejus virtus sunt indifferentes, ut se applicent ad spatium corporale, & ad hoc, vel illud spatium; operatio autem determinat substantiam, & virtutem Angeli ad hoc spatium præ alio. Sed ratio formalis essendi in loco, est ratio determinativa locati ad locum: ergo talis ratio non est substantia, aut virtus Angeli, sed ejus operatio.

Præterea: Deus non est præsens per suam substantiam, aut potentiam agendi, nisi quatenus substantia ejus, & Omnipotentia, identificantur cum operatione Dei ad extrà, ut dictum est quæst. 2. num. 2. ex D. Thoma, & B. Ægidio: sed in Angelis substantia differt à virtute agendi; & utraque ab actuali operatione: ergo Angeli non sunt in loco per substantiam, aut virtutem agendi; sed per operationem.

Quidquid sit, solutio est insufficientis. Nam da quod volueris pro ratione formali essendi in loco; si locus non sit, Angelus non erit in loco; sed si nulla datur creatura corporalis, ut in casu argumenti, nullus datur locus Angelicus: ergo erit tunc nullibi, si producitur ante omnem creaturam, vel ponitur à Deo in spatio imaginario, ubi nulla creatura est.

4. Pro-

4. Probatur 3. eadem sententia. Potest Deus à qualibet creatura tollere rationem formalem essendi in loco: ergo potest facere illam non esse alibi, sed nullibi. Probatur antecedens de rebus corporeis, de quibus est difficilius absolvi ab omni loco. Potest Deus tollere à re corporea quantitatem: sed quantitas est ratio formalis essendi corporalia in loco, ut dictum est: ergo &c. Probatur major. Nam potest Deus in Eucharistia ponere quantitatem existentem sine substantia; ergo melius vel æquè potest ponere substantiam sine quantitate. Patet consequentia; quia magis pendet accidens à substantia, quam substantia ab accidentibus. Idem dic de Angelis, quibus potest Deus impedire ne ad extrà operentur: & potest ab eis tollere virtutem agendi ad extrà, quæ est qualitas, si hanc teneas esse rationem formalem locandi Angelum.

Confirmatur. Potest Deus à quacumque creatura tollere ejus *ubi*: ergo potest facere quancumque existere nullibi. Antecedens probatur. *Vbi* est relatio locati ad locum, quem replet: sed potest Deus tollere illam relationem: ergo &c. Probatur minor 1. Quia potest Deus impedire ne relatio illa realiter resultet. 2. Relatio deficit ablato vel fundamento, vel termino. Sed potest Deus tollere à Petro quantitatem molis, quæ est fundamentum relationis præsentis ad locum; rursus potest manente Petro cum quantitate, destruere omnem locum, annihilando totum universum, servato solo Petro: e. g.

Observant DD. hujus sententia,

quod casu quo Deus à Petro tolleretur quantitatem, Petrus in mundo manens non esset intra mundum, nec extra; non esset distans nec indistans, longe aut prope &c. quia iste sunt differentiæ rei locatæ; sicut rationale, & irrationale sunt differentiæ animalis: sed quod non est animal, non est rationale, aut irrationale: ergo quod non est in loco, ut Petrus in casu dicto, non est intra, aut extra, longe aut prope &c.

§ II.

Nostri sententia probatur, & aliorum fundamenta expenduntur.

5 **T**enui olim sententiam affirmativam ob communem assertum P. Augustini, & B. Ægidij, docentium, quod semper acquiritur de potentia Dei, dicendum est quod Deus amplius potest, quam nos possumus intelligere. Hanc sequutus sum in Logica lib. 6. quæst. 5. num. 38. in fine pro solutione unius argumenti. Sed negativam censeo nunc veniorem ob expressum testimonium P. Augustini, quod facillè exponerem, si aliud pro affirmativa invenissem: sed cum non invenerim, litteram S. P. sequor pro sententia negativa.

Quam probò ex P. August. Epist. 57. ad Dardanum, ubi ait: *Spatia locorum tolle corporibus, nusquam erunt; & quia nusquam erunt, nec erunt.* Et lib. de Immortalitate animæ cap. 1. *Quidquid est, nusquam esse non potest.* Rationem dedit lib. 1. Soliloq. in fine approbans hanc propositionem, *Quid-*

quid est, alicubi esse cogitur. Sed nulla est possibilis creatura, quæ dum est, non sit: ergo nulla est possibilis, quæ dum est, alicubi non sit. Patet consequentia. Quia quidquid est, alicubi esse cogitur; & quæ nullibi sunt, non sunt juxta Augustinum: ergo si nulla est possibilis creatura existens, quæ non sit; nulla est possibilis existens nullibi, aut non existens alicubi.

Probatio ista Augustiniana est expressa etiam in Arist. 4. Physic. textu 2. ubi ait: *Ea namque quæ sunt, omnes opinantur alicubi esse: quod enim non est, nusquam est; ubi enim est tragellaphus, aut sphinx? id est, ubi est hirco-cervus, aut chimæra?* ut ibi exponit B. Ægidius. Arguit enim Philosophus sic: Quod non est, ut omnes chimæra, nullibi est: ergo omne quod est, alicubi est. Patet consequentia, quia esse nullibi, convenit non entibus: sed id quod est, nequit esse non ens: ergo id quod est, nequit esse nullibi, sed necessarium est alicubi.

Hæc probatio intellecta de loco, & ubi circumscriptivo, non est bona, ut bene notat B. Ægidius ibi dubio 3. quia Angeli, & omnia spiritualia sunt, & tamen non sunt alicubi circumscriptivè. At si extenditur ad omnem ubicationem, supra explicatam quæst. 3. verissima est: & quidquid sit de sensu & mente Philosophi, qui forsitan non bene sensit de spiritibus; at P. Augustinus, qui sapienter de Angelis est locutus, ipsi notis per sacram Scripturam, dum dicit, *quidquid est, alicubi est*, loquitur

de omni ente, & de ubicatione non tantum corporali, sed spirituali: quo sensu probatio est optima.

6. Eam confirmo à ratione sic. Nulla est possibilis creatura, quæ non sit medium inter Deum, & nihil: ergo nulla est possibilis, quæ non sit alicubi. Probatur consequentia. Deus est ubique, nihil, & non ens est nullibi: sed medium inter ubique, & nullibi est tantum alicubi: ergo si nulla est possibilis creatura, quæ non sit medium inter Deum, & nihil; nulla est possibilis, quæ non sit alicubi.

Urgetur. Nulla est possibilis creatura, quæ semel producta, non excludat sui carentiam: sed carentia creaturæ existit nullibi: ergo creatura producta existit alicubi. Probatur consequentia. Quia existentia nullibi non potest excludi nisi per existentiam ubique, vel existentiam alicubi; nullibi enim est adverbium negans ubi-quitatem, & ubicationem. Sed creatura nequit convenire existentia ubique: ergo excludit existentiam nullibi suæ carentiæ, per existentiam alicubi suæ essentia.

Urgetur 2. Nullibi esse, est non esse: sed creaturæ, quæ est, repugnat non esse dum est: ergo dum est, ei repugnat nullibi esse. Probatur major. Nullibi esse convenit non entibus, & chimæris: at eis solum convenit non esse: ergo nullibi esse est non esse. Hæc sententia videtur D. Thomæ, & B. Ægidij, loco citato exponentium litteram Philosophi.

7. Fundamenta primæ sententiæ, posita num. 1. sunt pro nobis, sed

quædam non satis urgent. Ad 1. de mente Philosophi, hic satis à nobis dictum est. Secunda probatio non est urgens. Quia duratio est relatio fundata supra existentiam creaturæ: quare cum nulla possit existere sine existentia, nulla etiam sine duratione, quæ est relatio coexistentiæ creaturæ ad tempus, vel ævum, vel æternitatem. At ubicatio est relatio fundata supra quantitatem molis, aut virtutis creaturæ: potest conservari creatura sine ulla quantitate: ergo sine ulla ubicatione. Sic respondent AA. contrarij, nec sine fundamento, ut patet.

Ceterum instaurari potest ratio contra eos. Nam sicut nulla creatura potest existere sine existentia, & idem nulla potest absolvi ab omni duratione, sic nulla potest existere sine existentia saltem determinatæ quantitatis molis, aut virtutis: ergo nulla est possibilis creatura, quæ saltem radicaliter, & exactivè, non sit alicubi, etsi formaliter alicubi non sit. Quare erit absoluta divinitus ab ubicatione formalis, quæ consistit in relatione, sed non ab ubicatione quæ consistit in radicali determinatione essentia creaturæ, ut sit alicubi, & non sit ubique, vel nullibi.

Tertia probatio est fallax. Nam ea probari potest creaturam esse ubique. Probatur sic. Nulla est creatura, cui Deus non sit præsens: sed Deus est ubique: ergo creatura ubique est. Patet consequentia. Quia nil est mihi præsens, nisi ambo simus ibi. Præterea: Deus de facto non est nullibi; si tamen produceret creaturam nullibi.

ei esset præsens, & sic esset ubique, & nullibi. Sic respondent AA. contrarij. Sed contra instari potest. Quia esse nullibi, est proprium non entium: sed Deus summus ens nequit esse ubi sunt non entia, nec esse præsens non entibus, ut patet: ergo nequit esse nullibi.

8. Ad 1. confirmationem dicunt contrarij corpus illud infinitum non futurum præsens illi creaturæ secundum totum nec secundum partem, quia solum peteret locum infinitum, & creatura illa nec esset locus, nec in loco. Nec est paritas de Deo, qui esset præsens illi creaturæ agendo, & conservando illam, corpus autem infinitum nec ageret, nec tangeret illam creaturam contactu quantitativo, quia hic petit duo extrema cum quantitate, & illa creatura non haberet quantitatem.

Hæc solutio videtur fundata, sed revera est merum effugium. Nam cum corpus infinitum esset ubique ratione infinitæ extensionis, esset ratione illius ubicumque Deus est per operationem, per quam est ubique. Sed Deus ubique existens, est præsens illi creaturæ, ut concedunt contrarij: ergo & corpus infinitum esset præsens illi creaturæ, etsi nil ageret in eam. Reddit ergo argumentum, an sit præsens secundum totum, an secundum partem &c. ut arguunt DD. nostræ sententiæ.

Ad 2. confirmationem dicunt contrarij creaturam posse esse vel in mundo, si hic à Deo producat, vel in spatio imaginario, si producat, ibi. Ex nulla positivè sequitur esse alicubi. Non ex prima, quia cum crea-

tura in mundo non haberet quantitatem, non esset locata, nec determinata ad aliquam partem mundi; quare non esset hic, nec ibi, nec alicubi, nec in aliqua parte mundi determinata, ut supponit argumentum potius, quam probat. Si verò ponatur in spatio imaginatio, tunc nec totum occuparet, nec partem. Nam cum spatium illud sit actu nihil, quod nil est actu, non habet partes, nec totum.

Nihilominus instauratur probatio ista ex à nobis datis. Nam creatura illa in mundo, etsi non haberet quantitatem locantem, & determinantem formaliter ad certum locum, non esset immensa, aut potens esse ubique. Rursus non esset chimæra, & non ens, cui soli competit esse nullam, aut nullibi: ergo haberet essentiam mediam inter Deum, & nihil. Hæc essentia media exigit esse alicubi, nam exigit determinatam, & finitam quantitatem, quæ est formalis determinatio ad essendū in loco determinato. Hoc sufficit, ut sit in parte mundi determinata, & alicubi. Probatur exemplo accidentium Eucharistiæ, quæ subsistunt sine subjecto: & nihilominus actu sunt accidentia, & actu ens in alio; quia licet non inhæreant formaliter, exigunt subjectum inhærentis, & hæc exigentia est eis essentialis. Ergo cum omni creaturæ essentialis sit exigentia loci determinati, pone ipsam sine quantitate, adhuc erit exactivè, & radicaliter alicubi, & media ejus existentia inter existentiam ubique, Deo convenien-

tem, & existentiam nullibi, convenientem, non entibus.

9 Restat solvere fundamenta secundæ sententiæ, posita num. 2. Ad auctoritatem Philolophi dic cum B. Ægidio text. 45. & seqq. exponente litteram, quod universum non est alicubi secundum totum, quia extra universum non est corpus ambiens, & locans. At universum est alicubi, & in loco secundum partes; quia nulla est pars, quæ ab alia non contineatur; nec posset cælum moveri circulariter, nisi ejus partes essent in loco, quia circulatio fit per hoc quod una pars transeat ad locum alterius, quod non stat quin partes sint in loco, ut patet. Vide B. Doct. text. 46. dub. 1. probantem hoc contra Alexandrum.

Hinc patet, non valere illam consequentiam, nempe ergo universum est nullibi. Immo si universum est in loco secundum partes: ergo alicubi est. Nec melior est secunda consequentia, quam non suadet probatio adjuncta. Etenim admissio quod Deus creare potest creaturam in spatio imaginario; illa haberet quantitatem extendentem partes extra partes. Ergo una pars esset locus alteri, & sic creatura illa esset in loco secundum partes, ut modò est universum; non tamen esset in loco secundum totum, quia à nulla superficie extrinseca ambiëtur. Ut ergo esset nullibi, debebat non esse alicubi secundum totum, & secundum partes; nam *nullibi* est adverbium negans, & reddit propositionem negativam universalem, omnem locationem negantem; quod

quod de creatura illa, sicut de universo nunc verum non est.

Ad secundam rationem, dic eam esse pro nobis. Nam idem chimæra non est hic, aut alibi, sed nullibi quia, chimæra non est; & quod non est, nullibi est, ut ostendimus. Ergo cum nulla sit possibilis creatura, quæ non sit, dum est, nulla est possibilis, quæ sit, & nullibi sit.

Ad aliud de carentia Petri, dic fallaciter concludere, quod existentia Petri de facto est nullibi, vel ubique. Quorum utrumque est impossibile. Directè resp. quod per existentiam Petri in re positam, tollitur à rerum natura carentia existentia Petri; unde taliter existit hic, ut non sit Romæ, aut alibi in mundo carentia existentia Petri. Solùm enim verba æquivocant de ubicatione, nam dum Petrus Salmaticæ existit, per ejus Salmantinâ ubicationem non tollitur carentia ubicationis Romæ, usque dum Romæ ubicatur. Æquivocant verba, quoniam ad explicandam ubicationem, utimur verbis sonantibus existentia, v.g. ubicatur hic, quia existit hic.

10 Ad 1. Confirmationem admissio casu, qui certè est possibilis. Respondet P. Suarius ubi suprâ, quod Angelus ille creatus ante omnem creaturam corpoream, haberet suum *ubi* intrinsecum, à quo nunquam potest absolvi; licet careret *ubi* extrinseco. Distinguit hæc duo *ubi*, quia ubicatione est relatio locati ad locum, & hæc est mutua, & ex parte locati est intrinseca locato, extrinseca verò ex parte loci. Ergo ut intrinseca, constituit *ubi* intrinsecum, ut extrinseca

extrinsecum. At in eo casu nil intrinsecum deficeret Angelo, cum haberet suam quantitatem virtutis, & solùm defectu passi extrinseci non ageret ad extrâ: ergo licet tunc careret *ubi* extrinseco, non tamen intrinseco. Unde esset alicubi intrinsecè, non extrinsecè. Solutio est probabilissima, & pendes ex principijs à Suario satis cõprobatis. Aliiter tamen ex nostris solvemus hanc, & sequentes confirmationes.

Respondeo admissio casu, quod Angelus ille non esset nullibi, sed alicubi, non quidem alicubi formaliter, nam defectu termini deficeret relatio presentia ad locum; esset tamen alicubi exactivè, & radicaliter, quia Angelus ille haberet virtutem activam ad extrâ, sed finitam, & determinatam agere in spatio finito, & determinato. Quare per suam virtutem sic essentialiter determinatam, esset alicubi exactivè: quod sufficit, ut negetur Angelum tunc futurum nullibi. Quod suaditur. Nam diversimodè tunc Angelus existeret, ac chimæra: nam hæc nec haberet tunc determinationem ad locum, nec existentiam talis determinationis, quam tunc haberet Angelus. Sed chimæra tunc non minus, sed æquè ac nunc, esset nullibi: ergo Angelus tunc nullibi non esset, sed alicubi modo dicto.

Hinc patet ad 2. confirmationem, cujus casum admittimus, nam licet Angelus liber in suis operationibus ad extrâ, possit divisivè omnes cohibere, non tamen collectivè, quia determinatus esse in aliquo loco, determinatur agere circa aliquod corpus.

pus. At Deus ratione sui dominij omnes Angeli actiones, etiam collectivè, potest cohibere. At tunc maneret Angelus cum virtute finita exigente concursus Dei ad determinatam, & finitam actionem exteriorem: ergo maneret alicubi exactivè, & sic non esset nullibi.

Ad confirmationem admitto, quod posito fundamento, & termino relationis presentia, possit Deus tollere, aut impedire, ne relatio presentia resultet, quare potest tollere ubicationem, quod aliqui negant. At tunc dicendum est, quod dicitur, si Deus à duobus albis tolleretur relationem similitudinis. Tunc enim essent similia materialiter, & unum quale aliud, sed non essent similia formaliter. At nunquam essent vel dissimilia, vel absolutè non similia: quia utrumque negat omnem similitudi-

Q V Æ S T I O. V.

An corpora possint inter se penetrari in ordine ad locum?

§ I.

Ostensa naturali repugnantia, proponitur sententia negans divinitus.

Consistit penetratio corporum in ordine ad locum, in eo quod utrumque sit in eodem loco, qui adæquatus est cuilibet, & ab eadem superficie continentis ambientur. Hoc esse naturaliter impossibile testatur experientia, qua videmus corpora mutuo se expellere ab eodem loco. Ad sunt rationes, sed ante eas

audi P. Augustinum, libro contra Epist. Fundam. cap. 16. dicentem: *Quidquid qualibet crassitudine distenditur, non potest nisi minus per partem habendo aliud hinc, aliud alibi. Minor est enim digitus, quam tota manus, & minor est digitus unus, quam duo, alibi est iste digitus, alibi ille, alibi tota manus &c. Quo probat partes corporis exten-*

nem, quæ in casa dato malè negatur, cum adesset similitudo materialis. Sic dicimus, quod si manentibus locato, & loco, Deus tolleretur ubicationem ab eis, maneret locatum materialiter alicubi, non formaliter, nec verum esset tunc, quod vel nullibi existeret, vel quod absolutè non existeret alicubi.

Hinc patet ad observationes DD. sententia affirmantis. Fatemur eas differentias esse tales respectu solum rei locatæ. Ceterum cum res locata, sit naturaliter locata formaliter, & divinitus possit esse locata, tantum exactivè, & radicaliter; idè differentia illæ, hac duplici distributæ acceptione, conveniunt exactivè rei exactivè locatæ, & formaliter rei locatæ formaliter. Aliter autem loqui est merum effugium, & reddetur facilè questio de voce.

extensas non penetrari inter se, sed unam esse extra locum alterius. Prosequitur. *Similiter aeris partes suos quoque implent locos, nec fieri potest, ut aer, quo impletur hæc domus, simul secum habere possit in eadem domo etiam illum aerem, quem vicini habent &c.*

Ecce nec partes corporis una est intra locum alterius, nec aliud corpus extraneum permittunt in eodem loco. Hoc nascitur, ut ait S. P. ex crassitudine, qua distenditur, hoc est, ex quantitate molis, quæ sicut habet pro effectu secundario extendere corpus in ordine ad locum, sic habet reddere illud impenetrabile, ita ut nec partes invicem penetrentur, ut sint una in loco alterius, nec permittant secum partes alterius corporis distincti.

Ratione probatur 1. Quia effectus naturaliter sequutus, non tollitur naturaliter: sed à quantitate extendente localiter corpus, & partes ejus, sequitur naturaliter impenetrabilitas partium tum inter se mutuo, tum cum partibus corporis distincti: ergo naturaliter non possunt duo corpora penetrari.

2. Locus sufficienter repletur uno corpore, ita ut aliud sit superfluum: sed natura abhorret superflua: ergo natura contradicit coexistentiam duorum corporum in eodem loco. 3. Facilius esset naturam penetrare duo corpora, si hoc esset datum naturæ, quam unum dirumpere: sed in tormentis bellicis ignis non raro dirumpit ea, nunquam autem penetrat illa: ergo quia penetratio

naturaliter impossibilis est.

2. Dices. Vas plenum cinere, tantam suscipit aquam, quantam si cinerem non haberet: ergo tunc aqua, & cinis penetrantur. 2. In candente ferro est ignis, quare corpus igneum, & ferreum sunt in eodem loco. 3. Effectus secundarius gratia habitualis est constituere filium Dei adoptivum: sed in Christo Dño naturaliter impeditur: ergo licet impenetrabilitas sit effectus secundarius quantitatis, poterit naturaliter impediri.

Ad 1. dic cinerem esse valde porosum, & multum aerem continere intra se: dum aqua infunditur, aer expellitur, & sic potest tanta aqua infundi, non tamen unquam tanta, quanta si nullus esset cinis. Ad 2. dicitur in ferro, quantumvis denso, esse poros, aere plenos, quos replet ignis aerem expellendo. Ad 3. respondet Illust. Froylan, quod ille effectus gratia est proprius tertio modo, nempe illi soli conveniens, sed non semper. At impenetrabilitas est conveniens quarto modo quantitati, hoc est soli, & semper. Hæc solutio videtur insufficientis, quia respondet cum questione. Restat enim ostendere cur impenetrabilitas conveniat soli, & semper.

Respondemus, quod effectus gratia est ei proprius quarto modo, nec in Christo Dño impeditur naturaliter, sed ex vi unionis miraculosa, nempe ex vi unionis Hypostatica, quæ fuit maximum miraculorum, & suprema commendatio potentia, &

amoris Divini. Posito eo miraculo, reliqua sequuntur: filiatio enim naturalis Dei naturaliter excludit adoptionem. At positio filiationis naturalis in humanitate fuit opus potentiae Dei supra totum ordinem naturae.

3. Viso, quod penetrabilitas corporum est naturaliter impossibilis, queritur divinitus. Negant aliqui citati à Durando, quorum sententia defendit poblematicè in 4 Sent. dist. 44. q. 6. Pro eadem stat ibidem Paludanus, licet moneat tutius esse defendere affirmativam.

Probatur sententia negans. Nam si corpora possent penetrari in eodem loco, haberent idem *ubi*: sed non possunt adhuc divinitus habere idem *ubi*: ergo nec divinitus penetrari. Probatur minor. Quia accidens nec potest migrare de subiecto in subiectum, nec simul recipi in duobus subiectis; alioquin esset idem, & non esset idem, quod implicat. Sed *ubi* est accidens de sex ultimis prædicamentis: ergo &c.

Confirmatur 1. Idem corpus non potest esse in duplici loco divinitus: ergo nec duo corpora in eodem loco. Patet consequentia. Quia non minus adæquatur locus corpori, quam corpus loco: ergo si ratione primi &c.

Confirmatur 2. Partes quantitatis non possunt inter se penetrari: ergo nec corpora. Antecedens patet, nam facta penetratione partium quantitatis, jam partes non manerent partes; & sic destrueretur quantitas.

Consequentia tenet, quia quod repugnat quantitati, repugnat corpori, affecto quantitate: ergo si partes quantitatis &c.

3. Implicat quod partes quantitatis discretæ, v. g. partes temporis penetrentur: ergo implicat partes continui, & permanentis penetrari. Antecedens est certum, quia partes temporis sunt præsens, præteritum, & futurum, quæ simul esse non possunt.

§ II.

Vera, & communis sententia defenditur.

4. **C**ommunis, & vera sententia affirmat hoc esse possibile, & ex sacra Scriptura constat sic factum, dum Christus D. januis clausis intravit Cœnaculū, ubi erant discipuli congregati, & dum rediens ad Patrem, Cœlos penetravit, ut ait Apostolus ad Hebræos 4. dicens: *Habemus Pontificem, qui penetravit Cœlos Jesum*. Sic docent omnes Theologi præter citatos quos refert N. Lusitanus tom. 3. de Beatitud. lib. 5. q. 6. art. 3. § 3. & habetur in B. Ægidio 2. Sent. dist. 17. q. 1. art. 1. & Theorem. 6. Rubio hic refert Scotum pro sententia docente, id esse possibile, si ab uno corpore tollatur extensio localis, secus si non tollatur.

Probatur ex P. August. Epist. 3. dicente: *Ipsa virtus Dei per inviolata Virginis virginea viscera membra infan-*

*infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia, membra juvenis introduxit. Hic si ratio queritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. Hanc rationem ab Augustino mutuavit S. Gregorius Papa Hom. 16. dicens: *Quid mirum, si clausis januis post resurrectionem suam in æternum jam victurus, intravit; qui moriturus veniens, non aperto Virginis utero, exivit. Vide P. August. lib. de Agone Christi cap. 24. & serm. 1. post festum Nativitatis Domini, & serm. 4. post octavam Paschæ, & tract. 121. in Joann. & lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. & sæpè alias.**

Respondet Durandus partes Virginis Matris fuisse dilatatas, ut Christus exiret; & dici posse Christum Dñm introisse ad discipulos per fenestram. De hoc secundo satis constat ex allegato testimonio P. Augustini dicentis, quod *per claustra ostia membra juvenis Christus introduxit*. Quomodo per clausa ostia, si per fenestram intravit? Rursus, quid mirabile ostia esse clausa, si non intravit per ostia, sed per fenestram? Tandem ad quid narrantur ostia clausa, & quid inde ad suadendum Dominum natum non referato Virginis utero? De primo, quod P. Augustinus reponit inter Manichæorum deliramenta, audi S. Doctorem serm. 1. Dominicæ post festum Nativitatis dicentem: *Audiat & versutus ille Manichæus aliud Sacramentum. Solis radius*

specular penetrat, & soliditatem ejus insensibili subtilitate pertransit, & talis videtur intrinsecus, qualis extrâ, & intrinsecus. Itaque fratres, nec cum ingreditur violat, nec cum egreditur dissipat, quia ad ingressum, & egressum ejus, specular integrum perseverat. Specular ergo non rūpit radius solis; integritatem Virginis ingressus, aut egressus nūquid vitare potuit &c.

Et in partu Virginis Matris plenè servata est corporalis integritas, quoniam Christus Sol justitiæ, sic ingressus, & egressus est, sicut sol ingreditur, & egreditur per specular sine ejus violatione, ipso integro perseverante. Aliter sentire delirium est Manichæorum, contra sanam Ecclesiæ, & SS. PP. doctrinam. Ob id sententia Durandi varijs censurarijs notatur, à quibus abstineo.

5. Probatur à ratione nostrâ sententia. Impenetrabilitas corporum est effectus secundarius quantitatis, & quedam sequela extensionis in ordine ad locum: sed effectus secundarius formæ potest impediti à Deo, præsertim si non habeat essentialem connexionem cum forma, & ejus effectu primario: ergo potest Deus à corporibus tollere impenetrabilitatem, & sic facere duo corpora esse in eodem loco. Minor probatur. Nam de facto in Eucharistia est corpus Christi cum propria quantitate, dante illi effectum primarium, nempe extensionem partium in ordine ad se. Ceterum non dat illi extensionem in ordine ad locum, & ob id partes corporis Christi sunt simul cum partibus

tibus quantitatis panis destructi. Ergo ibi Deus impedit effectum secundarium quantitatis.

Hinc fit, quod potest Deus multipliciter ponere duo corpora in eodem loco. Primo, tollendo ab uno extensionem localem. Et sic de facto est corpus Christi in Eucharistia ibi, ubi sunt locata accidentia Eucharistica. Hæc est sententia Scoti. Sed eam non bene recipiant Thomistæ, quoniam penetratio corporum in ordine ad locum, supponit utrumque extensum localiter; alioquin non penetrantur in ordine ad locum.

Secundò. Si Deus det uni corpori qualitatem supernaturalem, qua reddatur subtilissimum, & corpora solida ab eo penetrantur. Ita docet B. Ægidius Theorem. 14. & constat talem quantitatem habere corpora gloriosa post resurrectionem. Unde monet B. Doct. quod Nativitas Christi per inviolata Virginis claustra, miraculum fuit; sed non ingressus ejus januis clausis post resurrectionem: quia nunc habebat qualitatem istam supernaturalem, quam non habuit ante passionem, ut locum daret redemptioni nostræ.

Tertio. Si positus corporibus cum sua extensione locali, Deus impedit effectum inde secutum, nempe impenetrabilitatem. Sic sentiunt communiter Thomistæ, docentes, quod unum corpus expellit aliud in genere causæ efficientis, & sic dependenter à concursu Dei. Ergo per hoc solum, quod Deus suspendat concursum, potest impedire impe-

netrabilitatem corporum. Quid, quid teneas, est difficile, & suo modo æquè probabile. Id elige quod melius capias. Scimus quod in talibus tota ratio facti, est potentia facientis, ut ait P. August. ubi suprâ: & serm. 4. in octava Paschæ dicit: *Magnum miraculum, sed mirari desines, si Deum cogitaveris. Mirum enim esset, si solus homo id fecisset. Refert ad omnipotentem, non ad phantasiam &c.*

6 Ad fundam. posita num. 3. Respondemus, & ad primum dic, idem *ubi* posse esse in duobus subjectis, se habentibus per modum unius. Sicut agens, & patiens se habentia ut unum, actuantur eadem actione; materia & forma per eandem existentiam &c. Corpora illa penetrata sunt duo materialiter, & entitativè; sed unum formaliter in ratione locati, quia per penetrationem adunantur in ordine ad locum, quo magis possibile est adunari. Quare possunt actuari eodem *ubi*.

Ad 1. confirmationem dic, quod si loca penetrantur, potest idem corpus esse in duplici loco adæquato; secus si non penetrantur. Quare si uniformiter sumas loca, & corpora, tenet paritas; & tam potest esse corpus in duplici loco, ac corpora duo in eodem loco. Si verò loca non penetrantur, adest disparitas, & accedit ratio, nam corpus limitatur à loco, ne sit alibi, ut dicemus. Ceterum locus non limitatur à corpore, ne possit alia recipere, imò infinita, si penetrantur.

Ad 2 confirmationem dic partes

tes quantitatis posse penetrari in ordine ad locum, non tamen in ordine ad se. Primum patet in corpore Christi in Eucharistia, ubi partes tum corporis, tum quantitatis propriæ, sunt penetratæ in ordine ad locum, quare existunt plene in indivisibili hostiæ, quia una est intra locum alterius. Ratio secundi est, quia extensio partium in ordine ad se, est effectus primarius quantitatis, qui non est auferibilis, manente forma.

Q V Æ S T I O. VI.

An corpus possit circumscribi à duplici loco?

§ I.

Proponitur, & probatur sententia negativa.

1. **C**ORPUS bilocari est esse hic, & alibi simul, & semel. Quod non esse naturaliter possibile, docet experientia, & suadet ratio. Nam unico corpori una correspondet quantitas, & huic unicus locus. Queritur divinitus. Et pro parte negativa sunt Thomistæ contra Scotistas, & DD. Societatis. Pro ea stat D. Thom. multis locis, sed præcipuè Quolib. 7. ubi ait: *Ponere quod unum corpus sit localiter in hoc loco, & tamen sit in alio loco, est ponere contradictoria simul vera. Unde secundum præmissa, hoc à Deo fieri non potest.*

Secutus est D. Thomas Sanctum Anselmum in Monologio cap. 20. ubi eandem repugnantiam agnovit, & sic explanavit. *Quod igitur totum est in ali-*

quo loco, quomodo totum simul est in alio loco, si nihil de eo potest esse in alio loco? Quoniam igitur unum totum non potest esse simul in diversis locis totum, cæsequitur ut per singula loca singula sint, tota, si in singulis locis simul aliquid est totum. Uterque S. Doct. loquitur consequenter ad mentem P. Augustini lib. 20. contra Faustum cap. 11. ubi negat possibilem presentiam corporalem Christi Dñi in diversis locis simul. De quo posita. In eadem sententia fuisse PP. Concilij Niceni, & tertiæ, quartæ, & septimæ Generalis Synodæ contendit Cardinalis Aguirre, quia ibi damnatus est error Ubiquistarum, docentium Christum Dñm non esse circumscriptum in loco deter-

determinato, sed ubique existere.

Hæc repono breviter, non ut contrariam sententiam aliqua censura dignâ reputê; sed ut pateat quàm immeritò Thomistica reputatur à Suario, & alijs, parum consona mysterio Eucharistico. Sanè sententia Thomistarum alia non videtur, quàm quæ à SS. PP. insinuat; de quibus dubitare, an consonent mysterio Fidei, sine injuria non possumus, ut Albelda, & Prado notaverunt. Restat utramque sententiam probabiliter defendi à suis Patronis, sed cum æquali onere sic probanda, ut salvent dogmata fidei. V. g. Thomistæ probare debent corpus non posse bilocari, ita ut salvent posse corpus esse simul sacramentaliter in diversis hostijs. Scotistæ, & DD. Societatis sic debent probare corpus posse simul esse in paribus locis, quòd salvent non posse esse ubique. Veniamus ad rationes.

2. Probatur sententia negans bilocationem. 1. Si corpus esset in duplici loco, esset idem corpus, & non esset idem: sed hoc implicat, & sic nequit fieri divinitus: ergo corpus nequit divinitus bilocari. Probatur major. Et quidem corpus tunc esse unum, supponitur, & de unico corpore questio est: illud non esse unum patet sic. Nam corpus illud haberet duplicem quantitatem, cum per unam non possit esse, nisi in unico loco: sed corpus habens duplicem quantitatem esset duplex: ergo corpus bilocatum duplex est. Probatur minor. Duo accidentia solo

numero diversa non possunt esse in eodem subjecto. Tum quia id docet D. Thomas. Tum, quia accidentia sumunt suam unitatem numericam à subjecto, à quo individuantur, & distinguuntur distinctione subjectorum: ergo si subjectum est unum, accidentia non possunt esse duo. Ergo corpus habens duplicem quantitatem, esset duplex, non autem unum.

Confirmatur 1. subjectum illud existens in duplici loco, haberet duplex *ubi*, resultans ex duplici adjacentia corporis ad locum: sed illud duplex *ubi* nequit recipi in eodem subjecto, quia est duplex accidens, solo numero diversum: ergo &c.

Confirmatur 2. Corpus illud vel existeret in duplici loco per duplicem quantitatem, vel per unam. Non per duplicem, quia hoc implicat, ut supra ostensum est. Sed nec per unam. Probatur hoc. Nam quantitas sic extendit corpus in ordine ad locum, ut corpus totaliter adæquetur cum loco, & nil corporis sit quod à loco illo non continetur: sed si corpus sic totum continetur in hoc loco, implicat quòd sit extra, & continueatur ab alio loco: ergo per unam quantitatem nequit esse in duobus locis.

Explicatur. Quod continetur totaliter ab hoc loco, sic continetur, ut nihil relinquat continendum ab alio loco: sed si esset simul in hoc loco, & alio, ita contineretur à primo, ut aliquid relinqueret continen-

tinendum à secundo: ergo à primo non contineretur totaliter. Sed aliud cum primus locus supponatur adæquatus corpori, illud continet totaliter. Ergo contineretur totaliter, & non totaliter, quod implicat.

3. Probatur 2. hæc sententia ab inconvenienti. Si corpus posset esse in duplici loco, posset esse simul in multis, imò & infinitis: ergo corpus illud foret immensum, & ubique; quod est patrocinari errori Ubiquitarum, dicentium Christum Dominum ubique esse corporaliter.

Rursus corpus illud posset in uno loco interfici, & in alio vivere, & bene tractari. Quare posset esse simul vivens, & mortuum, quod esse impossibile patet.

Tertio, corpus illud bilocatum distaret à seipso, & sibi ipsi posset obviam fieri. Posset sibi ipsi esse præfens, & contiguum. Quæ omnia præter absurditatem, quam præferunt, ostenduntur impossibilia. Nam unum est indivisum in se, & divisum à quolibet alio: sed corpus illud esset divisum à se, & distans à seipso: ergo non esset unum. Aliunde est unum, ut supponitur: ergo esset, & non esset unum. Vide plura in Palanco.

Addit Illustris. Froylan, quòd sicut natura terminata per unam personalitatem, non potest divinitus alia terminari; & quantitas terminata per unam figuram, nequit terminari per alteram. Sic nec corpus circumscriptum ab uno loco, potest ab alio circumscribi.

Proponitur, & probatur sententia affirmativa.

4. PRO sententia affirmativa stat N. Argentinas cum Scotistis, Nominalibus, & DD. Societatis uno excepto Vazquio, pro quo substituit Soto Dominicanum, qui tenuit sententiam affirmativam. Probatur. Christus Dñs in cælo existens circumscriptivè, potest esse sacramentaliter in hostia: ergo etiam ibi potest esse circumscriptivè. Probatur consequentia. Connaturalior est præsentia circumscriptiva, quàm sacramentalis: ergo si in Eucharistia potest esse cum sacramentali, poterit & cum circumscriptiva.

Confirmatur 1. Potest Christus D. esse sacramentaliter hic, & Romæ, & in toto mundo: ergo etiam corporaliter. Patet consequentia, quia sicut multiplicatur præsentia sacramentalis, ita potest altera, quæ est magis connaturalis corpori Christi Dñi.

Confirmatur 2. Ideò multiplicatur præsentia sacramentalis, quia multiplicatur conversio substantiæ panis in corpus Christi, quæ est formalis ratio essendi Christum sacramentaliter in hostia: sed potest Deus multiplicare rationes formales essendi circumscriptivè in loco: ergo potest bilocare corpus. Probatur minor. Sicut per consecrationem convertitur substantia panis in corpus Christi.

Christi, sic potest converti quantitas panis in quantitatem Christi: sed quantitas est formalis ratio essendi in loco circumscriptivè: ergo.

Confirmatur 3. à nostro Argentina. In quocumque loco est corpus cum sua quantitate, potest esse ibi localiter: sed corpus Christi in Eucharistia est cum sua quantitate: ergo potest per eam esse ibi localiter.

4. Deus media conversione substantiæ panis, facit corpus Christi esse in Ecclesia: ergo potest hoc facere sine tali conversione. Patet consequentia, quia quod fit à Deo medio aliquo creato, potest fieri sine tali medio ab omnipotente. Tandem. Vna præsentia sacramentalis non dicit negationem alterius: ergo nec una circumscriptiva negat aliam. Et urgetur. Christus ratione unius substantiæ est sacramentaliter in pluribus hostijs: ergo ratione unice quantitatis potest esse in pluribus locis.

Probatur 2. eadem sententia. Possunt duo corpora esse in eodem loco: ergo & unum corpus in diversis locis. Patet consequentia, quia non minus adequatur locus corpori, quam corpus loco. Confirmatur. Potest Angelus esse diffinitivè in diversis locis: ergo & idem corpus circumscriptivè. Probatur antecedens. Quia potest Deus convertere substantiam panis in substantiam Angeli; tunc autem haberet esse in cælo, ubi est nunc, & in accidentibus panis conversi, ut de facto est Christus. Confirmatur 2. Potest una forma esse in duabus materijs; una etiam

natura creata terminari triplici substantia Divina: ergo & idem corpus circumscribi à duplici loco.

Probatur 3. ab experiencijs, quibus probatur corpus aliquando fuisse miraculosè bilocatum. Nam S. Ambrosius celebrans Mediolani, simul interfuit Turonis exequijs D. Martini. Insuper cum S. Frontono adfuit Christus D. ad sepeliendum corpus Beatæ Marthæ. Rursus dicitur, Christum corporaliter apparuisse D. Paulo, quia alioquin non potuisset esse testis resurrectionis ejus, ut probat D. Thomas 3. p. q. 57. art. 6.

Nec potest dici Christum D. in his apparitionibus cælum deseruisse. Nam cap. 13. in Actibus Apost. dicitur: *Quem oportet cælum suscipere usque ad tempus resurrectionis omnium.* Et P. Augustinus dicit: *Donec finiatur sæculum, sursum est Dominus.* Idem dicitur de S. Antonio Paduano, qui fuit bilocatus, ut Patrem suum à supplicio indebito liberaret.

§ III.

Negativa sententia præfertur, & probatur autoritate, & ratione.

6 **M**oveor defendere sententiam negativam; quoniam expressam in P. Augustino, D. Thoma, & B. Aegidio. De cetero rationes pro utraque parte difficulter non solvantur, & facilius defenditur sententia affirmativa. At quia

quia non quærimus assertiones faciles, sed veras, nec prudenter quærimus veritatem, nisi in scriptis SS. PP. & sequendo vestigia Antiquorum; ideò standum censeo pro sententia negativa.

Probatur 1. autoritate P. Augustini lib. 20. contra Faustum Manichæum cap. 11. ubi refutat errores hæreticorum, dicentium Christum distentum in Sole, & Luna, quæ apud ipsos sunt naves in mundo navigantes; & simul fuisse in terra crucifixum: natum esse ex terra matre, & nunc ex omni ligno pendere; quapropter sacrilegium putabant potum ab arboribus tollere, ne Christum ibi suspensam deponerent de ligno. Contra hæc, & similia deliramenta, insurgit sic P. N. loco laudato

Dicite nobis quot Christos esse dicatis? Alius ne est, quem de Spiritu Sancto concipiens terra, passibilem genuit, omni non solum suspensus ex ligno, sed etiam jacens in herba: & alius ille, quem Judæi crucifixerunt sub Pontio Pilato: & tertius ille per So'em, Lunamque distentus? An unus, atque idem, ex quadam sui parte ligatus in arboribus, ex quadam verò parte liber eidem ligatus, captusque subveniens? Quod si ita est ille, quem sub Pontio Pilato passum esse conceditis, cum eum sine carne fuisse narretis, non dñ dico quem admodum talem mortem sine carne perpeti potuerit: sed quæro, cui naves illas reliquerit, ut inde descendens, talia pateretur, qualia sine quocumque corpore fieri non possent Quibus ver-

bis irriso potius errore, quàm confutato, concludit: *Secundum præsentiam spirituatem nullo modo illa pati posset; secundum præsentiam verò corporalem simul in Sole, & in Luna esse non posset.*

En conclusio nostra. *Secundum præsentiam corporalem non potuit Christus D. esse in Sole, Luna, & cruce simul.* Vbi plura notanda. Primò, quòd P. Augustinus loquitur de potentia absoluta; alioquin nil probaret contra Manichæos, qui possent dicere Christum sic fuisse divinitus bilocatum, licèt naturaliter sit impossibile. Præterea: P. Augustinus in eo sensu negat præsentiam corporalem in diversis locis, quo concedit spirituatem: sed multiplicitas præsentia spiritualis non convenit Christo naturaliter, sed divinitus, ut patet in Eucharistia; ubi est modo indivisibili proprio spirituum: ergo negat corporalem præsentiam in diversis locis divinitus.

Nota secundò. Quòd Augustinus contra multiplicem præsentiam spirituatem Christi, nullam opponit repugnantiam, & ob id eam concedit possibilem; unice reponens quòd secundum eam non poterat pati in cruce, quòd verissimum est. Nam passio, crucifixio; & similia petunt exerceri in corpore extenso, & sic cum præsentia corporali. At contra præsentiam corporalem in diversis locis opponit repugnantiam, & eam negat possibilem. Ergo ex præsentia spirituali non bene arguitur ad corporalem, ut arguunt DD.

sententiæ affirmativæ, sed contra mentem Augustini.

Nota tertio. Quod Augustinus loco laudato insinuat repugnantiam consistere in eo quod Christus esset unus, & non esset unus, sed multiplex. Ob id petit ab hæreticis,ponentibus Christum ubique pendentem, *Quot Christos esse dicatis?* Quasi diceret, Christus à vobis supponitur & dicitur unus & idem. Ceterum tenemini dicere multos, quia unus & idem *Secundum præsentiam corporalem simul in Sole, & Luna esse non potest.* Ergo est unus, & plures, quod implicat, nec potest divinitus fieri.

De mente D. Thomæ conclusio est certissima, nam 4. Sent. dist. 44. q. 2. art. 2. quæstionc. 3. ad 4. dicit: *Vnum corpus esse localiter in duobus locis, non potest fieri per miraculum.* Id probat ex eo, quod tunc corpus esset divisum in seipso, quod est contra rationem essentialem individui. Et concludit sic: *Vnde quod idem corpus sit simul localiter in duobus locis, includit contradictionem, sicut quod homo careat ratione.* Pro eadem stat B. Ægidius Quodlib. 1. q. 1. & Quodlib. 2. q. 17. cujus rationes dabimus.

7. Sed ante probationes supponendum est, quæstionem procedere de unico corpore cum unica quantitate. Si enim possibile sit unicum corpus cum duplici, vel triplici quantitate, poterit esse in duobus, vel tribus locis circumscriptivè taliter, ut tot loca possit simul occupare, quot habeat quantitates. Ita expressè B.

Ægidius Quodlib. 2. q. 17. quem sequuntur nostri Bonerva, & Villanova hic. Docetur idem à Thomistis, ut patet in Joann. à S. Thoma hic q. 16. art. 5. Masio, Ortiz, Moneda, & alijs, quos sequitur Magister Palanco 4. Physic. q. 3. testans se nullum vidisse negantem corpus affectum duplici quantitate, posse bilocari circumscriptivè.

Probatur hoc assertum clarissimè. Nam omnes rationes, quibus probatur repugnantia bilocationis, fundantur in adæquatione quantitatis cum loco: sed si corpus habet duplicem quantitatem, non adæquatur cum unico loco, sed cum duplici: ergo tunc poterit corpus bilocari. Rursus. Ratio cur implicat bilocatio circumscriptiva, secùs bilocatio sacramentalis, est quia multiplicatur ratio formalis essendi in loco sacramentaliter, secùs ratio formalis essendi in loco circumscriptivè. Sed si in unico corpore ponitur duplex quantitas, jam multiplicatur ratio formalis essendi corporaliter in loco: ergo posita duplici, vel multiplici quantitate in unico corpore, non implicat bilocari circumscriptivè. Tandem ubi non implicat duplex extensio localis, non implicat duplex ubi circumscriptivum: sed posita duplici quantitate in unico corpore, non implicat duplex extensio localis, nam tunc verè datur duplex extensio in ordine ad se, quæ est effectus primarius quantitatis, ad istum sequitur effectus secundarius, nempe extensio localis, quæ tunc foret etiam duplex: ergo &c.

9. Quæres. An sit possibilis divinitus duplex quantitas in eodem corpore? Respondeo negativè. Colligitur ex B. Ægidio in 2. Sent. dist. 3. p. 1. q. 1. art. 1. Et est sententia omnium Thomistarum, & omnium docentium, quod individuatío substantialis sumitur, sicut numerica multiplicatio à materia, signata quantitate. Hinc non probamus hujusmodi repugnantiam ex principio illo generali, quod accidentia individuantur à subjecto, & distinguuntur numero distinctione subjectorum: quare implicat in eodem subjecto poni duo accidentia solo numero distincta. Hæc ratio forsan optima, est tamè sub lite, quia solum probat naturaliter, non divinitus. Quod patet, quia pro distinctione numerica accidentium sufficit dicere ordinem ad diversa subjecta: sed licet duo ponantur in eodem subjecto, possunt tamen dicere ordinem ad diversa subjecta; & patet, nam tunc unum accidens esset in subjecto suo connaturaliter, aliud in subjecto alieno, & miraculosè, quare exigeret subjectum aliud sibi connaturale, & ad illud diceret ordinem: ergo tunc satis distingueretur numericè, nisi ponantur in eodem subjecto.

Ob hæc, & alia, quæ omittimus, dicimus cum N. Villanova hic. num. 188. quod etiam si non repugnet, duo accidentia sive intentionalia, sive realia, solo numero distincta, esse in eodem subjecto; repugnat duplex quantitas in eodem corpore. Ratio sumitur ex speciali na-

tura quantitatis, & substantiæ corporeæ. Nam distinctio, & multiplicatio formalis in substantia, sumitur à diversis formis; distinctio autem materialis, & numerica multiplicatio, sumitur à diversis portionibus materiæ; sunt autem portiones materiæ distinctæ, solum quia divisæ, & dividuntur ratione solius quantitatis, ut latissimè comprobatur est in Logica lib. 6. q. 5. de partibus substantiæ ante, & post quantitatem. Ergo ponere duas quantitates in unica numero substantia corporea, est ponere substantiam illam esse unam numero, & duplicem numero, quod implicat. Probatur consequentia. Quia substantia dividitur non ex se, quia sic est indivisibilis, sed divisione quantitatis: sed positæ duabus quantitatibus in substantia, illæ sunt divisæ, & numero diversæ: ergo & substantia, quam efficiunt, est duplex, & numero diversa: cum tamen alioquin supponatur una numero.

Confirmatur, & explicatur. Positæ duabus quantitatibus in unica substantia, vel sola una dat substantiæ suum effectum, vel utraque? Non primum: quia implicat forma in subjecto, cui nullum præstat effectum; unde si subjectum est incapax effectus formæ, est incapax formæ. Restat quod utraque dat suum effectum substantiæ. Vel ergo utraque quantitas unitur, ad faciendam tertiam quantitatem majorem, ut contingit in motu augmentationis, in quo nova quantitas acquiritur, quæ cum præcedenti facit quantitatem

majorem. Vel non utitur sic, sed manet distincta. Si primū? Tunc non est duplex quantitas in eadem substantia, sed unica, licet major; vi cuius petit occupare locum majorē, ac antea, & duplo majorem, sed non duplicem locum adæquatam. Si secundum? Ergo jam substantia erit duplex. Sicut in augmento vivētū, si nova quātitas acquisita non uniretur cum præcedente ad faciendum corpus majus, daren ur in vivente duæ substantiæ, sicut duæ quantitates, una quæ præsupponitur, altera quæ denuò acquiritur.

10 Sic dicendum putamus de mente P. Augustini, & D. Thomæ apud quos nec divinitus potest corpus bilocari. Sed probatum est num. 8 corpus habens duplicem quantitatem posse bilocari: ergo de mente utriusque tenendum est, corpus nec divinitus posse affici duplici quantitate. Potest quidem Deus cuicumque corpori addere quantitatem, ejusque substantiam facere duplo, vel triplo majorem, sicut augere potest, duplicare, & triplicare quantitatem virtutis in Angelis. Ceterum non potest conservare novam quantitatem additam, ita ut maneat distincta, & det substantiæ suam effectum, quin reddat substantiam duplicem numero.

Et Confirmatur. Implicat quòd in substantia sit duplex quantitas, & ut duplex præstet substantiæ suam effectum formalem: sed effectus formalis quantitatis non solum est extendere partes substantiæ, sed eas

reddere distinctas juxta distinctionem quantitatis, ut in Logica probatum est: ergo implicat quòd ponatur duplex numero quantitas, servans suam distinctionem numericam, & quòd substantia, in qua est quantitas, non sit duplex numero. restat ergo implicare divinitus positionem duplicis quantitatis in eadem numero substantia, quin vel ex quantitibus fiat una major, vel ex substantia unica fiant duæ numero substantiæ. His notatis.

11 Probatur conclusio nostra de corpore unica quantitate affecto, ratione, quam tradit B. Ægidius Quodlib. 1. q. 1. Sic: ita corpus per quantitatem comparatur ad locum, sicut res ad speciem comparatur per suam naturam: sed res creata sic comparatur ad speciem per sui naturam, ut nec divinitus possit esse in duplici specie: ergo sic per quantitatem comparatur ad locum, ut nec divinitus possit esse in duplici loco. Consequentia tenet, & minor est certa, nam cum nulla res creata habeat nisi unicam essentiam, nulla potest esse vi ejusdem naturæ, & essentiæ, in duplici specie, sed in unica. Præterquam quòd species contentæ sub eodem genere, constituuntur per differentias oppositas, v. g. *rationale*, & *irrationale*: sed nulla res potest per sui naturam constitui per differentias essentialiter oppositas: quomodo enim potest unica natura esse simul essentialiter rationalis, & irrationalis? Ergo nulla res potest divinitus esse per sui naturam in duplici specie.

Ma-

Major, quam negat Scotus, probatur 1. Nam sicut res per sui differentiam determinatur ad speciem, & est ratio formalis essendi in in specie determinata: sic per quantitatem determinatur ad essendum in loco, & quantitas est ratio formalis essendi in loco determinato.

Probatur 2. urgentius sic ex B. Ægidio Theorem. 3. sicut creatura non est infinita quoad essentiam, sed finitur per sui naturam; ita non est immensa, nec infinita in ordine ad locum, sed finitur per quantitatem: sed quia per sui naturam finitur quoad essentiam, per sui naturam comparatur ad speciem determinatam: ergo quia per quantitatem finitur in ordine ad locum, per quantitatem comparatur ad locum determinatum: & sic ita per quantitatem comparatur ad locum, sicut per naturam suam comparatur ad speciem.

Confirmatur. Creatura est in omni genere finita; nam in genere substantiæ habet finitam essentiam; in genere quantitatis molis habet finitam extensionem; in genere qualitatis, quæ est quantitas virtutis, habet finitam activitatem: sed finitudo in quocumque genere provenit à limitativo illius generis, ut patet: ergo finitudo in genere substantiæ provenit à limitativo substantiæ, & naturæ; finitudo in genere quantitatis provenit à limitativo extensionis; in genere qualitatis à limitativo virtutis agendi. Nunc sic. Sed limitativum in genere substantiæ est dif-

ferentia contrahens genus ad speciem determinatam; in genere autem quantitativo est quantitas determinatè, & finitè extendens; in genere autem qualitatis est virtus activa, determinata ad certos effectus, & circa objectum determinatum, v. g. visus ad colores, auditus ad sonos &c. Ergo sic limitatur creatura per quantitatem, ne sit ubique, & immensa, sicut per sui differentiam, & naturam limitatur, ne sit essentia infinita, aut infinita substantia. Sed per naturam sic limitatur ad speciem determinatam, ut nec divinitus sit in duplici specie: ergo per quantitatem sic limitatur ad locum, ut nec divinitus sit in duplici loco.

12. Hæc ratio nullam habet instantiam in corpore Christi. Nam potius confirmat solutionem, quæ ab AA. nostræ sententiæ datur pro instantia. Dicunt enim Christum in cælo locatum, posse esse in terris sacramentaliter, sed non circumscriptivè; quia præsentia cælestis non negat aliam præsentiam sacramentalem, sed solam circumscriptionem, eò quòd ista & non illa convenit Christo ratione quantitatis. In sacramento non est quantitativè, sed ad modum substantiæ, & vi conversionis, non vi quantitatis. Vera solutio, quam confirmat B. Ægidij ratio. Nam quantitas limitans, solum limitat in genere quantitatis; non in genere substantiæ: ergo quantitas Christi extensa in cælo, solum limitat ne alibi extendatur, & ne alibi sit modo extenso; non

autem

tem ne sit alibi modo substantiali, & inextenso. Ergo solum prohibet aliam presentiam circumscriptionem, non aliam sacramentalem.

Dices, Saltem probat ratio Ægidij quod una presentia sacramentalis negat aliam sacramentalem: nam cum utraque sit substantialis, ratio Ægidij probans substantiam à sui natura finiri, ne sit in duplici specie; probat sic finiri, ne sit substantialiter in duplici hostia, quod est contra Fidem. Et confirmatur. Nam Christus est modo substantiali in sacramento, quia est ibi sub accidentibus panis, sicut esset substantia panis, si adesset. Sed substantia panis, si adesset, non solum limitaretur ad essendum in specie determinata cum impotentia essendi in alia; sed ad essendum sub his accidentibus, cum impotentia ad essendum sub alijs: ergo Christus (si tenet ratio Ægidij) sic erit sub accidentibus unius hostiæ, ut sit impotens esse simul sub alijs accidentibus.

Respondetur limitatione substantiæ in proprio genere, quæ habetur per sui naturam, esse ad certum genus & speciem determinatam; non autem ad locum circumscriptionem, diffinitivum, & sacramentalem, quia hujusmodi provenit à ratione formali essendi in loco circumscriptionem, diffinitivem, & sacramentaliter. Sed ratio formalis essendi in loco circumscriptionem, aut diffinitivem, non est substantia, sed quantitas mollis, aut virtutis; pro loco etiam sacramentali substantia non est ratio formalis, sed consecra-

tio, & conversio: ergo ex quo substantia Christi sit finita, probatur quidem non posse esse in duplici specie, secus quod non possit esse in duplici hostia, cum id non conveniat Christo ratione suæ substantiæ,

Dic ad confirmationem Christum esse sub accidentibus panis destructi, sicut esset substantia panis, si adesset; *ly sicut* dicente aliquam similitudinem, sed non omnem, & eam maximè, quam intendit replica. Panis, si adesset, moveretur motione accidentium, nec esset extra accidentia sui; Rursus esset in illis totalitate substantiæ, quia divisa hostia, in qua libet parte esset substantia, & essentia panis. Ita Christus sic est sub eis speciebus, ut eis motis moveatur, sit in loco, servetur, claudatur &c. sic est ibi, ut non sit extra ea accidentia, sub quibus ponitur per conversionem: & divisa hostia manet totus Christus in qualibet parte, sicut in qualibet esset tota essentia panis. In hoc est similitudo.

Sed ecce dissimilitudinem. Panis si adesset, afficeretur eis accidentibus, eis extenderetur, dealbaretur, qualificaretur, & taliter, ut non posset esse sub alijs accidentibus afficientibus. Non sic Christus sub eis, qui non extenditur quantitate panis, nec dealbatur albedine Eucharistica, nec afficitur eis accidentibus; unde ab eis non limitatur, ne sit sub alijs, si fiat ulterior conversio panis. Rursus non est Christus secundum totalita-

litatem quantitativam; panis, si adesset, ita esset: quare diviso pane, pars esset minor panis; sed divisa hostia, in parte non est Christus minor, ut in Logica dictum est lib. 6. q. 5. Faremur Christum in ratione substantiæ humanæ limitari nedum ut sit in determinata specie, sed ut sit sub determinatis accidentibus afficientibus, cum impotentia ad essendum sub alijs, ut afficientibus. At nec Christi substantia, nec panis, nec ulla corporea est limitata, ne possit per conversionem alterius substantiæ poni sub alijs, & alijs accidentibus non afficientibus.

13. Mihi aliquando urgenti fundamentum Ægidij, negata est major, quia corpus non determinatur ad locum per quantitatem, sed per *ubi*, quod modaliter distinguitur à quantitate. Hæc solutio primò data est à Scoto, & est conformis principiis sententiæ affirmantis, in qua ratio formalis essendi in loco non est quantitas, sed ubicatio, ut diximus quest. 2. num. 7. Sed licet quantitas sit una, si tamen ponitur duplex *ubi* in unico corpore, multiplicatur ratio formalis essendi in loco: ergo cum unica quantitate, sed cum duplici ubicatione, potest corpus bilocari. Et confirmatur. Nam quia apud nos quantitas est ratio formalis essendi in loco, ideò corpus cum duplici quantitate potest bilocari, ut diximus num. 8. Ergo quia ubicatio est ratio formalis essendi in loco, posito duplici *ubi*, erit corpus bilocatum.

Hæc solutio variè impugnatur 1. probando quod ubicatio non est ratio formalis essendi in loco. 2. probando, quod licet sit, non stat duplex *ubi* cum unica quantitate. Venio ad primum. *Ubi* est presentia rei locatæ ad locum: sed presentia ista non est ratio formalis essendi in loco: ergo ubi non est ratio formalis essendi in loco. Major est doctrina Suarezij, quem sequuntur RR. vide q. 3. num. 2. Probatur minor. Prius est rem esse in loco, quam habere relationem presentiae ad locum: sed non est in loco sine ratione formali essendi in loco, ut patet: ergo presentia, quæ est posterior ad esse rem in loco, non est ratio formalis essendi in loco. Coincidit altera aliorum probatio, nempe *ubi* resultat ex adjacentia corporis ad locum: ergo ubi est posterius ad esse rem in loco: sed posterius non est ratio formalis prioris: ergo *ubi* non est ratio formalis essendi in loco. Utraque major probatur. Relatio resultat ex positione fundamenti, & termini: sed fundamentum, & terminus relationis presentiae sunt corpus & locus, & non utcumque, sed corpus intra locum, alioquin non fundaret presentiam: ergo presentia, & *ubi* resultant ex positione corporis in loco.

Rursus. Illud est ratio formalis essendi in loco, quod est ratio formalis determinans corpus ad locum: sed hoc est quantitas, non *ubi*: ergo non *ubi*, sed quantitas est ratio formalis essendi in loco. Major patet

ex ipsis contrariis, nam quia *ubi* determinat indifferentiam corporis ad hunc, vel illum locum, & facit quoddam sit determinatè in hoc loco, idè dicunt non quantitatem indifferentem, sed *ubi* determinans illam indifferentiam, esse rationem formalem essendi in loco. Minor probatur. 1. Id quod extendit corpus in ordine ad locum determinatum, est ratio formalis determinans corpus ad locum: sed sola quantitas, non *ubi*, extendit corpus in ordine ad locum determinatum, ut patet: extensio enim localis est effectus formalis quantitatis, non ubicationis, quæ est forma, & accidens distinctum apud omnes: ergo quantitas, & non *ubi*, est ratio formalis determinans corpus ad locum. Probatur 2. eadem minor. Quod corpus sit determinatum ad majorem, vel minorem locum, non oritur ex *ubi*, sed ex majori, vel minori quantitate molis, petente majorem vel minorem extensionem localem, ut patet: ergo ratio formalis determinans corpus ad locum &c. 3. Ratio formalis determinans corpus ad locum, est ratio limitans, & finiens substantiam in ratione locabilis, ne sit imensa, & infinita, sed determinata ad certum locum, ut ex B. Ægidio dictum est. Sed hæc ratio est sola quantitas: ergo. Probatur hæc minor. Nam ab eodem principio determinatur substantia ad locum, à quo habet petere itum determinatè, non majorem, aut minorem; sed à sola quantitate habet petere talem, non

majorem, aut minorem; nam talis debet esse locus adæquatus, qualis fuerit quantitas loci: ergo.

14. Venio ad secundum, nempe quod non stat duplex *ubi*, cum unica quantitate. Probatur. Non stat duplex *ubi* sine duplici extensione locali: sed cum unica quantitate non est possibilis duplex extensio localis: ergo cum unica quantitate non stat duplex *ubi*. Major patet. Quia *ubi* est præsentia rei ad locum, nequit esse præsens loco, nisi extendatur ad locum. Sed per unicam extensionem localem nequit extendi ad duo loca, præsertim disita, ut sunt hic, & Romæ: ergo duplex *ubi* petit duplicem extensionem localem. Præterea. Corpus extendi localiter, nil est quàm partes ejus poni in loco, & replere locum: sed non possunt replere duo loca, nec poni in duobus locis formaliter, nisi duplici repletionem, & duplici positionem passiva formali: ergo duplici locali extensione.

Minor principalis probatur. Implicat effectum formalem secundarium formæ multiplicari, non multiplicato primario: sed si quantitas est una, ejus effectus primarius est unus, extensio autem localis est effectus secundarius quantitatis: ergo cum unica quantitate implicat duplex extensio localis. 2. Probatur minor. Effectus, sive primarius, sive secundarius juxta AA. quos impugnamus, si est effectus formalis, est indistinctus ab ipsa forma comunicata subiecto: sed si est indistinctus, implicat quod

for-

forma sit una, & effectus duplex: ergo implicat cum eadem quantitate duplex extensio localis. 3. Illa duplex extensio localis non convenit unicæ quantitati secundum potentiam naturalem, quia sic adæquatur cum unica extensione. Rursus nec potest convenire per potentiam obedientialem, & divinitus; primò quia nulla est potentia obedientialis activa, ut latè probant Thomistæ; causa autem formalis est activa. Secundò quia causa causans per exhibitionem sui, ut est omnis causa formalis, nil potest causare, nisi quod est in se; in se autem est una: ergo nisi recipiat à Deo novum esse, & novam entitatem, nequit secundò dare, id quod non dedit primò, dum dedit se totam. Vide plura in Palanco.

Hinc patet, quod sicut num. 9. probatum est, ex duplici quantitate sequi necessariò substantiam esse duplicem; sic ex duplici ubicatione sequitur duplex extensio localis, ex hac duplex quantitas, ex duplici quantitate duplex corpus. Ergo quidquid sit, an ratio formalis essendi in loco sit quantitas, an sit *ubi*, semper tamen ex corpore bilocato sequitur quod corpus non sit idem. Quare hæc ratio, quæ tangitur à P. Augustino contra Manichæos, urgens est, & ea benè utuntur Thomistæ, ac validè confirmatur tum ex hic dictis, tum auctoritate P. Augustini, inde ubi suprà redarguentis Manichæos, ut tenerentur designare varios Christos.

Hic observa his rationibus B. Ægidij nostri confirmari præcipuas Thomistarum, positas § 1. quod facillè ostenderem, si ad alia non properarem. N. Gavardi tom. 3. Theologia q. 2. de loco Angelorum citat Ioann. à S. Thoma, Genettum, & alios docentes Angelum posse divinitus bilocari diffinitivè, quod videtur assertum à D. Thoma 1. p. q. 52. art. 2. ad 2. Rursus docentes posse Angelum esse in duobus locis discontinuatis, cadentibus tamen intra spheram suæ activitatis. Eos redarguit inconsequentia, dum hic negant de corpore, quod ibi asserunt de spiritu. Quidquid sit, non puto veram redargutionem nostri Magistri. Quia Thomistæ docent posse multiplicari rationem formalem essendi in loco Angelum, nempe in uno per actionem, in alio per passionem; quod stat cum unica quantitate virtutis. In corporibus non sic, ut probatum est. Aliud autem de locis discontinuis salvant, quia tunc Angelus haberet duplex *ubi* tantum materialiter, sed unicum formaliter, quia unitas *ubi* Angelici non sumitur per ordinem ad polos mundi, sed per ordinem ad quantitatem virtutis Angelicæ, & hæc est una: unde *ubi* erit unum formaliter. Hæc dixerim in gratiam Thomistarum in hac questione, qua plenè convenimus.



§ IV.

Solvantur fundamenta contraria.

15 **S**uprà num 4. posita sunt fundamenta contraria, que vix habent difficultatē in principiis Ægidianis, & stando probationibus nostris, quibus nedam suadetur sententia nostra, sed dissolvuntur fundamenta contraria. Ad 1. quod est præcipuam omnium respondemus ex P. Augustino suprâ allegato, nullam fieri paritatem de præsentis spiritualibus, & indivisibilibus, ad corporales & divisibiles. Vide dicta n. 7. Rursus: Probationes nostrę impugnant corporales non spirituales, quia impugnant, quę conveniunt locato ratione quantitatis finientis; non verò quę conveniunt ratione substantiæ ex se non limitatæ ad locum, vel ratione conversionis substantialis quę est multiplicabilis manente unitate substantiæ Christi: & tales sunt præsentia sacramentalis.

Sigillatim respondeo ad 1. negando consequentiam: ad probationem nego suppositum antecedentis, nam supposita prima præsentia locali Christi Dñi in cælo, secundæ circumscriptiva in Sacramento non solum non est connaturalior sacramentali, sed nec connaturalis, sed plenè impossibilis, ut probatum est. Hęc enim secundæ præsentia localis deberet convenire Christo ratione quantitatis: non ratione quantitatis qua est in cælo, nam

cum unica quantitate nequit esse duplex extensio localis. Non etiam ratione quantitatis diversę, quia in unico corpore repugnat duplex quantitas, ut num 9. ostensum est. Ergo secundæ præsentia localis nedum non est connaturalior, verum nec connaturalis, sed impossibilis.

Ad 1. confirmationem nego consequentiam cum P. Augustino admittente in Christo posibles plures præsentias spirituales, negante tamen plures corporales. Disparitas patet ratione probativa. Primò, quia præsentia sacramentalis convenit Christo ratione substantiæ, quę non habet limitativum in ordine ad locum, ut num. 12. in fine ostensum est. At præsentia localis convenit ratione quantitatis, & quantitas limitat & determinat locatum in ordine ad locum, ut dictam est. Secundò. Quia ratio formalis locandi circumscriptivè, non potest multiplicari manente unitate subjecti, quod nequit suscipere duplicem quantitatem. At stante unitate substantiæ corporis Christi, possunt multiplicari conversiones panis & vini, & sic multiplicari etiã præsentia sacramentalis.

Ad 2. confirmationem admitto, quòd quantitas panis, si Deus velit, potest converti in quantitatem corporis Christi. At tunc quantitas Christi non esset nova, & distincta à quantitate, quam nunc habet in cælo, sed eadem ac nunc. Sicut dum substantia panis convertitur in corpus Christi, non convertitur in substantiam distinctam à substantia, quam

Christi

Christus habet in cælo, sed in eadem. Ergo tunc data conversione quantitatis, non haberet Christus multas quantitates, sed unicam. Ergo non multiplicaretur ratio formalis essendi corporaliter, sed stante unica quantitate maneret, ut nunc limitatus ad unicum locum circumscriptivum.

Ad 3. nego majorem, quia Christus nedum in cælo, sed in Eucharia est cum sua quantitate; at non potest esse utrobique circumscriptivè, quia nequit esse utrobique ratione unicę quantitatis, quę ad unicum locum determinat, & finit. Est tamen utrobique cum sua quantitate, quia quantitas limitat tantum ad locum quantitativum, & extensum; non ad locum sacramentalem, convenientem ratione substantiæ, & conversionis panis, & vini. Quare dicit negationè secundę præsentia quantitativæ, non secundæ sacramentalis.

16. Ad 4. admitto, quòd sine conversione potest Deus ponere corpus Christi in variis locis indivisibiliter: sed nego quòd media conversione, aut sine ea, possit ponere corpus Christi bilocatum circumscriptivè. Dices. Posset Deus Christum bilocare media duplici quantitate, ut num 8. dictum est. Ergo potest sine illa bilocare Christum. Quare etsi impossibilis sit duplex quantitas, non idèd impossibilis est bilocatio. Respondeo quòd locatio circumscriptiva est effectus formalis quantitatis, vel ad eum sequitur, nempe ad extensionem localem corporis. Nequit Deus se solo, & sine forma dare ef-

fectum formalem formæ. Quare sine quantitate nequit dare extensionem localem. At vi unicę quantitatis est impossibilis duplex extensio localis; vi autem duplicis quantitatis non stat extensio unici corporis, cum impossibilis sit duplex quantitas in unico corpore, ut probatum est: ergo plenè est impossibilis bilocatio. Dicitur est num. 8. esse possibilem, ceterum non absolute, sed sub conditione, quam postea probabimus impossibilem. Unde absolute impossibile est bilocatio.

Ad 5. nego consequentiam. disparitas est, quòd præsentia sacramentalis convenit ratione substantiæ, quę non habet limitativum ad locum; unde una non negat aliam. Præsentia circumscriptiva provenit ex quantitate, quę limitat ad locum, & idèd una negat aliam. Adde rationem formalem præsentia sacramentalis esse multiplicabilem manente substantia una: secus de ratione formali essendi quantitativè. Dices. Ante quantitatem intelligitur substantia limitata ad locum, & ob id quæst. 4. negavimus creaturam fore nullibi, etiam si careret quantitate: ergo falsò hic dicimus substantiam ratione sui non limitari localiter. Respondeo nos hic loqui de limitativo formali, & in proprio genere, ut observat ratio Ægidiana. Sic loquendo, sola quantitas limitat ad locum. Nec contra hoc est doctrina data quæst. 4. Quia illa limitatio ad locum, quam agnovimus in substantia, sola, non erat limitatio formalis.

Ecc 1

sed

sed exactiva, quatenus exigit quantitatem, quæ est formale limitativum. Dices iterum. Ergo saltem substantia ex se est exactivè limitata ad locum. Respondeo esse limitatam ad locum quantitativum, convenientem ratione quantitatis exactæ, non ad locum sacramentalem, qui non convenit ratione quantitatis, sed aliunde, ut dictum est.

Ad ultimam confirmationem nego consequentiam: disparitas est, quod substantia licet sit una, limitat ad speciem, sed non limitat ad locum sacramentalem. Quantitas autem limitat formaliter ad locum: quare dum una est, sic cum uno loco adæquatur, ut non possit extendere corpus ad alterum. Ex dictis clarè vides, quàm opportunè probatur à B. Ægidio nostro sententia negativa, cum ratio ipsa duo simul ostendat, nempe Christum non posse simul bilocari; posse tamen esse corporaliter in cælo, & indivisibiliter in sacramento, imò simul sacramentaliter in variis mundi partibus, quod docet fides.

17. Ad secundum fundamentum, positum num. 5. Respondemus primò. Quod si loca inter se penetrantur, poterit idem corpus esse in duplici loco, sicut in eodem loco possunt duo corpora esse, dum penetrantur. At tunc formaliter non esset corpus bilocatum, sed materialiter, quia loca solum materialiter, & entitativè essent duo, non formaliter, ut in simili dictum est de corporibus penetratis, quæst. 5. Dici-

mus secundò consequentiam non valere. Quia corpus per quantitatem limitatur ad locum; locus autem non limitatur ad unicum corpus recipiendum. Sic lib. 1. Physic. quæst. 16. diximus, unam formam non posse recipi in duplici materia, posse tamen unam materiam duas formas recipere. Vocatur materia locus formarum, licet per similitudinem: ratio autem ibi data, tenet hic, quia materia non limitatur per formam, & ideo potest duas recipere. Forma limitatur per materiam, quare nequit recipi in duabus materiis.

Ad 1. confirmationem Thomistæ concedunt posse Angelum bilocari diffinitivè, & negant consequentiam de corpore bilocato. Disparitas data est num. 14. in fine. Nobis placet negare antecedens cum N. Gardardi. Nec benè probatur à Moneada, cujus est argumentum. Nam dato quod Deus converteret substantiam panis in substantiam Angeli, quod non posse dicemus, adhuc Angelus non esset diffinitivè ratione conversionis; sicut Christus in Sacramento non est diffinitivè, ut expressè docet D. Thomas, & à nobis ostensum est quæst. 2. n. 10.

Audi nunc P. Augustinum negantem substantiam corpoream posse converti in substantiam Angeli spiritualis. Dicit sic lib. 7. de Gen. ad litt. cap. 12. & 20. *Omne quippe corpus in omne corpus mutari posse, credibile est: quodlibet autem corpus mutari posse in animam, credere absurdissimum est.* Forasan loquitur S. P. de mutatione

tionem, & conversionem naturali, qua substantiæ sublunares transmutantur mutua conversione. De qua certissimum est, non comprehendere substantias spirituales incorruptibiles. At cum inter corporales substantias sint cælestes, quæ non sunt naturaliter transmutabiles; cum eas Augustinus non excipiat hic, videtur loquutus de transmutatione miraculosa, à qua cæli non excipiuntur, benè tamen Angeli. De hoc forsitan lib. de Gener. & Corrupt.

Ad 2. confirmationem nego antecedens de forma in duplici materia, ut loco citato lib. 1. Physic. probatum est. Ad aliud de triplici substantia, ut præscindamus à sententia B. Ægidij negantis ejus possibilitatem. Dic, quod vel supponitur una substantia Divina dicens negationem alterius in eadem natura assumpta; vel non. Si primum? Tunc debet supponi impossibilitas triplicis substantiæ in eadem natura creata: unde cessat argumentum. Si Secundum? Tunc nego consequentiã, quia una præsentia circumscriptiva dicit negationem alterius, ut abundè probatum est.

18. Ad tertium fundamentum, desumptum ab experienciis, respondemus cum B. Ægidio Quodlib. citato, quod ordo exequiarum D. Martini virtute Divina representatus fuit B. Ambrosio Mediolani taliter, ut ei visum fuerit interfuisse exequiis. Potuit etiam Angelus representare personam Ambrosij, ut circumstantes putarent præsentem.

Idem dic de S. Antonio Paduano, & aliis. S. P. Augustinus lib. de Cura pro mortuis habenda, narrat hoc factum S. Ambrosij, & aliud simile de S. Ioanne Cycopolitano Monacho; sed suspendit iudicium, modestè confitens se modum ignorare: nos docens proniores esse ad suspendendū iudiciū de rebus occultis, quàm ad incertè, & temerè sententiam proferendã.

Imò cum quidam agrotus obtulisset librum S. Parenti, in quo scriptum erat, quod Sanctus Patens tum agrotum, tum ejusdem forori non semel apparuerit, dicit sic serm. 322 de Diversis cap. 2. *Quid enim sumus? quia ego apparui istis nesciens? Illi enim me videbant, & ego nesciebam, ad monentur ut ad istam civitatem venirent. Quis sum ego? Homo sum unus demultis, non de magnis.* Ita sciebat de se homo ille propè divinus, quo nihil humilius fuit. Et satis ostendit, dum se nescire; an apparuerit talibus, fatetur, quod Angelus vice illius apparuit, & suos devotos admonuit venire, civitatem.

Ad aliud D. Pauli respondent DD. sententiæ nostræ, Gentiū Apostolū à terra sublatum in cælo, ut Christū Dñm videret. Alij dicunt Christum descendisse sine inconvenienti. Nam locis allegatis Scripturæ denotatur Christum esse in cælo quantum ad habitationem sibi debitam, non quantum ad alligationem localem, quia non habet cælum pro carcere, sed pro gloriosa sede. Nec gloria Beatorum minuitur ex descensu Christi, quia æquè benè vident illum, etsi ad breve tempus descendat de cælis.

Q V Æ S T I O. VII.

An sit vacuum, quid sit, & qualiter in eo fieret motus?

§ I.

Explicata sententia vacui, probatur non dari in natura.

(1) **P**hilosophus in presenti & difficultates de loco expeditas, tractat de vacuo eidem opposito. Vacuum potest sumi negativè, aut privativè. Vacuum negativum, est negatio spatij realis. Tale est spatium, de quo quæst. sequente. Vacuum privativum, est illud quod circumdatur terminis realibus, ut si Deus expelleret aerem totum hujus cubiculi, nec sineret intrare aliud corpus, totum hoc spatium esset vacuum. De hoc in presenti, & diffinitur, *Locus nullo repletus corpore, aptus tamen repleri.* Hoc vacuum vocatur *inane* à S. P. Augustino.

Hoc vacuum posse dari virtute Divina, est certissimum. Sed non dari de facto probatur ab Arist. hic text. 64. novem rationibus. Ceterum certiore fidem nobis faciunt comperta experientia, quibus natura testatur se vacuū non permittere. Sic videmus aquam ascendere per fistulam ad vitandum vacuum, dum aer extrahitur violenter. Sic folles, quibus foramen obstruitur, ne aer ingrediatur, nulla vi possunt moveri, nisi rumpantur. Audi magnum illum naturæ, & gratiæ observato-

rem P. Augustinum lib. 2. de Genes. ad litt. cap. 2. ubi designat varia exempla, quibus ostendit perpetua universalitatis lege, à Deo instituta, unum corpus alteri succedere, ne relictus locus inanis remaneat.

Dicit sic: *Nullum vas ab ore oppressum, repleti aquis potest: unde satis indicat aeris naturam locum petere superiorem. Videtur enim vas inane, sed aere plenum probatur, cum ore imo in aqua deprimitur; quia enim in superiori parte non invenit emigrandi locum, nec deorsum versus irruptis aquis subter eas ire natura sinitur, plenitudine sua repellit eas, & in vas non permittit intrare. Cum autem vas ita collocatur, ut os non habeat deorsum, sed in latus inclinatum, intrat aqua inferius, exeunte aere superiori. Itemque si vasis erecti os pateat in cælum, cum infundis aquam, evadit aer sursum versus ex aliis partibus, quæ non infundis, & fit locus aquæ deorsum versus intrandi. Quod si vi majore vas deprimitur, ut vel ex latere, vel de super aqua repente influant, & undique os vasis contingant, dirumpit eas aer, sursum nitens, ut eis ad ima locum faciat; & ipsa disruptio singultus vasis est, dum partibus fugit, quia totus tam cito exire non potest propter illius oris angustias.*

Ra-

Quæstio VII.

2 Ratio à priori hujus doctrinæ communis, & vera, est hæc. Nullum agens sublunare corporeum movere potest, nisi motum à cælo, quod est primum movens corporale: & hic motus cum non possit esse in distans, nisi transeundo per medium, nequit descendere, nisi corpora intermedia se tangant. Sed si daretur vacuum, corpora non se mutuo tangere: ergo non descenderet influxus cælestis. Ergo quiescerent omnia sublunaria, & violenter contra propriam inclinationem mobilia ad motum. Hanc violentiam abhorret natura tota, & idè tota conspirat in vitandum vacuū. Vide plura apud Spinulam, & Consule B. Aegidium in 2. Sent. dist. 2. q. 2. art. 4. & dist. 11. q. 1. art. 1. § *Quarta via.* Lege etiā, si possis, Opusculū R. P. Pauli Casati Jesuitæ, cui titulus *Vacuum proscriptum.* Vbi plura pulchrè, & solidè concinnata.

Dubitatur hic, an Angelus possit causare Vacuum? Respondemus negativè cum communi sententia. Probatur. Nam Angelus non potest supra totam naturam: sed vacuum tale est, & solum datur miraculosè: ergo non potest ab Angelo causari. Hoc suadet N. Gavardi in Physica ex Apostolo Paulo, sed quia verba non sunt aperta, omittimus probationem, præsertim quia non est dubium de asserto hoc apud Philosophos. Dices. Potest Angelus corpus depellere à loco, & impedire ne aliud ingrediatur; habent enim spiritualia potentiam in hæc corpora-

§. I.

lia: at ita causatur vacuum: ergo potest ab Angelo causari. Respondemus Angelum posse utrumque secundum se, sed non utrumque simul ex suppositione Divinæ ordinationis colligantur res omnes corporales, ut colligatae sunt, ne sit in natura vacuum. De lege ista vide P. August. lib. 83. qq. quæst. 79. & lib. 1. de Ordine,

§ II.

Explicatur quomodo corpora moverentur per vacuum.

3 **D**VO hic dubitantur, an in vacuo daretur motus corporum? Quomodo etiam, an successivè, an in instanti? Utrumque dubium N. Gavardi vocat inutile, quia disputat de eo, quod non est. Sic ejus inutilitas ratio tractandi breviter, non plenè omittendi, quod ab omnibus disputatur. Primo dubio respondent Thomistæ affirmativè. Sed negat B. Aegidius Quodlib. 6. q. 7 § *Dicens.* Ratio est; nam omnis motus sublunarium pendet à motu cæli; unde Arist. 8. Physic. text. 1. dicit motum cæli esse quasi vitam omnibus subsistentibus, nam sicut sine anima est impossibile vivere; sic sine motu cæli est impossibile moveri. Sed si daretur vacuū, in illud non descenderet influxus cæli: ergo dato vacuo, in eo non daretur motus.

Potest B. Aegidij sententia conciliari cum Thomistica ex ipsa doctrina B. Aegidij in Exameronone parte 2. cap.

2. cap. 38. ubi insinuat, quòd tunc Deus suppleret influxum cœli, qui in vacuum non descenderet: quare in vacuo esset motus. Sed notandum de mente Doct. nostri, quòd tunc solum moverentur gravia, & levia; secus animalia, quæ moventur progressivè. Ratio primi est: Quia gravia & levia solum detinentur, ne tendant in centrum, à corpore intermedio: sed in vacuo nullum esset corpus intermedium detinens: ergo in vacuo moverentur gravia, & levia ad centrum. Ratio secundi, quia motus progressivus animalium fit innitendo alicui corpori, in quo animal sustentetur: sed in vacuo nullum esset corpus tale: ergo ibi animal non moveretur progressivè, sed motu gravium.

4. Circa secundum dubium Thomistæ communiter negant motum in vacuo fieri in instanti. Affirmat B. Ægidius ubi supra. Ratio ejus est, nam motus gravium, & livium, eò magis vel minus durat, quòd major, vel minor est resistentia passiva, aut corporis intermedij: sed in vacuo nulla esset resistentia: ergo motus fieret in instanti.

In contrariū arguit N. Lusitanus. Quòd mobile moveatur successivè, non solum oritur ex resistentia intermedij, sed ex distantia terminorum à quo, & ad quem motus. Quo modo enim mobile potest in eodem instanti esse in termino à quo, & ad quem distantibus? Sanè est impossibile. Ergo motus in vacuo non fieret in instanti, sed successivè; & in

tempore. Confirmatur à Patrâ. De essentia motus successivi est quòd ejus partes non sint simul, sed una post aliam: sed motus localis est essentialiter successivus: ergo nequit habere partes coexistentes in eodem instanti, sed tempore mensuratas secundum prius, & posterius. Tandem implicat, quòd grave sit simul sursum, & deorsum: sed hoc accideret, si motus gravium in vacuo fieret in instanti: ergo non fit in instanti, sed in tempore.

Solutio hujus argumenti sumitur ex pulchra doctrina B. Ægidij Quodlib. 6. q. 7. & lib. 4. Physic. lect. 27. text. 129. quæ deservit ad plura Theologica, præsertim ad explicandam oppositionem gratiæ cum peccato, & duarum formarum substantialium in eadem materia; nec non pro quacumque oppositione prædicatorum incompatibilium, se mutuo expellentium ab eodem subiecto. Quam doctrinam, occasione sumpta à vacuo, explicabimus.

5 Pro ea nota, quòd omnis motus mensuratur tempore, ut dicemus infra cum P. Augustino, qui etiam quiescente cœlo, si tamen moveretur rota figuli, docet dari tempus, semel quòd sit motus. At tempus est duplex, unum extrinsecum, & hoc consistit in motu cœli; mensurante omnia mobilia inferiora. Aliud est intrinsecum, & tale consistit in motu cujuscumque rei; quæ moveretur, ut de rota figuli rotante dictum est. Ergo motus gravium in vacuo duplicem haberet men-

mensuram, unam intrinsecam, & hæc est duratio ipsius motus; alteram extrinsecam; & hæc est duratio motus cœlestis. Hoc notato ex communibus omnium principiis infra dandis de tempore.

Dicimus cum B. Ægidio, quòd loquendo de mensura extrinseca, motus in vacuo fieret in instanti, unde simul esset corpus mobile sursum, & deorsum. Ceterum loquendo de mensura intrinseca, non fieret motus in unico instanti, sed in pluribus.

Ratio primi est: Nam cum tempus extrinsecum componatur ex partibus & ex instantibus, solum potest mensurare motum successivum: sed in vacuo defectu intermedij resistentis, non esset motus successivus: ergo illi motui non corresponderet tempus successivum sed unicum instans temporis extrinseci: quare fieret motus in instanti.

Ratio secundi est, nam tot instantia debent assignari in mensura intrinseca motus, quot sunt mutationes; sed in motu illo essent plures mutationes, nempe desinitio termini à quo, acquisitio termini intermedij, acquisitio termini ad quem: ergo in mensura intrinseca illius motus essent plura instantia.

Hac doctrina tenendum est in

via B. Ægidij Gratiam, & peccatum posse coexistere in anima eodem instanti extrinseco temporis, sed non in eodem instanti intrinseco sui esse. Sic Angelus non potest habere diversas, & non subordinatas operationes in eodem instanti intrinseco sui avi; bene tamen in eodem instanti extrinseco temporis nostri, De quo forsitan in Theologia, Deo favente.

6 Hinc ad argumentum constat solutio. Dicimus, quòd distantia terminorum reddit motum successivum successione intrinseca, sed non extrinseca quia; hæc solum causatur à corpore intermedio resistenti. Quare licet mobile non sit simul in termino à quo, & ad quem in eodem instanti intrinseco, bene in eodem extrinseco, quando movetur per vacuum.

Ad confirmationem dic, quòd motus localis semper est intrinsecè successivus, sed non extrinsecè nisi quando retardatur à corpore intermedio. Quod cum non detur in vacuo, idè fit motus in instanti extrinseco, etsi cum successione intrinseca partium, & mutationum. Ad ultimum dic, quòd grave nequit esse simul sursum, & deorsum in eodem instanti intrinseco, bene tamen in eodem extrinseco, ut explicatum est.



QVÆSTIO VIII.

An Deus actu sit in spatiis imaginariis?

§ I.

Quibusdam notatis proponitur sententia affirmans.

SUprà quæst. 2. à num. 2. explicata est immensitas Dei, qua est ubique totus per essentiam, præsentiam, & potentiam. Quærimus, an sit ita mundo præsens, ut sit extra mundum? Cùmque extra mundum conditum nil sit, nisi illud spatium immensum quod extrà imaginamur, in quo Deus potest alios & alios mundos in infinitum creare, & ibi locare; quærimus an sit in illo spatio, & quomodo in eo sit? Si hoc spatium vocaberis locum, quæstio pertinet ad capita prima de loco; si illud dicas vacuum negativum, spectat ad sequentia capita de vacuo.

Oportet, ut benè notat Cardin. Aguirre hìc disp. 28. Philosophiæ explicare quid sit hoc spatium. Quidam putant esse merum figmentum. Hi consequenter docent Deum ibi non esse, quia nisi chimæricè non potest Deus existere in spatio chimærico. Hi impugnantur facilè, quoniam spatium illud, etsi de facto nil contineat, potest tamen continere infinitos mundos, si à Deo crearentur: sed in spatio chimærico nil potest realiter contineri: ergo spatium illud extra mundum non est quid fictitium, & chimæricum.

Alij sentiunt esse verum ens reale actuale. Sic docet Gassendus, & aliquomodo Albertinus. Sed hic fuit error Epicureorum, ut ex P. Suariorum disp. 51. Metaphysicæ notat Aguirre. In horum sententiâ debet Deus esse præsens illi spatio, quia de fide est Deum esse præsentem omni enti creato per operationem ejus conservativam: ergo si spatium illud est ens reale actuale, necessario Deus est per immensitatem in eo spatio, nec potest esse disputatio inter Catholicos. Sententia tamen de esse illius spatij falsissima est, & ertonea. Nam illud spatium, quod, imaginamur, sic fuit ab æterno, & in parte ejus Deus in tempore collocavit hunc mundum: sed ab æterno non datur extra Deum aliquod ens reale actuale, cùm nil sit ab æterno productum, sed in tempore, ut docet fides: ergo spatium illud non est ens reale actuale.

Restat vera sententia, quæ communis est, docens spatium illud esse actualiter nihil, sed esse ens in potentia. Sicut omnes creaturæ possibles non sunt quid fictum, sed reales; nec sunt ens actuale extra Deum, alioquin existerent, & nõ essent merè

Quæstio VIII.

§. I.

possibiles; quare sunt ens reale in potentia, quatenus possunt à Deo produci, si ei placuerit, & sic existere in re. Hoc modo extra mundum est immensum spatium, quod figmentum non est, nec est ens actuale, sed ens in potentia, quod potest produci à Deo si velit, & in eo locare potest Deus alios mundos, quos potest creare. Hac sententiâ spatij supposita, adest quæstio, an Deus actu sit præsens illi spatio imaginario, an non? Pro utraque parte sunt varij authores, quos vide in Cardin. Aguirre, sed multo plures pro negativa. Nec est animus multam in hac re disceptare, sed unicè mentem P. Augustini cum nostro Gavardi in medium profertre: eò quòd non benè citatur pro sententiâ affirmante.

2. Pars affirmativa multis probatur à P. Suariorum in Metaphysica disp. 30. sect. 7. ubi exponit, & probat ratione naturali immensitatem Dei. Ex ipso, & aliis multa collegit Cardin. Aguirre loco laudato. Probatur 1. ex illo Job 22. dicentis. Non cogitas quo Deus excelsior cæli sit, & super stellarum verticem exaltatur? Et 3. Regum 8. Cæli cælorum te capere possunt. Et Ecclesia canit Quem totus non capit orbis. Quare PP. concorditer docent Deum sic esse in mundo, ut sit extra mundum: sed extra mundum nihil est nisi spatium illud immensum, quod imaginamur: ergo juxta Scripturam & PP. Deus actu est in spatiis imaginariis.

2. Probatur ex P. August. lib. 11. de Civ. Dei, ubi contra quosdam

arguens, dicit: An fortè substantiam Dei, quam nec includunt, nec determinant, nec distendunt loca, sed de ea sicut sentire dignum est, fatentur incorporea præsentia ubique totam, à tantis locorum extra mundum spatiis absentem esse dicturi sumus, ut in uno tantum, atque comparatione ipsius infinitatis, tam exiguo loco in quo mundus est, occupatam? Non opinor eos in hæc vaniloquia progressuros. Non est dubile expressius testimonium. Cui addit Suariorum laudatus, Augustinum ibi æquè philosophari de loco, & de tempore. Quare sicut negari non potest Deum existisse ante omnia tempora, quia æternus est: sic negari non potest existere extra omnia loca finita mundi, quia immensus est.

Confirmatur ex S. Parente lib.

1. Confes. cap. 3. & 6. & lib. 7. cap. 1. ubi ait: Constituebam in conspectu meo universam creaturam, & sere unam massam grandem distinctam generibus, sanè finitam; te autem Domine infinitum ex omni parte, ambientem eam, & penetrantem, sed usquequaque infinitum. Tamquam si mare esset ubique, & undique per immensa spatia infinitum solum mare, & habens intra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam: tamen plena esset spongia ex omni parte sua immenso mari. Sic creaturam tuam finitam, te infinito pleuam putabam, & dicebam ecce Deus, & ecce quomodo ambit, & implet ea. En Deus extra mundum infinite immensus, sicut mare illud infinitum extra spongiam magnam, sed finitã. At extra mundum nil est nisi spatium imaginariu: ergo,

Pro eadem sententia citatur D. Thomas, quoniam Quodlib. 11. art. 1. dicit: *Deus non solum est in his, quæ sunt, sed etiam in imaginatis, & in præteritis, & futuris.* En D. Thomas eodem modo dicit Deum esse in imaginatis spatiis, ac in his quæ de facto sunt: sed in quæ de facto sunt, est actualiter, non autem in potentia: ergo Deus in spatiis imaginatis non est in potentia, sed actualiter.

3 A ratione probatur hæc sententia. Ita se habet præsentia ad locum, sicut duratio ad tempus: sed Deus ratione æternitatis non solum durat tempore nostro reali, sed ante omnia tempora, & sic tempore omni imaginario: ergo ratione immensitatis non solum est spatio mundi præsens, sed extra mundum in spatio imaginario.

Confirmatur. Si daretur corpus infinitum, illud esset nedum intra mundum, sed extra in spatio imaginario: Patet hoc, quia cum mundus sit finitus, non posset à finito capi corpus infinitum, unde esset in mundo, & extra. Sed Deus ratione immensitatis est infinitus relatè ad locum: ergo nedum est in mundo, sed extra. Patet consequentia. Quia eodem modo se habet ad spatium infinitum infinita quantitas mobilis, ac infinita quantitas virtutis.

Confirmatur 2. Deus ante mundi creationem erat in spatio aliquo: at tunc non erat nisi solum imaginarium: ergo tunc erat, & nunc est in spatiis etiam imaginariis. Minor cum consequentiâ tenet. Et major pro-

batur. 1. ex Naziaceno Oratione 34. ubi dicit: *Quod actu est, non potest esse nullibi.* Probatur etiam ex P. Augustino supra citato q. 4. num. 5. ubi negat creaturam nullibi existentem, quia quod nullibi est, non est. Sed Deus ante mundum erat: ergo alicubi erat. Non alibi, quàm in spatio imaginario: ergo &c.

4 Probatur 2. à ratione sic. Potest Deus sine sui mutatione operari extra mundum: ergo actualiter est extra mundum. Antecedens patet ex infinita potentia Dei. Consequentia probatur à Suariorum. Rem esse ubi operatur, non est denominatio extrinseca proveniens ab operatione, & termino, sed est conditio prærequisita ex parte causæ ad agendum, & sic quid intrinsicum agenti. Sed nihil intrinsicum potest Deo advenire sine sui mutatione: ergo si extra mundum potest operari sine sui mutatione, jam de facto, & ab æterno erat extra mundum.

Declarat hoc. Probabilis sententia docet, corpus Christi post Ascensionem super omnes cælos, esse de facto supra superficiem convexam ultimæ spheræ, unde cum pedes Christi Dñi sint supra illud convexum, Christi corpus extra mundum est. Demus hoc. Necessariò fatendum est, Deum esse præsentem corpori Christi; quare cum Christus sit in spatio extra mundum totum, Deus de facto præsens est illi spatio extra mundum. Ergo fuit ab æterno præsens illi spatio; & consequenter omnibus, cum de eis eadem ratio sit.

Pro-

Probatur consequentia. Quia si in tempore incepisset esse præsens illi spatio, mutaretur Deus, quod implicat: ergo ab æterno præsens fuit. Probatur antecedens. Quia Christus antea nullo modo ibi erat, idè dum ibi incepit esse, mutatus fuit: ergo si Deus ibi non fuisset, sed incepisset esse in tempore, mutaretur Deus.

Confirmatur. Potest Deus creare alium mundum distantem ab isto. Hoc negatur à pluribus sententiæ contrariæ. Sed clarè probatur à Suariorum sic. Potest Deus creare duos mundos, habentes corpus magnum intermedium. Potest post creationem annihilare illud corpus medium, manebunt tunc duo mundi distantes, ut antea. Nunc sic. Vel ergo Deus præsens utrique mundo, est præsens spatio intermedio, vel non. Si primum? Ergo cum spatium illud non sit reale, sed imaginarium, jam Deus est præsens loco imaginario. Si secundum? Ergo Deus indivisibilis habet duas illas præsentias discretas, quod & de Angelis negatur. Præterea, ut inferunt multi, tunc Deus præsens uni mundo, distaret à seipso præsentem alteri mundo. Sed nemo potest à seipso distare; & minus Deus qui est ubique totus, nec potest moveri de loco ad locum, sicut nec posset sic moveri corpus infinitum si daretur, ut dictam est. Ergo tenendum in eo casu, quòd Deus esset præsens utrique mundo, ac etiam spatio imaginario mediante. Vide alia argumenta in nostro Gavardi, quæ omittimus, quia levissima sunt.

Præfertur sententia negans, & probatur autoritate & ratione

5 **C**ontrariam Sententiam tenent innumeri AA. quorum cathologum invenies in Aquino loco citato, & in P. Vazquez 1. p. disp. 29. cap. 2. qui eidem subscribit. Ea est expressa in P. Augustino, qui affirmativam aliquando tenuit, sed postea retractavit. Docetur à D. Thoma 3. contra Gentes cap. 68. §. ultimo, & in 1. Sent. dist. 39. art. 3. cum quo Thomistæ Ioannes à S. Thoma, Gonet, & alij, Traditur à D. Bonavent. & à Scoto in 1. dist. 39. cum quibus Scotistæ Eam tenuit B. Egidius in 1. Sent. dist. 1. p. 2. q. 4. art. 1. & dist. 12. q. 1. art. 2. & aliis locis, quæ videbis in N. Gavardi tom. 1. suæ Theologiæ quæst. de Immensitate Dei art. 4. ubi citat nostrum Lafosse, & omnes nostros communiter.

Hæc sententia tenet Deum non esse actualiter in spatiis imaginariis, esse tamen potentialiter; quia cum possit in eis spatiis varias creaturas producere, & eis fieri præsens, idè vi omnipotentis potentis producere ibi spatium reale, est in eo potentialiter. Sicut de creaturis possibilibus dicitur, quòd eis Deus actu non est præsens, sed in potentia, quia potest illas producere, & sic productis fieri præsens. Nedum conclusio sed verba quibus exponitur, videntur desumpta

pta

pta ex P. Augustino lib. de natura Boni contra Manichæos cap. 3. ubi ait: *Deus est supra mundum, & extra mundum, non spatiis locorum, sed ineffabili & singulari potentia.*

Clarius forsan lib. de Speculo cap. 7; ubi ait: *Idè Domine interior es, ut omnia contineas, idè exterior es, incircumscriptæ magnitudinis tuæ immensitate omnia circumcludendo, omnia regas &c. ac ne ea, quæ creatâ sunt, sine te essent, tu intra omnia es; verùm ne extra te essent, tu exterior es, ut concludantur, non locali magnitudine, sed præsentia potentiâ.* En quomodo Deus est extra mundum, concludens intra se omnia creata, non locali magnitudine, sed præsentia potentiâ. Hanc concedimus Deo relatè ad spatia illa imaginata extra mundum, non actualem, qua Dei immensitas se extendat actu ad loca, quæ actu non sunt.

6. Probatur sententia ista 1. ex P. August. lib. 7. Confess. cap. 1. ubi confitetur se aliquando tenuisse contrariam, quam nunc falsam agnoscit, & retractat, dicit sic: *Ita te vitam vitæ meæ grandè per infinita spatia undique cogitabam penetrare totam mundi molè, & extra eam quaquaversù per immensa sine termino, ut haberet te terra, haberet cælum, haberent omnia, & illa finirentur inte, tu verò nusquã. Ita suscitabar, quia aliud cogitare non poteram. Nam falsum erat &c.* Et ut falsam depellit cogitationem suam primam, qua Deum distans suspicatus est per infinita spatia sine termino imaginata.

Confirmatur ex S. P. lib. 11.

de Civit. Dei ubi citatur à DD. sententia contrariè, ut ex propria mente loquutus, cum tamen ibi redarguat Manichæos, qui ne ponerent otiosum Omnipotentem, admiserunt tempora æterna, in quibus Deus aliquid operatus sit. Eos redarguit S. Patens, quia sicut docent tempora æterna, & infinita, tenentur concedere infinita loca; & infinitos mundos quales finxerunt Epicuræi, & ex illis hæretici Præadamitæ, qui admiserunt, alios homines ante Adamum. Redargutio Manichæorum talis est. Per vos salvatur Omnipotentia in effectibus finitis, quia negatis contra Epicurum mundos infinitos, & spatia infinita. Ergo salvatur æternitas Dei nõ otiosi in temporibus finitis. Vel si contenditis infinita tempora, ne Deus unquam sit otiosus, tenemini concedere infinita loca, & mundos infinitos cum Epicuræis.

Verba Parentis nostri cap. 5. sunt hæc: *Si infinita spatia temporis ante mundum cogitent (Manichæi) quibus eis non videtur Deus cessare ab opere potuisse: similiter ergo cogitent extra mundum infinita spatia locorum, in quibus, si quisquam dicat non potuisse vacare Omnipotentem, nonne consequens erit, ut innumerabiles mundos cum Epicuro somniare cogantur?* Et paulò post. *Quòd si dicant inanes esse hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cum nullus locus sit præter mundum: respondetur eis isto modo, inaniter homines cogitare præterita tempora vacationis Dei, cum nullum tempus sit ante mundum.* Ecce

concedit Manichæis inanem esse Epicuræorum cogitationem, qua imaginati sunt loca infinita extra mundum: & inde eos redarguit inaniter ponentes tempora infinita. Quare, ut bene notavit Suarius supra num. 2. P. Augustinus facit consequentiam de loco ad tempus, de immensitate ad æternitatem, & omnipotentiam. Sed utrumque pariter negat de locis imaginariis, & imaginariis temporibus.

7. A ratione probatur, & satis efficaciter sic. Deus ratione immensitatis ubique totus, ibi est actualiter, ubi actualiter operatur: sed in spatiis imaginariis nihil actu operatur, potest tamen ibi plura, & plura in infinitum operari: ergo in eis spatiis actu non est, sed potest esse: quare non est ibi præsentia actuali, sed *præsentia potentiâ*, ut ex P. Augustino dictum est. Major patet ex dictis quæst. 2. num. 1. ubi ostensum est, quòd Deus est in loco per operationem. Id satis insinuat etiam David Psalmo 138. dicens. *Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Quibus verbis contendit ostendere Dei præsentiam ubique, ut patet ex antecedentibus. *Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* Sed ad istam probandam recurrit ad manum, & dexteram Dei tenentem, & deducentem: ergo probat Dei præsentiam ubique ex operatione Dei ubique, & contactu dexteræ Dei. Hæc ratio traditur à D. Thoma 1. p. quæst. 8. art. 1. & à

B. Fgidio locis datis quæst. 2.

Confirmatur. Si Deus esset actu in spatiis imaginariis, ibi esset per essentiam, præsentiam, & potentiam: sed non est in eis sic: ergo actu in eis non est. Probatur minor. Inde D. Thomas infert Deum esse in omnibus creaturis per essentiam, præsentiam, & potentiam, quia est in eis per operationem identificatam cum potentia Dei, quæ postea identificatur cum essentia, & substantia Dei, ut quæst. 2. dictum est: sed in spatiis imaginariis non est per operationem, quia ibi nil operatur, potest tamen ibi operari: ergo in eis actu non est, potest tamen ibi esse.

Confirmatur 2. Sicut Deus ratione æternitatis superat omnia tempora finita, & durat extra omnia tempora, ita ratione immensitatis excedit omnia loca finita, est quæ extra universum. Sed ex quo Deus sit, & duret ultra omnia tempora, non durat in infinitis temporibus imaginariis: ergo nec coexistit infinitis spatiis imaginariis extra mundum. Major patet ex sententiâ contrariorum, qui inde volût arguere infinita loca ex infinitis temporibus possibilibus. Minor probatur. Duratio juxta Aguirre disp. sequenti, & juxta alios, non distinguitur ab existentia rei, quia solum importat coexistentiam rei, & temporis: sed infinita tempora ante mundum imaginata non existunt, & consequenter non coexistunt Deo; coexistentia enim dicit duorum existentiam: ergo Deus non durat in infinitis temporibus imaginariis.

Explicatur. Esse in alio ut in loco dicit coexistentiā rei locatæ, & loci, nec non unionem, & præsentiam rei locatæ ad locū. Sed spatia imaginaria nō sunt ens, nec locus actu existēs: ergo Deus illis non est coexistens: ergo nec unitus eis, nec in eis actualiter, sed possibiliter. Urgetur. Deum esse in eis spatiis, est Deū esse illis præsentē. Sed præsentia non solum dicit existentiā rei præsentis, sed extremi cui fit præsens; rei enim non existenti nequeo esse actu præsens: ergo spatiis actu non existentibus Deus nequit esse præsens actu; unde nec actu in eis esse.

8. Respondet Aguirre præsentiam Dei his spatiis non esse præsentiam, sed speculativam, quia non est ibi per operationem, sed per immensitatem, & præsentiam. Confirmat stare præsentiam actualem sine actuali termino, variis exemplis. Primo, quia Deus dicitur actu cognoscens possibilia, cum tamen possibilia nihil actu sint. Rursus actu intuetur creaturas futuras, cum tamen non sint ab æterno ei præsentis saltem in propria mensura. Vide alia exempla in eo, quæ omittimus, quia non urgent, & facillè explicantur.

Sed contra. Quia Deus nullibi est, nisi operando, ut ex D. Thoma probatum est: ergo nullibi est per immensitatem, nisi præsentia præsentia factiva, vel quæ fundatur in operatione. Rursus præsentia purè speculativa est per intellectum speculativè cognoscentem, hoc modo Deus cognoscit creaturas possibles, quare hoc modo eis præsens est. Sed Deus

non est in creaturis possibilibus per immensitatem, & modo reali physico, sed ad summum intentionaliter, & per scientiam speculativam: ergo in spatiis imaginariis non erit realiter, sed purè intentionaliter, vi quidem sciētia, qua noscit eas, non quidem vi immensitatis, de qua est quæstionunc.

Hinc exempla nil probant. Ad primum dicit denominationem actu cognoscentis non petere objectum existens, nisi sit cognitio intuitiva, quæ est rei præsentis. Ob id de possibilibus habet Deus sciētiam actualem, & ab ea denominationem actu cognoscentis. Denominatio autem præsentis, & existentis in alio, petit existentiam utriusque extremi, unde non est simile. Ad secundum dicit esse contra producentem. Nam cum cognitio intuitiva petat coexistentiam cognoscentis, & objecti cogniti, idè ut Thomista salvent eam in Deo ab æterno relatè ad futura, dicunt illa existerè ab æterno in mensura saltem æternitatis. Quod an verum sit, alibi forsan dicam. At spatia ista imaginaria non existunt in se, ut supponimus, nec in mensura æternitatis, quia ibi solum sunt, quæ aliquādo erunt; spatia illa nunquā erunt: ergo eis non est Deus actu præses, nec potest sic actu denominari.

9. Melius P. Suarius explicans litem istam forsan esse de nomine, dicit num. 39. quod ista adverbia, *tunc, ibi, ubi*, quæ significant tempus, & locum, non sumuntur à DD. primæ sententiæ ut dicunt mutuam coexistentiam, sed ut ex parte Dei indi-

dicant æternitatem ex se aptam coexistere infinitis temporibus ante mundum; & immensitatem ex se aptam coexistere cuicumque corpori producibili intra spatium imaginarium. Hæc ille, verè, & consequenter ad sua principia, quibus in quocumque locato agnoscit duo *ubi*, unum intrinsecum, aliud extrinsecum: de quo supra.

Ceterum sic explicata sententia affirmante, non contradicit neganti. Perinde est Deum esse in spatiis imaginariis, hoc est esse aptum ibi coexistere multis corporibus, ac non esse actu in eis, sed esse in potentia. Non enim illa aptitudo fundatur supra actualem existentiam Dei ibi, sed supra existentiam actualem Dei, quæ apta est ibi esse præsens, si ibi quidquam producat. At hoc dicunt DD. sententiæ nostræ concedentes Deum ibi esse *præsentia potentiali*, negantes actualem, non ob defectum Dei, sed termini extrinseci, cui Deus sit actu præsens: ergo verbis benè explicatis venit, teste Suario, sententia affirmans in partes nostræ negantis.

§ III.

Solvuntur fundamenta contraria.
10. Ad fundam. posita num. 2. Respondemus concedendo Deum esse extra mundum; sed addimus ex P. Augustino allegato num. 5. quod est extra mundam *non spatiis locorum, sed ineffabili, &*

singulari potentia. Vel aliter ex eodem ibidem. Est extra mundum, non locali magnitudinis, sed præsentia potentiali. Hæc expositio applicari potest etiam verbis Concilij Ephesini tom. 1. cap. 6. ubi ex S. Cirillo Alex. habetur. *Divinam naturam corporis expertem, omni que termino, & loco etiam imaginarium superiorem esse.* Intellige *præsentia potentiali.* Vel dic, locum illū imaginarium non esse illud inane, de quo nunc disputamus, sed Cirillus eo exprimit locum realem, quem non videmus, sed tamen imaginamur. Hoc patet, quia spatium imaginarium, de quo nunc, est infinitum apud contrarios, & idè à solo Deo immenso adæquabile: sed Deus non est supra infinitum: ergo de illo non loquitur D. Cirillus.

Ad confirmationem ex P. Augustino, dic ibi S. Doctorem redarguere Manichæos, ponentes tempora infinita, sed negantes infinita loca. Verumquæ debere dici infinitum, vel finitum, si loquantur consequenter, ostendit. Sed tamen utrumque falso dici infinitum, expressè docet loco eodem, verbis allegatis num. 6. Imò explicare immensitatem Dei per ordinem ad infinita spatia, & æternitatem relatè ad infinita tempora, dicit esse inanem hominum cogitationem. Ergo nobis objicitur à DD. primæ sententiæ, ut mens Augustini, quod ab eo impugnatur, retractatur, & inanis cogitatio dicitur. Aliud de mari, & spongia, ut falsam imaginationem rejicit S. P. ibi: *Ita suspicabar, quia aliud cogitare non poterat.*

ram. Nam falsum erat &c.

Ad auctoritatem D. Thomæ dic mentem ejus esse pro nobis, ut probatum est. Nec auctoritas objecta, est contra nos, sed pro nobis. Nam ibi dicit Deum sic esse in imaginatis, sicut in præteritis, & futuris: sed in his non est actu, quia in præteritis & in futuris nil operatur: ergo nec in imaginatis actu est, sed in potentia. Arguens contendit esse in eis, ut in his quæ actu sunt. Hoc est deducere D. Thomam ad sensum falsum. Nam in his, quæ actu sunt, est Deus per operationem, ut ex D. Thoma probatum est: sed Deus non est per operationem in præteritis, futuris, & imaginatis: ergo non est in eis, ut in his, quæ actu sunt.

11 Ad rationem positam num. 9. Respondemus concessa majori, negando minorem. Deus enim existit ante omnia tempora, sed non durat infinitis temporibus imaginatiis. Ratio primi est, quia ejus existentia est æterna, & sic ante omne tempus sine principio, & sine. At non durat infinitis temporibus: tum quia duratio dicit coexistentiam rei durantis & temporis, infinita tempora non existunt, quare nec coexistunt. Tum quia explicare æternitatem Dei per ordinem ad infinita tempora, est juxta P. Augustinum cogitatio vana, in quam inciderunt Manichæi, & à qua ipse fatetur aliquando non fuisse alienam. Idem dic de immensitate Dei relatè ad spatia infinita.

Ratio omnium est. Quia infinitas immensitatis Dei non est molis,

Physicorum.

sed virtutis, & idèd potest totus Deus esse in unica creatura. Ergo pro tali infinitate explicanda vanè cogitantur infinita spatia, cum in unico, & brevissimo totus Deus esse possit. Sic eternitas non est duratio divisibilis, & extensa, sed unicum nunc semper idem. Ergo pro eò explicando vanus est recursus ad durationes extensas infinitas.

Hinc ad 1. confirmationem, admitto, quòd si daretur corpus infinitum, occuparet spatia imaginaria. Nego tamen consequentiam ad infinitatem Divinæ immensitatis. Disparitas est, quòd quantitas molis, si infinita est, debet esse extensa infinitè; unde cum intra mundum nequeat infinitè extendi; idèd se extenderet ad inania, & vacua imaginata. Infinitas immensitatis Dei, non est quantitas molis, sed virtutis, quæ tota esse potest in unica creatura, & in parte indivisibili. Quare ad sui infinitatem non petit extensionem ad spatia quæ non sunt, sed ipsa sibi locus est, ut fuit ante mundi creationem de mente Tertulliani lib. contra Praxeam cap. 5. dicentis: *Antè omnia Deus erat ipse sibi mundus, & locus, & omnia.*

Ad 2. confirmationem dic, quòd Deus ante creationem mundi erat in seipso, & ipse sibi erat locus, ut loquitur Tertullianus. Sic docet etià P. August. in appendice de essentia Divinitatis, dicens: *Deum ante mundum conditum non fuisse in alio, sed tantum in seipso.* Et Psalm. 122. quærit: *Antequam Deus faceret cælum, & terram,*

Quæstio VIII.

terram, ubi habitabat? In se habitabat, apud se habitabat. Hinc nego major. Nempe quòd Deus tunc esset in spatio aliquo. Quare concedo, quòd tunc Deus erat nullibi, si ly *nullibi* negat omnè locum, distinctum à Deo. Erat tamen, revera alicubi, quia erat in seipso, & ipse sibi erat locus. Vide dicta q. 2. num. 1. de mente Augustini, quomodo Deus non est alicubi, & sic nullibi.

Ad probationem majoris ex Nazianz. & ex P. Augustino dic, illud assertum: *Quod nullibi est, non est:* esse verum de creaturis, quæ solæ pendent à loco, & sine loco esse non possunt, & alicubi esse coguntur, ut ex P. August. dictum est q. 4. num. 5. Deus non sic, qui à loco non pendet ut sit, nec in loco esse cogitur, sed in se ipso, ubi ipse sibi locus est. Audi antiquissimos versus, quos refert Dionys. Carthusianus. *Dic ubi tunc esset, cum præter eum nihil esset? Tunc ubi nunc, in se, quonià sufficit ipse.*

12 Ad rationem Suariz positam num. 4. concedo Deum posse extra operari sine sui mutatione, & extra mundum agere. Nego tamen inde inferri Deum actu esse extra mundum. Ad probationem dic, quòd in rebus corporeis, quæ ante quam operentur, sunt in loco, est quid intrinsecum esse in loco ubi operantur, & hoc intrinsecum est prærequisitum ad operationem. Illud intrinsecum est relatio præsentia fundata in extensione locali, & quid resultans ex adjacètia corporis ad locum. Hinc est ut non possint mutare loca, nisi

mutent ubicationes intrinsecas, & sic mobile dum movetur, mutatur intrinsecè. In rebus spiritualibus rem esse præsentem ubi operatur, non est quid prærequisitum ad operationem, sed quid consequens, & posterius ad operationem, ut dictum est quæst. 2. Nam spiritualia sunt in loco per operationem.

Angeli, anima nostra, & Deus, sunt ita in loco; sed cum hoc discrimine, quòd Angeli, & anima nostra separata, & quæcumque creatura spiritualis in loco existens per suam operationem, mutatur intrinsecè dum incipit esse in loco, vel mutat loca. At non mutatur intrinsecè à locis, hoc enim corporum est, quæ in loco continentur, & à loco conservantur; non spirituum, qui non continentur à loco, nec ab eo patiuntur, sed potius locum continent, & in ipsum agunt. Mutantur tamen intrinsecè à suis operationibus, quibus sunt in loco, eas eliciendo de novo, & noviter in seipsis recipiendo, ut verè accidèntia. Deus non sic, qui nec à loco continetur, sed locum continet, ut Angelus; nec mutatur à sua operatione; quia operatio Dei ad extram est cum Deo identitate, & sic æterna, ut q. 16. lib. 2. dictum est. Unde sine sui mutatione incipit esse in quacumque creatura de novo producta. Et aliter sentire, alienissimum est à veritate.

Notant Theologi, quòd dum Deus v. g. in baptizatis, aut penitentibus, incipit esse per gratiam, non incipit esse ubi non erat, sed quæ-

liger non erat. Hoc idem, quia erat per immensitatem, & incipit ibi esse per gratiam; nec Deus esset immensus, si data aliqua creatura, non esset in illa per essentiam, presentiam, & potentiam. Ceterum, quia esse in alio, dicit existentiam utriusque vel coexistentiam, & hæc potest deficere ex defectu creaturæ, vel incipere sola mutatione, vel inceptions creaturæ; idem sine mutatione Dei incepit esse actu in hoc mundo, quem si Deus annihilaret, desineret in eo esse, sed sine mutatione Dei, sola mutatione creaturæ. Habes exempla in denominationibus Creatoris, & Domini; quæ Deo adveniunt in tempore sine sui mutatione, cum sola mutatione creaturæ. Unde licet actio creativa sit Deo intrinseca, & æterna, non tamen constituit Deum ab æterno Creatorem, sed in tempore, quo ponit terminum productum. Sic immensitas Deo intrinseca est, & vi ejus Deus est ubique: sed non est actu in loco extrâ, nisi quando ejus omnipotentia producit locum extrâ; produxit tantum in tempore, & sine sui mutatione: ergo sine sui mutatione, cum sola mutatione creaturæ incipit Deus esse ubi non erat.

13 Ad declarationem Suarj admissa ea sententia, quæ ut Christum exaltet, videtur deprimere; quia Dominum domus cœlestis collocat non in folio excelso intra domum, sed extra domum supra tectum; & dignius patet corpus Christi ambiri spatio imaginario, quod non est, quam cœlesti, & Emphyreo, quod a

Deo omnipotente factum est: admittenda tamen ea sententia, & quod pedes Christi sint supra convexum cœli, reliquo corpore in spatio imaginario; concedo Deum esse illi corporei presentem. Nego autem quod antea, & semper fuerit Deus presentis illi spatio. Nec inde sequitur Deum mutandum, etsi in tempore incipiat esse presentis; quia nec mutatus est, etsi inceperit esse presentis mundo; cum primum factum est à Creatore mundi. Patitas de mutatione corporis Christi, dum primò incepit esse supra cœlum, nil probat pro Deitate, quæ sine sui mutatione, cum sola mutatione termini creat in tempore, in tempore dominatur, & incipit esse ubi non erat, quia non erat antea illud, ubi incipit esse.

DD. nostræ sententiæ forsitan aliis terminis respondent, sed in re dicunt, quod nos, imò & contrarij sic dicere tenentur. Nam ante mundi creationem Deus non erat in hoc spatio per operationem; nunc autem sic est. Ergo incepit esse ubi non erat, & hoc sine mutatione Dei, cum sola mutatione creaturæ. Dices: non incepit esse ubi non erat, sed qualiter non erat, quia non erat hic per operationem, erat tamen per immensitatem, & presentiam. Contra. Nam idem dicimus nos. Erat Deus in hoc spatio presentia potentiâ, & incepit esse potentia actuali; unde non incepit esse ubi absolutè non erat, sed qualiter non erat. Præterea, cum omnis presentia Dei, si actualis est, sit per operationem, ponere presentiam

tiam actualem Dei sine operatione Dei, est repugnans, ut contra Aguirre dictum est: Rufos. Juxta Suarium illa presentia, quam docent contrarij in spatio imaginato, nil est nisi aptitudo Dei, ut sit presentis actu, cuicumque creaturæ, ibi posita: at hæc aptitudo nil est, nisi presentia potentiâ: ergo his vel alijs terminis discriminatur, sed idem dicimus in re. Ad confirmationem rationis Suarj admitto Deum posse creare illos duos mundos, non contiguos, sed distantes. Concedo, quod utriusque Deus esset presentis. Nego autem, quod erit presentis foret spatio inanimato intermedio; nam cum ibi nil operaretur, ibi non esset presentia actuali, sed solum presentia potentiâ. Nec contra faciunt duæ probationes ibidem posite; quia procedunt ex falsa imaginatione. Deus enim tunc non haberet duas presentias, sed unicam formaliter, & duplicem causaliter. Deum esse presentem creaturæ dicit immensitatem Dei cum relatione tantum rationis ad creaturam, terminantem relationem realem, quam creatura dicit ad Deum. Sed immensitas Dei est unica realiter formaliter, & unica in se manens formaliter, terminaret relationem realem utriusque mundi: unica etiam formaliter fundaret relationem rationis ad utrumque mundum: ergo presentia Dei in casu dicto esset unica formaliter, non duplex, & discreta. Causaliter esset duplex, quia ratio formalis essendi Deum in loco, est ejus operatio: sed operatio Dei esset causa utriusque mundi, & utrius-

que relationis realis, quam duo mundi dicerent ad Deum: ergo presentia Dei esset causaliter duplex, & discreta. Sed quid inde? Nil sanè, nisi quod supponimus, nempe posse Deum creare duos mundos distantes, & eos sibi facere realiter presentes, duplici presentia ex parte termini, sed unica ex parte Dei.

Alteræ probatio levior est. Christus enim sacramentaliter sit una Ecclesia, non distat à seipso existentia sacramentaliter in alia. Quare licet sit presentis realiter locis, & speciebus sacramentalibus inter se distantibus, Christus tamen non distat à seipso, ut fides docet, & ratio suadet: supposita fide. Ergo licet Deus in casu admissio esset presentis mundis distantibus, non distaret à seipso. Ratio urgentius probat de Deo, quam de corpore Christi. Christus enim non est in Eucharistia modo extenso, nec ratione quantitatis, ita nec Deus, qui spiritus est. Hucusque similes, & idem de utroque verum est, non distare à seipso, etsi presentis sit locis distantibus: quia distantia solum competit rebus quantitativis, & quæ in loco sunt ratione quantitatis. Deus ubique non sic, sicut nec Christus in Eucharistia. Adest insuper ratio pro Deo. Nam Christus saltem per accidens movetur ad motum speciem sacramentalium: Deus autem nec per se, nec per accidens movetur ad motum creaturarum, in quibus est presentia immensitatem. Quare si Christus à seipso non distat, potiori titulo Deus presentis utriusque mundo, quem supponimus mutuo distantes.

Q V Æ S T I O. IX.

An sit tempus, & quid sit?

§ I.

Explicatur definitio temporis, & quid importat de formali.

Actum est de loco, & vacuo, quæ sunt mensuræ mobilis, restat agere de mensura motus, & hæc est tempus. Duo querimus, an sit, & quid sit? Primum est omnibus notum, secundum ica difficile, ut & sapientibus ignotum sit. Ob id S. P. Augustinus lib. Confess. cap. 14. dicit, *Quid sit tempus, si nemo ex me querat, scio; si quærenti explicare velim, nescio.* Et cap. 25. ait: *Confiteor tibi Domine, adhuc me ignorare quid sit tempus.* Sed tandem cap. 27. ait jam sibi *albescere veritatem ad tempus cognoscendum.* Ob id ingenium P. N. prolixè disputavit de tempore, tum ibi, tum libris de Genes. ad litteram super Psalmos, & ceteris. In numeris aliis locis quasi puderet, rem omnibus notam quoad existentiam, ignorare quoad quidditates. Nos autem loq̃ inferioris acuminis, pauca disputabimus, & leviter, quoniam ut ajunt: *Non licet omnibus adire Corinthum.*

Tempus dari in rerum natura, notum est. Id constat ex quo Deus fecerit Solem, Lunam, & stellas, ut sint signa in tempora, dies & annos, unde S. P. lib. 11. Confessionum cap. 13. dicit Deo, *Omnia tempora*

tu fecisti. Ab Ecclesia dicitur Deus, *Rex, atque factor temporum.* Rursus: *Et temporum das tempora* (hoc est successiōem, & vicissitudinem) *ut alleves fastidium.* In lib. de Genes. ad litteram vocat tempus creaturam Dei, sed infamam, quoniam ferè non est. Et tractatu 3. in Joann. dicit, *Præteritum, & futurum invenio in omni motu rerum.*

2. Sed audiamus S. Parentem allquantulum disputantem contra existentiam temporis. Arguit sic lib. 11. Confess. cap. 14. ut probet, quod tempus non cõstat ex præterito, præterito & futuro, *Præteritum autem, & futurum quomodo sunt, quando, & præteritum jam non est, & futurum nondum est. Præsens autem, si semper esset præsens, nec in præteritum transiret, jam non esset tempus, sed æternitas. Si autem præsens ut tempus sit, idè transit in præteritum, quomodo & hoc esse dicimus, cui causa ut sit illa est, quia non erit, ut scilicet non verius dicamus tempus esse, nisi quia tendit ad non esse.* Est dicere tempus præteritum jam non est: futurum nondum est: præsens si manet, non est tempus, sed æternitas; si fluit in præteritiōem, tunc non est: ergo nullum tempus est.

Rursus.

Quæstio IX.

§ I.

423

Rursus si tempus præsens non præteriret, non esset tempus, sed æternitas. Ergo causa ut sit tempus est tendere ad non esse. Quomodo causa non essendi, potest esse causa essendi tempus?

Rursus cap. 15. ad idem arguit ex proprietatibus temporis, quibus dicitur longum; aut breve. Arguit sic: *Quo pacto longum est, aut breve quod non est? Præteritum autem jam non est; & futurum nondum est. Non itaque dicamus longum est, sed dicamus de præterito longum fuit, & de futuro longum erit. Domine Deus meus, lux mea, nonne & hæc veritas tua deridebit hominem? Quod enim longum fuit præteritum tempus, cum jam esset præteritum longum fuit, an cum adhuc præsens esset? Tunc enim poterat esse longum, quando erat, quod esset longum: præteritum verò jam non erat, unde nec longum esse poterat, quod omnino non erat. Non ergo dicamus longum fuit præteritum tempus; nec enim invenimus quid fuerit longum, quando ex quo præteritum est, non est. Sed dicamus longum fuit illud præsens tempus, quia cum præsens esset, longum erat. Videamus ò anima humana, utrum & præsens tempus possit esse longum. Datum est tibi sentire moras, atque metiri. Quid respondebis mihi?*

Sed cum ibi latè demonstrat quòd tempus præsens nil est, niu morula brevissima, quæ dum est, fluit in non esse, ut infra dicemus; infert inde, quòd de illa fluida morala nequit dici esse tempus longum; Jam verò nec futurum quòd nondum

est, est tempus longum, nam quòd nondum est, non est, & quòd non est, longum non est. *Vbi est ergo tempus, quòd longum dicamus? Et tamen* (dicit cap. 16.) *Domine semimus intervalla temporum, & comparamus sibi, alia longiora, alia breviora.*

Tandem cap. 20. ostendit ubi, & quomodo sunt præteritum, præsens, & futurum: *Sunt enim hæc in anima tria quædam, & alibi ea non videntur. Præsens de præteritis memoria; præsens de presentibus contuitus; præsens de futuris expectatio. Si enim hæc permittimur dicere, tria tempora video, fateorque tria sunt. Dicatur ergo, tempora sunt tria, præteritum, præsens, & futurum; sicut abutitur consuetudo, dicitur. Ecce non curo, non resisto, non reprehendo; dum tamen intelligatur, quòd dicitur &c.*

3. Supposita existentia temporis, tum ex hic dictis, tum ex dicendis infra, dum explicemus quomodo existit tempus, ubi hæc argumenta Augustiniana cum S. P. dissolventur, Querimus quid sit? Arist. hic text. 101. diffinit ita, *Tempus est numerus motus secundum prius, & posterius.* Hanc diffinitionem tenent DD. communiter & eam confirmat P. August. lib. 1. de Musica cap. 8. & cap. 9. ait *Motum habere numerosam dimensionem. Ly. numerus est genus, quò tempus convenit cum aliis numeris, qui tempus non sunt. Ab eis differt per reliqua; nec tempus est numerus motus utcumque, sed partiam successivarum ejusdem motus. Quo vides hic tantum esse sermonem de motu success.*

successio, nam hic tantum habet partes unam post alteram.

Philosophus hic text. 12. notat duplicem esse numerum. Alius est numerans, aliter numeratus: cui adde tertium, qui simul est numerans, & numeratus. Numerus numerans est actus intellectus, quo partes motus numeramus. Numerus numeratus sunt ipsa partes motus, quae à nobis numerantur: Ut autem tertium numerum agnoscas, nota, quod caelum primum mobile movet reliqua inferiora: unde motus primi caeli est mensura motuum inferiorum. Hoc notato, numerus simul numerans, & numeratus, est motus caeli primi mobilis, quia ejus partes numerantur ab anima nostra; unde est numerus numeratus. Ceterum quia est mensura omnium motuum inferiorum, est numerus numerans relatè ad illos.

In diffinitione temporis *ly numerus* non intelligitur de numerante; nam tempus non est actus nostri intellectus numerantis. Vnde intelligitur de numero numerato, & de numero simul numerato & numerante. Hinc est, quod tempus est motus caeli, & motus cujuscumque mobilis inferioris. Sed cum hac differentia, quod de utroque motu praedicatur tempus analogicè. Ratio est: nam tempus est mensura; de ratione mensurae est esse invariabilem, & sempiternam: sed hoc convenit propriè motui caelesti primi mobilis, reliquis motibus non sic: ergo motus caeli propriè est tempus; secus mo-

tus inferiorum, quae propriè dicuntur *Quando*, ut observat B. Aegidius in 2. Sent. dist. 2. q. 1. art. 2. §. *Restat ergo.*

4 Dividitur tempus in intrinsecum, & extrinsecum. Intrinsecum est motus cujusvis rei temporalis; nam talis motus est duratio intrinseca ipsius rei, & recipitur intrinsecè in ipsis rebus. De duratione rerum infra. Loquendo nunc de tempore intrinseco, tot sunt tempora, quot motus, & res temporales. Vnde P. Augusti, lib. 11. Confess. cap. 32. ait: *Audivi à quodam homine docto quod Solis, & Lunae, ac siderum motus sint tempora, & anni. Cur enim non potius omnium corporum motus sint tempora? An verò si cessarent caeli lumina, & moveretur rota figuli, non esset tempus? Eset quidem, sed intrinsecum, hic explicatum.*

Tempus extrinsecum est numerus numeratus primi mobilis, hoc est partes illius motus caelestis. Hic motus est proprium & strictum tempus, cum sit mensura invariabilis omnium mobilium, & temporalium, ut docetur ab Arist. hic text. 133. & colligitur ex Genes. 1. *Fiant luminaria in firmamento caeli, & sint in signa, & tempora & dies, & annos.* Hoc tempus dicitur extrinsecum, quia ejus duratio est extrinseca inferioribus. Motus enim caeli respicitur in caelo ipso, nec quidquam ponit in sublunariibus.

5 B. Aegidius quest. 10. de Mensura Angelorum docet, quod tempus pro materiali importat mo-

tum

tum successivum, cujus est passio: & cum motus ille sit quantitas successiva continua; tempus pro materiali dicitur quantitatem continuam successivam. Idem docet in 1. Sent. dist. 37. p. 2. q. 2. art. 3. dub. 1. Tempus autem pro formali est numerus; & cum numerus sit quantitas discreta, idè tempus pro formali importat quantitatem discretam. Ita D. N. hic lect. 20. text. 102. dub. 4. Quare licet tempus pro materiali non differat à motu, benè tamen adaequatè sumptum, quia tempus sic resultat ex quantitate continua motus, & discreta numeri.

§ II.

An tempus sit ens reale extra animam?

6 **A**ffirmant D. Thomas, & B. Aegidius tempus pro materiali esse ens extra animam, sed negant de tempore pro formali. Putant enim idem dicendum de tempore, ac de universalibus, quae licet sint in rebus fundamentaliter, & in potentia, dependent tamen ab intellectu abstrahente, ut sint formaliter universalia. Vide in Logica lib. 3. Hoc modo à parte rei extra animam datur motus successivus, habens partes priores, & posteriores, at non sunt extra animam actu numerate, sed in potentia numerabiles. Ceterum cum ab anima actu numerantur, tunc existit tempus formaliter; quare ab anima pendere, ut sit, tenendū est de mente utriusque Doctoris. Fa-

vet P. Augustinus lib. 11. Confess. cap. 20. dicens de praeterito, praesente, & futuro. *Sunt tria haec in anima, & alibi ea non video.*

Contrarium sentit Prado cum aliis hic, docens nec pro formali pendere tempus ab anima. Probat. Nam numerus, qui est tempus pro formali, est vera species quantitatis, à motu distincta: sed species quantitatis verè sunt à parte rei, & independenter ab anima: ergo & tempus pro formali. Monet tamen questionè esse de voce, & posse utramque sententiam conciliari; quod fecit B. Aegidius in 2. Sent. dist. 12. quest. 2. art. 3.

Cum eo dicimus, quod tempus vel dicit partes numerabiles motus, & divisibiles in dies, & annos: vel dicit partes actu numeratas. Si primum? Tempus non pendet ab anima; quia partes motus ex se numerabiles sunt. Si secundum? Ergo tempus pendet ab anima, quia ea sola actu numerat, & dividit partes motus successivi.

At quis melius explicat diffinitionem temporis, qui intelligit de numero actu numerato, an qui numerabilem dicit in potentia? Respondet B. Aegid. melius intelligi de numero numerabili. *Quia diffinitiones magis accipimus secundum aptitudinem, quam secundum actum. Sic & tempus, etsi non sit anima hominis, nec anima alterius, quae numeret, semper est tempus natum, ut sit numerus motus.* Idem expressè docet Aristoteles hic text. 131.

Q V Æ S T I O X.

Quomodo existat tempus; & quid sit nunc temporis?

§ I.

Dicitur prima quaestio, ubi an tempus existat per instans.

Quest. præcedente num. 2. posita sunt duo argumenta contra existentiam temporis ex P. Augustino. Nunc ex ipso, & ex natura temporis explicata, probatur facile, quod tempus non existit. Pro hoc supponendam est, quod tempus est quantitas continua successiva; & omne continuum de mente Aristotelis infra libro 6. constat ex partibus divisibilibus, & punctis unientibus partes. Hinc tempus constat ex partibus fluidis divisibilibus, quæ sunt præteritum, & futurum, & ex instanti præsentem copulante: quod instans vocatur à P. August. ubi supra morula brevissima.

Hinc arguitur ad negandam existentiam temporis. Nam quod existit, est de præsentem: sed nulla pars temporis est de præsentem: ergo nulla pars temporis existit, & consequenter nec tempus, quod nil aliud est quam ejus partes. Rursus. Quod est præteritum non existit, sed jam non est; quod est futurum non existit, quia nondum est: quod est de præsentem est unicum indivisibile; & sic non est tempus, quod est quantitas continua divisibilis: ergo nil temporis existit. Quod autem de præsentem sit unicum indivisibile patet. Nam si esset pars divisibilis, illa haberet duas

medietates; sed illæ medietates nequeunt esse simul in ente essentialiter successivo, quale est tempus: ergo id quod nunc est de præsentem, est instans indivisibile. Hoc instans non est tempus, nec pars temporis; alioquin esset divisibilis: unde est tantum unio partium temporis, nempe unio præteriti cum futuro.

1 Hic nodus variè solvitur. Prima sententia docet tempus non existere per partes, sed ratione instantis, copulantis præteritum, & futurum. Sic Moneda cum pluribus, & novissimè Palanco. Videtur mens D. Thomæ Opusc. 44. cap. 1. ubi ait: *Quia quælibet pars temporis est divisibilis in diversas partes: si ergo tempus existeret non solum secundum aliquod indivisibile sui, sed secundum aliquam sui partem, sequitur, quod multæ partes alicujus successivi simul essent, quod est contra rationem successivi.*

Explicatur ratio D. Thomæ, quæ urgens est. Nulla pars temporis est, quæ nõ sit divisibilis in alias partes de mente Arist. circa continuu: ergo nulla est pars temporis, quæ non habeat alias partes priores, & posteriores, quod essentialiter est entis successivo Ergo vel nulla pars temporis existit ratione sui, vel multæ partes successivæ existunt

Quaestio X.

sunt simul. Patet cõsequentia. Quia nequit existere pars temporis divisibilis nisi existant, & sint præsentem illæ partes, in quas pars illa erat divisibilis: sed si illæ partes existunt simul, jam partes eõs successivi sunt simul, quod implicat: ergo vel pars temporis existit ratione sui, vel multæ partes illius partis successivæ existant simul. Restat quod partes temporis existant, non ratione sui, sed ratione instantis copulantis.

Alij per oppositum censent tempus existere ratione partis, & non ratione instantis copulantis. Sic plures, quos sequitur Parra. Probatur. Existentia temporis, & cujuscumque entis successivi, non est permanens, sed fluida, & successiva; alioquin non conformaretur cum essentia entis successivi: at instans non habet successionem in sua essentia, nec in sua existentia; bene tamen pars quælibet temporis: ergo tempus existit ratione partis fluidæ, non ratione instantis, unientis partes. Minor patet, quia quod est indivisibile, nequit esse successivum: successio enim dicit partem post partem; indivisibile non habet partes, & sic nec successionem.

Tertia sententia dicit, quod si sermo est de instanti extrinseco, hoc est de instanti copulante partes motus cõlestitis, tunc vera est sententia prima. Si tamen sermo est de instanti intrinseco, copulante partes motus, & temporis intrinseco sublunarij, tempus non existit per instans, sed per partem fluidam, ut docet secunda sententia. Sic N. Lusitanus, &

Prado, qui hac via conciliant utramque sententiam, & eorum probatio sumitur ex probationibus utriusque sententiæ conciliatæ.

3 Fud. D. B. Ægid. tum hic lect. 18. text. 89. tum Quodlib. 4. q. 3. docet, quod *totum successivum non habet esse propter simultatem partium, sed propter ordinem partium.* Ex hoc principio vero confirmatur prima sententia, quæ est D. Thomæ. Veritas principij patet. Nam totum successivum est quod essentialiter habet partem post partem: sed implicat habere partem post partem, & habere partes simul: ergo implicat quod totum successivum existat propter simultatem partium. Quod si sic: restat existere unice propter ordinem partium; hoc est propter hoc, quod habeat partes post partes, inter se colligatas; alioquin non esset continuum, sed quid discretum.

Hoc notato, probatur sententia D. Thomæ. Tempus, quod est totum successivum, existit, quia existit ordo partium temporis: sed ordo partium temporis fundatur in instanti præsentem, copulante partes temporis: ergo tempus idem existit, quia existit instans præsentem. Probatur minor. Instans præsentem est finis temporis præteriti, & principium temporis futuri; quare licet instans illud non sit tempus, nec pars temporis, est tamen unio unientis, & ordinans temporis partes: ergo in eo instanti fundatur ordo partium; & talis ordo existit, quia tale instans existit in re.

Hac invenies apud AA. sed non

factis faciunt argumentis Augustiniana-
nis. Nam omnia secunda sententia,
quam falsam repato propter ratio-
nem D. Thomae, posicam in prima
sententia: explicatio D. Thomae, &
& confirmatio Aegidiana, relinquunt
intactam difficultatem urgentiorem.
Instans illud uniens partes juxta D.
Thomam, & eas ordinans juxta B. Aegi-
dium, unit, & ordinat partes, quae
non sunt; unit enim praeteritum,
quod jam non est, & futurum, quod
nondum est: quomodo ergo unio
partium stat de praesenti, si de praesenti
nullae sunt partes. Dic idem de
ordine, qui de praesenti nequit ordi-
nare ea, quae de praesenti non sunt.

4 Ob haec sume aliam explica-
tionem à P. Augustino lib. 11. Con-
fess. cap. 20. ubi partes omnes tem-
poris facit praesentes, ut sic unite, &
& ordinatae, faciant tempus, quod
dicitur longum, & breve. Non po-
nit eas partes praesentes extra animam,
quia ibi simul non sunt, nec praesentes,
sed in anima; concludens
ibi tantum eas partes invenire. Di-
cit sic. *Quod autem nunc liquet, &
claret, nec futura sunt, nec praeterita.
Nec proprie dicitur tempora sunt tria,
praeteritum, praesens, & futurum; sed
fortasse proprie diceretur, tempora sunt
tria, praesens de praeteritis, praesens de
futuris, praesens de praesentibus. Sunt
enim haec in anima tria quaedam, & ali-
bi ea non video.*

Quod si quaeras, quomodo in
anima praeteritum sit praesens? Re-
spondet fieri praesens per memoriam,
quae est praeteritorum, & ea facit pre-

sentia. Si quaeras de futuris? Respon-
det futura fieri in anima praesentia
per spem, aut expectationem, quae
est de futuris. Praesentia vero licet
labilia, & fluida sunt praesentia per-
manenter per contuitum, aut cogni-
tionem intuitivam, quae est rei praesentis.
Vnde dicit sic post verba al-
legata: *Praesens de praeteritis memoria;
praesens de praesentibus contuitus; praesens
de futuris expectatio. Si enim haec
permittimus dicere, tria tempora video,
fateorque tria sunt.*

Ecce in anima sunt tria tempo-
ra, & tempus inde compactum, nempe
ex praeterito, praesenti, & futuro.
Quae partes extra animam non inve-
niuntur praesentes, bene tamen in
anima ubi praeteritum habet praesen-
tiam vi memoriae, futurum vi expe-
ctationis, quae est actus voluntatis, pre-
sens praesentiam stabilem vi cognitio-
nis intuitivae, quae est actus intelle-
ctus. Quare in anima vi suarum po-
tentiarum existit tempus cum omni-
bus suis partibus, simul praesentibus,
& idem unitis de praesenti, & ordina-
tis: de quibus, utpotè existentibus,
vera sunt locutiones nostrae, quibus
dicimus jam longum esse, jam bre-
ve &c.

Nec dissentiant D. Thomas, &
B. Aegidius, qui loco citato quaestio-
precedente num. 6. docent, quod
tempus pro materiali est ens extra
animam, sed non pro formali, nam
sic solum est in anima. Sic discurrunt
etiam de universalibus, ut ibi nota-
tum est. Ergo sentiunt, quod tem-
pus formaliter, ut dicit praeteritum,
futu-

futurum, & praesens, solum datur in
anima. Haec est mens Augustini di-
centis: *Sunt enim haec in anima tria
quaedam, sed alibi ea non video.* Intellige
formaliter, nam fundamentaliter, &
materialiter, extra animam sunt; nam
extra animam est motus caeli primi
mobilis, & motus omnium inferiorum.

5 Dices. Haec Augustini expli-
catio praemittit eadem difficultate. Nam
cum tempus in anima, supponat mo-
tum caeli extra animam, de motu
illo extra animam, dubium idem est,
quomodo existat, an per partem di-
visibilem, & fluidam, an per instans?
Vnde redeunt argumenta facta. Re-
spondeo nil mirum esse eandem diffi-
cultatem, quia motus ille non distin-
guitur à tempore, ut dictum est q. 9.
Nihilominus motus ille potest dupli-
citer sumi, vel in se tantum, hoc
nullo habito respectu ad mensuram
durationis: vel cum respectu ad du-
rationem praesentem, quae explica-
tur per nunc, v. g. *nunc existit motus
caeli.* Primo modo motus ille existit,
quia est productus, & quia non tan-
tum producuntur indivisibilia mo-
tus, sed partes ejus divisibiles: idem
existit tum ratione indivisibilium,
tum ratione partium, & in hoc
sensu vera est secunda sententia su-
pra relata. Quod si dicas, productio-
nem motus esse successivam, & sic
produci partem post partem. Res-
pondeo hoc verum esse; ceterum jam
sumis motum in secunda acceptione
relate ad mensuram durationis, &
productionis.

De motu in hac secunda acce-

ptione, dicendum est, quod de tem-
pore dictum est. Existit quidem ra-
tione instans, & indivisibilis uniens
partes. Nec uniantur partes quae non
sunt, sed quae sunt: non quidem
sunt praesentes independenter ab ani-
ma, sed dependenter à tribus animae
potentiis, ut ex P. Augustino ex-
plicatum est. Ex dictis cessant ali-
qualiter difficultates posita tum hic
tum quaest. precedente num. 2. Nec
in difficili materia, quae omnium ho-
minum, & ipsius etiam P. Augusti-
ni torfit ingenium, quaeras solutio-
nes palmares, sed tibi sufficiant appa-
rentes.

§ II.

*Expediuntur aliqua dubia circa
nunc temporis.*

6 **N**ON bene explicatur ab
tempore, ut notat Villan. hic. Di-
cendum cum B. Aegidio lect. 22. text.
107. quod nunc est idem ac instans.
Vnde non est mensura motus, sed
substantiae mobilis. Ratio est, nam
mensura debet esse homogena, hoc
est ejusdem rationis cum mensurato,
& ei proportionari: sed motus habet
partes, instans autem est indivisibi-
le: ergo instans non est mensura mo-
tus; bene tamen substantiae mobilis,
quae tota simul existit, & in ratione
substantiae existentis, indivisibilis est.
Notandum, quod sicut tempus
pro materiali dicit motum, & pro
formali dicit numerabilitatem secu-
dum

dum prius, & posterius; ita nunc dicit pro materiali substantiam mobilis, & pro formali potentiam, & mobilitatem secundum prius, & posterius. Dicit potest etiam quod sicut tempus mensurat motum, sic instans quod est indivisibile uniens partes temporis, mensurat indivisibilia, unientia partes motus divisibiles.

7 Quæres 2. Utrum per nunc possit tempus mensurari. Videtur quod non: quia divisibile, nequit mensurari per indivisibile ut ex B. Ægidio dictum est. Nihilominus B. D. hic text. 104. lect. 2. dicit, quod sicut per unitatem mensuratur numerus, constans pluribus unitatibus,

Q V Æ S T I O. XI.

An duratio distinguatur realiter à re durante?

§ I.

Quibusdam notatis, proponitur sententia affirmans, & sententia negans.

Duratio nil est; nisi permanentia rei in existendo. Hinc res in primo instanti sui esse existit, sed non durat nisi in sequentibus ad primum. Potest tamen in primo dici durans *initiativè*, quatenus fundat per existentiam primi instantis durationem pro sequentibus. De hac permanentia quaerimus, an sit quid realiter distinctum ab existentia rei durantis? Prima sententia affirmat. Sic D. Bonaventura, Bañez, Rubio, Arriaga & alij. Per oppositum Ioannes à S. Thoma, citans ali-

Physicorum.

sic per instans; & nunc mensuratur tempus, constans ex instantibus.

Sensus ergo B. Doctoris, ne si ubi advenisset est, quod per instans est mensurabile tempus quoad instantia, quæ in eo sunt; & sic mensura proportionatur mensurato. Vel si mensurat tempus quoad ejus partes, non sumitur instans ut realiter indivisibile, & unicum, sed ut multiplex, & divisibile virtualiter; nam cum sit terminativum præteriti, & iniciativum futuri, æquivaleret duobus distinctis, nempe iniciativo, & terminativo. Quo sensu etiam potest esse mensura motus successivi, & divisibilis.

quos, præsertim Thomistas, negat omnem distinctionem, ita in Physicâ q. 18. art. 1. Cardin. Aguirre tenet eandem sententiam in rebus permanentibus disp. 29. per totam, ubi pluram invenies pro utraque parte, quæ brevitate compulsus, omittam, dans unice doctrinam consequentem ad principia nostra.

Notandum, quod duratio non est existentia utcumque, sed importat presentiam unius rei alteri in existendo. Patet hoc, nam in huiusmodi relatione, aut presentia, consistit præ-

Quæstio XI.

dicamentum *Quando*. Vnde sicut ex presentia rei ad locum resultat ubi: sic ex coexistentia rei, & temporis resultat *Quando*.

2 Quatuor aliqui agnoscunt durationes, ut videbis apud Aguirre; sed vel ex eodem principio debent fieri plures, vel solum tres. Nam si quæ res temporales aliæ sunt permanentes, aliæ successivæ, idè ponunt diversam durationem permanentium à duratione successivorum; oportet pro corporeis, ponere aliam durationem pro incorruptilibus; alteram pro corruptilibus: quare alia erit duratio cælorum, alia sublunarium.

Hinc cum D. Thoma, & B. Ægidio ponuntur tres durationes rerum, nempe *æternitas, ævum, & tempus*. Ratio, quam ex P. Augustino sumpsit D. Thomas 1. p. q. 10. art. 5. in corpore, est hæc. Durationes rerum distinguuntur penes mutabilitatem, & immutabilitatem in existendo. Sed omnia, quæ existunt, vel sunt mutabilia quoad esse, & operari; & hæc est duratio temporalium: vel immutabilia quoad esse, & quoad operari; & hæc est duratio Dei, plenè immutabilis: vel sunt immutabilia quoad esse, sed mutabilia quoad operari, & sic sunt Angeli, & cæli incorruptibiles quoad substantiam, sed variabiles quoad operationes, & motus: ergo tres sunt durationes nempe æternitas pro Deo; ævum pro Angelis; tempus pro sublunariis. Vide P. August. 8. de Gen. ad litt. cap. 20.

3 Æternitas juxta P. Augusti-

num est *instans sæper præsens*. Ob id supra vidimus ex S. P. quod si præsens temporis non fluere in præteritum, non esset tempus, sed æternitas. A Boetio definitur sic. *interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio*. Hinc est, quod æternitas est duratio indivisibilis, sicut Deus, & ob id est tota simul, & sine successione comprehendit in se omnes durationes possibles. Fit etiam, ut æternitati Dei nil sit præteritum, aut futurum, sed omnia semper Deo præsentia in illo instanti æternitatis semper durantes. De hoc latè Theologi nobis sufficiat, quod quæst. præsens nunc est de duratione Dei, quæ in Deo infinito nil est, nisi cum Deo identificatum. Vnde loco citato dicit D. Thomas art. 2. *In Deo duratio propria ejus non distinguitur ab illo, secus verò in creaturis*. Et P. August. lib. 11. Confes. cap. 11. ait, *Si exortum est aliquid in Dei substantia, quod prius non erat, non veraciter dicitur æterna illa substantia*.

Ævum est duratio rerum incorruptibilium, & spiritualium, ut sunt Angeli, & anima nostra; de ratione ævi est non habere finem, sed de facto habuit principium, nam incepit, dum primò Angeli creati sunt. Tempus est duratio conveniens rebus corruptibilibus, & constantibus materia, & forma, ut sunt reliqua omnia.

Differentia inter ævum, & tempus, est, quod tempus est mensura successiva, & sic solius motus successivi, habentis prius, & posterius. Ceterum ævum est mensura motus instan-

Instantanei, non habentis partes. Tales sunt operationes Angelicæ, quæ mensurantur ævo, sicut Angelorum substantia. Cæli autem, quatenus incorruptibiles, petunt ævum pro sui mensura; sed ratione motus successivi petunt mensuram temporis. Quod fit ut eorum substantia mensuretur ævo; sed eorum motus tempore.

4. De duratione creata; quæ vel æterna est, vel temporalis, ut constat ex dictis, procedit quæstio, an distinguatur ab existentia rei æternæ, aut temporalis. Prima sententia affirmat, & à suis DD. probatur sic. Existentia, quæ Petrus existit hodie, potest non durare cràs: ergo duratio crastina est quid separabile ab existentia Petri, & sic realiter distinguitur; nam quæ realiter separantur, distinguuntur.

Confirmatur. De duratione Petri verificatur esse majorem, vel minorem: sed de existentia Petri, quæ est indivisibilis, non potest hoc verificari: ergo duratio quid distinctum est ab existentia Petri. Secundò. Creatura participat *transitive* à Deo suam durationem: ergo hæc est distincta à creatura participante. Patet consequentia ex dictis lib. 1. de Existentia, & lib. 2. Phisic. de Substantia immediatè operativa. Tertio. Duratio Dei distinguitur per rationem ab existentia Dei: sed quæ in Deo distinguuntur per rationem, distinguuntur realiter in creaturis: ergo. Tandem. Actio conservativa petit terminum distinctum à creativa: sed terminus creationis est existentia, conserva-

tionis est duratio: ergo duratio distinguitur ab existentia.

5. Sententia negans probatur variis rationibus, quas Aguirre dicit inefficaces, eas vidè apud ipsum impugnatas. Solidius ab eodem probatur sic. Juxta D. Thomam in 1. Sét. dist. 19. q. 1. Omnis duratio attenditur secundum quod aliquid est in actu *Tandiu enim res durare dicitur, quandiu in actu est, & non in potentia.* Sed per solam existentiam sine aliquo addito, creatura omnis est in actu: ergo per solam existentiam durat, nec duratio est additum existentia.

Confirmatur. Rem durare nil est aliud, quàm rem persistere in existendo: sed per hoc quod creatura conservet suam existentiam, persistit in existendo: ergo vi solius existentia, & nullo addito creatura durat. Major patet ex dictis. Minor est certa. Nam persistere in existendo est non deficere; non deficere, est conservare existentiam. Da creaturam conservare existentiam, & tolle omne aliud, durabit. Pone quidquid volueris, & tolle existentiam, deficiet creatura, nec durabit: ergo rem durare nil est aliud, quàm conservare existentiam, & persistere in existendo.

Confirmatur. Idèd non sufficeret existentia ad durandum, quia existentia ex se indifferens est ad durationem majorem, vel minorem, quare debet determinari per aliquem modum existentia superadditam: sed hæc ratio instatur: ergo nil convincit.

cit. Probatur minor. Nam etiam ille modus additus existentia, est indifferens ad coexistendum majori, vel minori tempori; sed licet modus ille sit ita indifferens, non additur illi alter modus pro tollenda indifferencia; alioquin esset processus in infinitum: ergo nec addendus est existentia, quantumvis indifferenti ad majorem vel minorem durationem.

§ II.

Nostra sententia proponitur, & probatur: & aliarum fundamenta expenduntur.

Nostra sententia docet durationem esse quidditatem realiter distinctam ab existentia creaturæ, non tamen esse entitatem, aut modum distinctum. Ita B. Doct. in 2. Sentent. distinct. 1. p. 1. q. 4. art. 2. & dist. 2. q. 1. art. 4. dub. 4. Et de *Quando*, quod est duratio rerum corruptibilium, id docet Theorem. 39. Hæc conclusio est consequens ad doctrinam nostram de *ubi*, de *actione*, de *unione*, & de *relatione*. Omnia hæc diximus distincta quidditative, non autem entitative, aut modaliter.

Probatur 1. ex P. Augustino Epist. 168. quæ est ad Nebridium, ubi ait: *Nulla natura est Nebridi, quæ non in eo quod est, maneat quantum potest: manentiam dico, in qua sunt omnia &c.* Hæc verba coincidunt verbis datis ex D. Thoma num. 3. dicente *Tandiu enim res durare dicitur,*

quandiu in actu est. En nulla est res vel natura, quæ non duret præcisè in eo quod est: sed nulla creatura est per entitatem, aut modum distinctum ab existentia: ergo nullius creaturæ duratio distinguitur ab existentia entitative, aut modaliter.

Jam verò quod duratio differat quidditative ab existentia rei durantis, probatur ex dictis de relatione, unione, & ubi. Nam hoc libro q. 3. n. 4. probatum est quod *ubi* est quidditas realiter distincta à re ubicata, quia *ubi* supra entitatem locati addit relationem præsentia ad locum; relatio autè est quidditas distincta à fundamento, & termino, ut in Logica libro 6. dictum est ex P. August. D. Thoma, & B. Aegidio. At etiam duratio supra existentiam creaturæ addit relationem præsentia ad tempus, vel ævum: ergo duratio est quidditas realiter distincta ab existentia rei durantis.

Confirmatur 1. *Quando* est unum ex sex ultimis prædicamentis, addentibus purum ordinem supra tria prima prædicamenta, quæ dicunt rem, & entitatem: sed ordo non est entitas, aut modus distinctus à fundamento, & termino, sed quidditas ab eis distincta: ergo duratio creaturæ, quæ est *Quando* illius, solidè quidditative differt ab existentia rei durantis.

Confirmatur 2. Per hoc solum quod res producat, & existat in primo instanti, potest durare in sequentibus, quin mutetur intrinsecè: ergo quia duratio non est entitas, aut

modus mutans, sed quidditas non mutans, ut de relatione dictum est. Probatur antecedens. Res existens in primo instanti, ut daret in sequentibus, solum recipit de novo relationem presentiam, & coexistentiam ad tempus, vel ævum: sed relatio non mutat subjectum, cui advenit, ut in Logica abundè probatum est: ergo &c.

7 Hinc facilè dissolvuntur fundamenta suprà posita, nam prima sententia unicè probat distinctionem quidditativam, secunda suadet unicè non dari distinctionem entitativam, aut modalem. Ad primum positum num. 4. dic durationem crastinam Petri esse separabilem ab existentia Petri, qua hodie existit; at non separabilis entitativè, aut modaliter, sed quidditativè: unde solum probatur distinctio quidditativa. Explicatur. Duratio crastina Petri duo dicit, nempe existentiam Petri, & relationem presentiam existentiam, qua existentia Petri præsens est diei crastinæ. Hæc relatio potest deficere propter defectum termini, aut fundamenti: cumque terminus coexistentiæ sit tempus, & hoc duratum sit usque ad mundi finem; idè presentia Petri diei crastinæ unicè est deficiibilis defectu fundamenti, nempe, quia existentia Petri potest non esse cràs. Hinc dicimus, quòd si quid distinctum deficit, deficiente duratione crastina, est sola relatio presentiam ad diem crastinam. Nam deficit illa presentia, & deficit ejus fundamentum, nempe existentia. Sed

existentia Petri, quæ deficit, non est distincta ab existentia Petri: ergo si quid deficit, distinctum ab existentia Petri, est sola relatio presentiam ad diem crastinam, & sic sola quidditas.

Et argumentum instatur, nam eo probatur, quòd Petrus singulis momentis habet diversas existentias, quod est inauditum. Probatur Nam existentia Petri in hoc instanti est separabilis ab existentia Petri in sequenti, potest enim Petrus nunc existens, non existere postea: ergo existentia sequentis instantis, est separabilis ab existentia hujus presentis. Sed quæ separantur, distinguuntur: ergo singulis instantibus habet Petrus existentias distinctas.

Ad 1. confirm. Dic idem argumentum fieri de relatione v. g. similitudinis, quæ aliquando est major similitudo, aliquando minor; nec majoritas ista potest convenire fundamento, cum sepè diminuto fundamento, crescat similitudo. Sic contingit, si ab albo ut quatuor tollas duos gradus albedinis, tunc erit similior alteri albo ut duo, ac erat antea: & tamen albedo non est aucta, sed diminuta. Hoc probat relationem similitudinis esse quidditatem distinctam à fundamento. Ergo quòd duratio possit esse major vel minor, nec existentia possit ita diei, suadet durationem esse quidditatem, distinctam ab existentia. Quod patet, nam tanto major est duratio, quanto majori tempori præsens est existentia. Quo fit ut denominatio majoris, vel

minoris, non conveniat relationi presentiam ratione fundamenti, sed ratione termini.

Ad 2. confirmationem concedo totum. Aliud est comparare durationem cum existentia creaturæ, aliud cum essentia. Si comparas cum essentia, tunc dico, quòd duratio est entitativè, aut modaliter distincta ab essentia creaturæ, participatur *transitivè*. Nam duratio relatè ad essentiam includit existentiam; & hæc est distincta entitativè, vel modaliter ab essentia. Si comparatio fit inter durationem, & existentiam, sola adest distinctio quidditativa; nec tunc existentia participat durationem istam *transitivè*, vel *intransitivè*, quia duratio sic non est *aliquid*, sed *ad aliquid*, ut de relatione dictum est; quare sicut propriè relatio non fit, sed resultat; ita non participatur ratione sui, sed ratione fundamenti.

Ad 3. potest negari major cum B. Egidio in 1. Sent. dist. 34. q. 1. art. 2. ubi negat distinctionem rationis inter Divina Attributa. Rursus in Logica lib. 3. q. 9, negavimus distinctionem rationis inter realia prædicata. Æternitas, & existentia Dei, sunt realia prædicata: ergo non distinguuntur per rationem, sed realiter extrinsecè, ut ibi dictum est. Rursus, in Deo veritas, & bonitas distinguuntur per rationem apud contrarios: & tamen in creaturis non distinguuntur realiter: ergo ex quo in Deo duratio, & existentia, distinguuntur per rationem, non sequitur distingui rea-

liter in creaturis. Sed admittà majori, & minori, concedo in creaturis distingui realiter, sed non realiter entitativè, aut modaliter, sed pure quidditativè.

Nota, quòd Arriaga, & alii Societatis, qui in Logica negant distinctionem realem relationis à fundamento, & termino, hic continent durationem creaturæ distingui ab existentia ejus, & temporis. Hoc non dicitur consequenter, cum duratio nil sit, nisi coexistentia, & relatio presentiam creaturæ existentiam ad durationem temporis, longam, brevem &c. Quare si relatio non distinguitur ab extremis coexistentibus, sic nec duratio ab existentia creaturæ, & temporis coexistentis. Ad ultimam confirmationem dico, quòd in simili dictum est de *ubi* q. 3. n. 4. in fine. Terminus enim actionis conservativæ non est sola quidditas presentiam, sed existentia ut præsens tempori, quia sic est *Quando*, dicens rem sub ordine.

8 Ad fundam. secundæ sent. positæ num. 5. respondemus. Ad auctoritatem D. Thomæ dic esse pro nobis, quatenus negamus distinctionem entitativam, aut modalem, sed non est contra distinctionem quidditativam. Constat ex verbis ipsis, dicit ibi S. Doctor rem tandiu durare, quandiu in actu est. *Ly quandiu* supra existentiam, qua res est in actu, dicit coexistentiam ad tantum, & tale tempus. Hæc coexistentia est presentiam, & sic relatio, & quidditas addita existentiam,

Ad primam confirmationem concedo, quod rem durare, est conservare existentiam, at in hoc includitur relatio presentiae ad tempus, in quo existentia conservatur; quare ibi importatur quidditas distincta ab existentia. Nec valet dicere, pone existentiam creaturæ, & temporis, & tolle omne aliud. Sicut de relatione diximus non valere, pone duo alba, & tolle omne aliud, erunt similia, & unum, quale aliud. Nam cum relatio necessario resultet ex positione fundamenti, & termini nequeunt poni duo alba, & tolli omne aliud sequuntur, nempe nequit tolli similitudo sequuta ex positione utriusque albi. Sic in nostro casu. Nequeunt poni creatura, & tempus, nisi coexistant, & sint presentia. Potest tolli omne aliud distinctum modaliter, aut entitativè; sed non potest tolli coexistentia, & presentia. Hæc autem est aliud quidditativè, ut dictum est.

Ad 2. confirmationem dic, non esse contra nos, qui nec illa ratione probamus nostram distinctionem quidditativam, nec contendimus durationem esse modum additum existentiae, sed quidditatem. Dato, quod nostra quidditas eo capite indifferentiae probaretur, non bene ab Aguirre retorquetur. Nam quidditas relationis presentiae non est indifferens ad multum, vel breve tempus, sed est relatio ad tempus determinatum: ergo licet existentia ex se sit indifferens ad coexistendum longo, aut brevi tempore, & sic egeat determinativo addito; secus quidditas relationis presentiae, quæ est ad tempus determinatum. Vide multa in Aguirre, quæ ex dictis solvantur facile. Quæ enim militant contra distinctionem quidditativam, soluta invenies in Logica lib. 6.

quæst. 9. & hæc de toto

libro 4. sufficient, J



LIBER QUINTUS

PHYSICORUM.



Incipimus cum Arist. lib. 3. de motu in communi, & lib. 1. de loco, & tempore, quæ sunt mensura mobilis, & motus; nunc libro isto agendum est de motu in particulari. Ob id liber iste ratione materiæ non reputatur ab aliquibus distinctus à tertio, sed ejusdem uberius expositio. Quidquid sit, servandum putavi ordinem Aristotelicum cum DD. Philosophum exponentibus. Liber iste sex capitibus absolvitur ab

Arist. Duobus primis tractat de speciebus motus in communi: duobus sequentibus de motus unitate, & diversitate: duobus tandem ultimis de motus contrarietate. Quæ in tota littera continentur, unica ferè questione dilucidabimus, inquirendo ad quæ prædicamenta detur per se motus? Sed addemus alteram pro indagando principio unitatis ejus specificæ, & numericæ.

Q V Æ S T I O I.

Ad quæ prædicamenta detur per se motus?

§ I.

Quibusdam notatis, explicantur conditiones ad motum per se.

Supponenda est primo distinctio inter motum, & mutationem, de qua satis libro 3. Ceterum de illa agit Philosophus hic cap. 1. constat distinctio, quia motus petit conditiones, de quibus postea; eas non petit mutatio. Mutatio sive sit de non esse ad esse; sive de esse ad non esse, sive de uno esse ad aliud esse, solum dicit quod subiectum aliter se habeat nunc, ac antea; sive hoc fiat in instanti, sive successivè. At motus strictus, de quo est quæstio, essentialiter successivus est, & in tempore fit; alioquin non erit motus strictus, sed latus, ut comprehendit mutationem instantaneam, de quo dubium non est se extendere ad omnia prædicamenta, quæ terminant actionem.

Discrimen ergo inter motum strictum, & mutationem, est, quod motus



motus necessariò, & essentialiter est successivus; mutatio est instantanea, & si interdum successiva est, reducitur ad motum. Ita D. Thomas, & B. Ægidius in præsentibus, & 3. Physic. & DD. communiter: quod etiam tradidit, etsi non ita expressè S. P. August. lib. de Categor. cap. 21. Dubium est, an hæc distinctio sit essentialis?

P. Fonseca cum aliquibus dicit esse accidentalem; quibus consentire videtur N. Gavardi in Physica 5, Physic. q. 1. art. 2. ubi nostros contrarium docentes, dicit sui immemores. Fundamentum Gavardi est, quod libro 3. Physicorum dicitur, generationem, & corruptionem esse veras species motus propriè sumpti: sed generatio, & corruptio sunt motus instantanei: ergo successio non est de essentia motus; quare distinctio petita ex successione, essentialis non est.

A Fonseca probatur sic. Successio est duratio, & duratio spectat ad prædicamentum *Quando*: sed motus strictus datur ad aliâ prædicamentâ, ut dicemus: ergo successio non est differentia essentialis motus. Probatur consequentia. Nam differentia essentialis unius prædicamenti, nequit esse essentialis alteri: ergo si successio, & duratio, est differentia prædicamenti *Quando*, nequit essentialiter convenire motui, terminato ad aliâ prædicamenta.

Hæc non urgent, ut recedamus à communi sententiâ, quæ distinctionem datam putat essentialè.

Ad 1. constat ex dictis lib. 3. q. 1. §. 1. ubi definitio motus dicta est convenire lato modo mutationibus instantaneis, non verò súpto motu strictè, ut docet B. Ægidius in Examer. p. 1. cap. 11. Ergo generatio, & corruptio nō sunt species motus proprii, sed motus latè sumpti, & sic nil concluditur.

Ad 2. Instatur. Nam conceptus *in* est essentialis passioni, ut lib. 3. dictum est: & tamen convenit essentialiter etiam reliquis prædicamentis accidentalibus; nam omne accidens per *in* differt à substantia: ergo licet duratio spectet ad prædicamentum *Quando* essentialiter, poterit essentialiter convenire motui, terminato ad aliâ prædicamenta. Directè respondemus, quod ad *Quando* spectat sola successio temporis, & durationis in essendo. Ad motum autem aliè successiones juxta qualitatem termini motus, v. g. successio quantitatis in motu augmentationis, successio intensionis in motu ad qualitatem, & successio loci in motu ad *ubi*. Itæ in communi, ut essentielles motui in communi, dicuntur successio, vel latitudo gradualis termini, acquirendi per motum; & hæc est essentialis motui.

Probatur. Quia motus strictus nequit intelligi sine successione: ergo est ei essentialis. Quare distinctio inde sumpta essentialis est. Rursus. Diversitas essentialis inter passiones, infert à posteriori diversitatem essentialè subjectorum: sed ad motum successivum sequitur tempus, ut pro-

propria passio; secus ad mutationem, quæ fit in instanti: ergo mutatio, & motus differunt essentialiter penes successione.

2. Tres conditiones petit motus strictus. Prima, quod ejus terminus habeat latitudinem gradualè, successivè transcurrendâ. Secunda, quod subjectum motus sit ens in actu. Tertia, quod motus sit inter terminos positivos, & contrarios. De successione motus, & latitudine termini successivè transcurrenda, dicit P. August. 7. de Genes. ad litt. cap. 18. *Corporalem motum, qui sensum sequitur, sine intervallis temporum non esse.* De secunda, & tertia conditione motus, dicit lib. de Categor. cap. 21. *Quod motus est de subjecto in subjectum. Et infra: Nam commutatio qualitatis est, cum ex albo fit nigrum, vel album de nigro, quæ sibi manifestè contraria sunt. Loci quoque commutatio, quam transgressionem diximus, superiorum, & inferiorum contrarietatem patitur, & propterea eam quoque habere contraria, apparet.*

Prima conditio probatur à ratione. Motus strictus est essentialiter successivus: ergo ejus terminus debet acquiri paulatim, & successivè. Patet consequentia. Nam acquisito termino, cessat motus: ergo si terminus non acquireretur successivè, sed in instanti, motus esset in instanti, & non successivus. Nunc sic. Sed terminus, qui non habet latitudinem gradualè, est indivisibilis, & sic acquiritur in instanti: ergo terminus motus stricti debet habere latitudinem gra-

dualem. Hinc anima rationalis, quæ indivisibilis est, tota acquiritur in instanti, & sine motu. Ceterum calor, habes gradus successivè acquirendos, paulatim acquiritur, & successivè intenditur usque ad gradum summum, in quo cessat motus alterationis.

3. Probatur secunda conditio. Subjectum motus est subjectum termini motus; motus enim vel non distinguitur à termino, ut diximus lib. 3. vel solum modaliter differt, quare in eodem subjecto recipitur, ac terminus. Sed subjectum termini motus est ens in actu: ergo subjectum motus est ens in actu. Probatur minor. Terminus motus est accidens, sola enim accidentia habent latitudinem gradualè: at solum compositum, quod est ens in actu, est subjectum accidentium, non autem materia prima, ut dictum est à nobis lib. 2. q. 8. maximè de accidentibus, ad quæ motus terminatur, ut videbimus: ergo subjectum motus est ens in actu.

Tertia conditio probatur. Et quidem quod termini motus sint positivi. Nam inter ens & non ens, quæ opponuntur contradictoriè, nullum est medium, successivè transcurrendum: ergo cum ad motum requiratur distantia media inter terminum à quo, & terminum ad quem; motus debet esse inter terminos positivos. Præterea: Soli termini positivi opponuntur contrariè. Quare probando debere esse contrarios, probatur esse positivos. Contrarietas probatur sic. Frigus existens in subjecto, obstat

obstat calori, ne citò introducatùr, sed successivè, quod petitur ad motum: & tanta est duratio motus, quanta fuerit resistentia, & pugna frigoris cum calore. Hæc contrarietas clarè noscitur in qualitatibus, ut patet exemplo dato; in aliis non sic, sed suo loco explicabitur.

4. Contraria à Philosopho definiuntur sic. *Quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subjecto mutuò se expellunt.* Sic humidum, & ficcum continentur sub eodem genere qualitatis, & mutuò se expellunt ab eodem subjecto. Notavit optimè Ioan. à S. Thoma, quòd *ly maximè distant* denotat determinatam distantiam. Hanc habent formæ accidentales, sed non substantiales. Calor enim, & frigus, habent suos gradus certos intensiōis, quare scimus determinatè quantum distant. At forma equina, & leonina, licèt sub eodem genere contineantur, & distant, non distant determinatè, sed indeterminatè quia sunt formæ indivisibiles, quæ non habent gradualem latitudinem. Ob id non sunt contraria stricta, quæ ad motum desiderantur.

§ II.

Proponitur sententia affirmans motum per se ad omnia prædicamenta.

9. **R**efertur Zenonem negasse motum, etsi nil evidentius existat in rerum natura, nec tam disputando, quàm deambulando, convincendi sunt negantes mo-

tum. Putant multi Zenonem motum negasse gratia disputandi, nec meris cavillis fundari potest opinio negans, sed difficilimis argumentis. Sic primum à paritate temporis, quod est passio motuum; nec existentia illius minus nota est; & tamen stando rationi, urgentissimè probatur, quòd tempus non existat in rerum natura, ut patet ex dictis quæst. 10. num. 1. Ergo licèt nota videatur existentia motus, probari potest motum non existere. Et urgetur. Nam ratio negandi existentiam temporis est, quòd omne existens est de præsentibus; præteritum autem de præsentibus non est, futurum nondum est; instans uniens, præteritum cum futuro, de præsentibus est sed non est tempus, cum non sit divisibile. At hæc ratio æquè probat de motu, & de omni ente successivo, ut constat ex eadem quæst. n. 5. Ergo cum ratio ista sit urgentissima contra existentiam temporis, non est levis, sed efficax ad negandam existentiam motus.

Confirmatur. Nam spatium, quod motu pertransitur, est infinitum, cum constet infinitis partibus, in quas semper, ac semper est amplius divisibile in infinitum: sed infinitum non est pertransibile, ut constat ex nomine ipso, alioquin haberet finem, & non esset infinitum: ergo motus est impossibilis, nec datur. 2. Quod quiescit non movetur: sed omnia quiescunt: ergo nulla moventur. Probarur minor. Quæ sunt in spatio sibi æquali, quiescunt: at omnia locata, sunt in spatio sibi æquali: ergo omnia quiescunt.

Ter-

Tertio. Nam dato motu, sequeretur, quòd equus velocissimus non posset assequi testudinem præcedentem aliquo brevi spatio: sed hoc est ridiculum: ergo &c. Probarur minor. Nam quæ possit equus velocitate currere, semper tamen testudo percurreret aliquam spatij partem, si motum non suspendat: ergo semper tali spatio præcedet equum, nec hujus velocitas assequi poterit illius tarditatem.

His, & aliis non obstantibus, motum testantur res omnes mobiles: quare argumenta contraria nil valent contra veritatem. Ad 1. constat solutio ex dictis quæst. citata. Ad 1. confirmationem dic spatium nullum esse infinitum, sed finitæ extensivis. Quòd licèt ratione divisibilitatis interminabilis habeat partes proportionales infinitas; easdem habet motus. Nec tale sive in spatio, sive in motu faciunt extensionem infinitam: quia extensio major vel minor sumitur à solis partibus aliquotis; & istæ sunt finitæ in spatio, motu, & omni continuo. Ad 2. dic, quòd sola quiescunt quæ sunt in centro; hæc pauca sunt: quare reliqua moventur ad centrum, etsi sint in loco sibi adæquato. Ad 3. dic, quòd de partibus proportionalibus infinitas percurrit testudo, sicut equus dum moventur. At motus penes has non attenditur, sed penes aliquotas, quas citius percurrit equus, quàm testudo, idè que superat citissimè testudinem.

6. Supposita existentia motus, prima sententia asserit dari per

se motum ad omnia prædicamenta, vel ad nullum. Ita aliqui, nec levibus fundamentis. Probarur primò de substantia. Idè juxta Arist. datur motus ad quantitatem, quia in quantitate datur contrarietas penes majus, & minus: at hæc datur etiam in substantia: ergo si ad quantitatem datur motus per se, etiam ad substantiam. Probarur minor. Idè in quantitate datur ea contrarietas, quia quantitas est divisibilis, unde habet partes, quibus jam est major, jam minor; sed substantia materialis etiam est divisibilis, & habet partes; tum quia juxta D. Thomam forma animalis imperfecti, v.g. lacertæ, est realiter divisibilis; tum quia juxta Thomistas communiter substantia habet partes antecedenter ad quantitatem, ut constat ex dictis in Logica lib. 6. quæst. 5. eis autem partibus substantia jam est major jam minor: ergo.

Confirmatur 1. Sicut augmentatio per se terminatur ad quantitatem, ita nutritio ad substantiam; & sicut augmentatio est motus, & actio successiva, quæ paulatim acquiritur nova quantitas, ita nutritio successive fit, & ea acquiritur ab alio nova substantia. Sed ob hæc augmentatio est strictus motus terminatus ad quantitatem: ergo nutritio per se terminata ad substantiam, erit strictus motus; vel non dabitur motus ad quantitatem.

Confirmatur 2. Idè juxta Aristot. datur motus ad qualitatem, licèt non ad omnem, quia in qualitate datur contrarietas, & latitudo gra-

Kkk

dualis,

dualis, licet non in omni: sed hæc datur in substantia, licet non in omni: ergo ad aliquam substantiam dabitur motus per se, vel non dabitur ad qualitatem. Probatur minor. Ideò in aliquibus qualitatibus dantur dicta, quia habent gradus, quibus pugnant, unde tantum acquiritur calor, quantum perditur frigus: at hoc cernitur etiam in aliquibus substantiis: ergo &c. Probatur minor. Forma lacertæ contrariatur formæ cadavericæ, qua expellitur. Et cum utraque sit realiter divisibilis, potest lacerta mori per partes, ut primò incipiat à cauda, deinde paulatim deficiat, usque dum penitus extinguatur: at tunc tantum acquiritur formæ cadavericæ, quantum in lacerta perditur formæ viventis: ergo.

Confirmatur 3. Ideò ad substantiam negatur per se motus, quia ad motum requiritur contrarietas, & juxta Philosophum substantiæ nihil est contrarium: sed juxta Philosophum, quantitati etiam nihil est contrarium, & tamen datur motus per se ad quantitatem: ergo & dabitur ad substantiam; vel si secus, nec ad quantitatem. Præterea: Ex Philosopho 3. Physic. Motus est *actus entis in potentia*. Sed forma substantialis est actus entis in potentia; nam est actus materiæ, quæ est ens in potentia ad formam: ergo idem.

7 De quantitate; qualitate, & ubi, probat hæc sententia terminare motum per se, rationibus, de quibus infra. De reliquis sic. Et primò de *Relatione*. Nam in relatione

dantur omnes conditiones requisitæ ad motum: sed ideò datur motus ad alia prædicamenta, quia in eis adsunt conditiones requisitæ ad motum: ergo vel datur ad relationem motus, vel ad nullum prædicamentum. Probatur minor. Conditiones requisitæ ad motum sunt tres, de quibus supra num. 2. at istæ dantur in aliquibus relationibus: ergo &c.

Probatur minor. Et sit exemplum in duobus parietibus dissimilibus, unus albus, alius niger, qui possunt assimulari, si paries albus denigretur. En argumentum. Subjectum similitudinis est paries, & sic est ens in actu. Similiter dum albus denigratur, ut fiat alteri similis, recedit paries à termino à quo dissimilitudinis; ad terminum ad quem similitudinis, qui termini sunt positivi, & contrarij. Tandem quòd hi termini habeant latitudinem gradualem, constat, quia sicut paries paulatim, & successivè denigratur, ita successivè redditur magis similis alteri: ergo in relatione adsunt omnes conditiones ad motum requisitæ.

8 Dices. Similitudo non suscipit magis, & minus ratione sui, sed ratione qualitatis, in qua fundatur. Hoc patet 1. ex Philosopho docente lib. de Categor. quòd relatio non suscipit magis, & minus. Secundo à ratione. Quia licet album ut duo sit minus simile albo ut octo, quàm albo ut quatuor; non tamen est minus relatum ad unum album, quàm ad aliud: ergo quia similitudo, ut relatio est, non suscipit magis,

gis, & minus, sed ut similitudo fundamentaliter, & ratione qualitatis, in qua fundatur. Sic respondent Peripatetici.

Sed contra est: Nam aliquando minuitur qualitas, & crescit similitudo: sed tunc augmentum similitudinis nequit esse ratione qualitatis, quæ minuitur, ut patet: ergo motus augmenti, quo crescit similitudo, decrecente fundamento, nequit terminari ad fundamentum, sed ad solam relationem. Probatur major. Ponamus duo alba, unum ut tria, aliud ut duo. Hæc similia sunt, sed non summè. Tolle unum gradum albedinis ab extremo habente tres. Tunc minuitur albedo fundans similitudinem, sed crescit similitudo, quia ambo extrema manent alba ut duo, & sic summè, & perfectè similia.

Tandem. Vel relatio distinguitur à fundamento, & termino, vel non. Si non distinguitur? Ergo sicut ad alia prædicamenta datur per se motus, sic ad relationem. Si distinguitur? Ergo cum relatio sic distincta, sit entitas, cujus subjectum est ens in actu; & quæ intra proprium prædicamentum habet contrarium, & latitudinem gradualem; tenendum est ad relationem dari per se motum, vel non dari ad ullam prædicamentum.

9 De actione, & passione probatur sic. Ideò ad hæc negatur motus, quia motus est actio; & ad unam actionem non datur altera: sed hæc ratio instatur in omnium principiis;

ergo inconsequenter negatur motus ad actionem, & passionem. Probatur minor. 1. In sententia Thomistarum, & nostra de qua lib. 2. q. 16. in fine, docente, quòd Deus ad extra operatur per actionem secundum identificatam, Deus enim sua actione immanenti æterna, producit actiones nostras: ergo jam in ea sententia ponitur una actio ad aliam. Cur ergo repugnabit inde motus ad actionem?

Secundò. In nostra & Thomistarum sententia, dantur in eadem voluntate actus imperans, & imperatus, ut lib. 2. q. 17. & 18. dictum est. Sed uterque actus est actio; & actus imperij datur ad actum imperatum: ergo in hac sententia datur actio ad actionem.

Tertiò. In omnium sententia, apprehensio bonitatis concurret ad amorem, vel ut ratio formalis finalizandi, vel ut conditio movendi; & in nostra sententia influit in amorem, sicut species objecti influit in cognitionem, ut dictum est lib. 2. q. 12. §. 1. Sed apprehensio, & amor sunt actiones, & apprehensio datur ad amorem: ergo datur actio ad actionem. Quartò. In plurium sententia imaginativa concurret ad generationem: sed concursus imaginativa, & generatio, sunt actiones: ergo idem.

Quintò. Motus cæli est causa influens in motus sublunarium: ergo ad motus sublunares datur motus cælestis: ergo datur motus ad motum. Cur repugnabit motus ad actionem?

10 Directè probatur idem as-

terum sic. Actio intra proprium prædicamentum habet omnes condiciones requisitas ad motum : ergo non est cur non detur motus per se ad actionem. Probatur antecedens. Nam subjectum actionis est compositum, & sic ens in actu. Rursus inter actiones datur sufficiens contrarietas, & latitudo gradualis. Probatur hoc. Nā sicut in qualitate datur minor intensio, quæ paulatim fit intensior; sic actio aliquando imbecillis, confortatur paulatim, & fit robustior, & intensior. Præterea, sicut inter frigus, & calorem datur contrarietas; ita inter actiones calefaciendi, & infriigidandi: ergo idem est in actionibus, ac in qualitatibus.

Tandem. Actio juxta plures est dependentia termini ab agenti; juxta alios est activa productio effectus, vel causalitas agentis, qua constituitur operans in actu secundo. Sed dependentia suscipit magis, & minus; non enim omnia æquè dependent ab alio. Item activa productio, vel causalitas agentis, habet gradus activitatis, non minus quàm virtus activa, quæ est de genere qualitatis: ergo non minus actio terminat motum per se, quàm qualitas.

11 De prædicamento *situs* probatur sic. Potest corpus mutare *situm*, quin mutet *ubi*: sed corpus mutans *situm*, movetur; nam corpus immobile nequit *situm* mutare, sicut nec mutare ubicationem: ergo motus illius corporis terminatur ad *situm*. Patet consequentia, quia sicut non stat motus sine termino, sic nec po-

vus terminus sine novo motu: ergo si stat novus *situs* sine novo *ubi* &c. Probatur major. Corpus solum mutat *ubi*, quādo mutat distantiam ad polos mundi, ut patet ex dictis lib. 4. Sed corpus, hic sedens, potest assurgere; & tunc mutat *situm*, quia aliter situantur ejus partes; nec mutat distantiam ad polos mundi, ut patet: ergo.

Confirmatur. Motus circularis revera est motus: sed motus ille non habet pro termino *ubi*, sed *situm*: ergo ad *situm* datur per se motus. Probatur minor. Motus ad *ubi* fit per recessum locati à termino à quo & accessum ad terminum ad quem; hoc recedendo ab uno loco, & accedendo ad alium: sed in motu circulari corpus quiescit secundum totum, nec recedit à loco in locum; sed unicè ejus partes moventur succedente unā in locum alterius: ergo.

12 De prædicamento *Quando* probatur. *Quando* est duratio creature suscipiens magis, & minus, sicut quantitas: sed quia quantitas suscipit magis, & minus, dum ex minore fit major, datur motus per se ad quantitatem: ergo dum duratio fit major è minore, cum successivè fiat in corporalibus, terminat per se motum; unde vel non datur ad quantitatem, vel datur ad *Quando*.

Secundò. Idèd ad *Quando* non datur motus, quia non distinguitur à tempore, & ad tempus non datur motus: sed hæc ratio nil valet: ergo &c. Probatur minor. Falsum est, quòd ad tempus non detur motus: ergo. Probatur antecedens. Tempus, licet pro

pro famosiori sumatur pro motu cœli primi mobilis, at quilibet motus successivus est tempus, ut de rota siguli mota, quiescente cœlo, diximus lib. præcedente cum P. Augustino. Sed ad motum sublunarium datur motus cœlestis, qui est motus strictus: ergo ad tempus datur per se strictus motus.

13 De prædicamento *Habitus* probatur sic. Habitus est relatio conformitatis vestis cum corpore: sed nec titulo relationis, nec titulo conformitatis, nec titulo utriusque habet aliquid, ne terminet motum; imò habet omnia requisita ad motum: ergo *habitus* terminat motum per se. Probatur minor. Suprà probatum est dari motum per se ad relationem: ergo titulo relationis non &c. Nec titulo conformitatis. Nam quia in quantitate datur magis, & minus, datur contrarietas sufficiens ad motum per se: at in *Habitu* datur magis, & minus; potest enim vestis esse magis, vel minus conformis corpori: ergo &c. Jam verò ultimum patet. Nam quæ seorsim non obstant, conjuncta non impediunt, sed juvant; imò interdum quæ seorsim noscent, conjuncta profunt, ut Martialis canebat, *Bina venenz juvant*. Sed de relatione, & conformitate probatum est, seorsim non obstat ad terminandū per se motum: ergo nec conjuncta in *Habitu*.

Dices. *habitus* terminat motum artificialem, de quo non agimus in præsentem, sed de naturali. Unde communiter negatur motus ad *habitu*, quia esse calceatum, armatum vesti-

tum &c. sunt quid artificiale, terminans motum tantum artificialem, de quo nil in præsentem.

Sed contra. Nam dealbatio parietis non est naturalis, sed artificialis. Rursus alteratio simplicium, quæ arte Chimica fit à Pharmacopœolis, non est naturalis, sed artificialis saltem inadæquatè, arte adjuvante naturam. Et tamen alteratio, & dealbatio sunt motus stricti; de quibus agitur in præsentem; ergo licet interventu artis futuriæ, sartoriæ, & artemifactoriæ, corpus sit calceatum, vestitum, armatum &c. dabitur motus ad ea.

His tamen non obstantibus, communis Philosophorum sententia docet cum Arist. hic, motum per se solum dari ad *Quantitatem*, *Qualitatem*, & *ubi*. Pro ea stat P. Augustinus, cum quo, & BB. Thoma, & Ægidio communem sententiam explicabimus quatuor assertionibus. Et ne confusio sit, eas sigillatim exponemus. Pro quo sit.

§ III.

Statuitur motus per se terminatus ad quantitatem in sola augmentatione viventium.

14 **P**rima assertio nostra est, ad quantitatem dari per se motum, sed non ad omnem, sed in solis viventibus, & quæ in eis tantum acquiritur per augmentationem. Pro intelligentia notandum, quòd quantitas denuò acquiritur vel gene-

gene a ione totali, ut quando compositum denud generatur: vel quando vivens jam productum, crescit, & augetur. Hæc augmentatio vocatur aggeneratio.

In prima generatione, quantitas non terminat motum. Ratio est, quia tunc producitur ratio substantiæ geniti: sed genitum producitur in instanti, & non successivè: ergo & quantitas in instanti producitur, dum generatione totali causatur: sed de ratione motus est successio, ut ostensum est: ergo in generatione totali quantitas non terminat motum. Rursus, tunc fit quantitas ex nihilo, non autem ex præcedente quâtitate: ergo tunc subjectum non versatur inter duos terminos à quo, & ad quem positivos, sed inter positifum, & negativum, quod est contra conditiones motus.

In secunda autè productione, vel aggeneratione, qua quâtitas jam producta fit ex minore major, tunc subjectum versatur inter duos terminos positivos, nempe quantitas minor, quæ est terminus à quo, & major, quæ est terminus ad quem. De hac productione secunda querimus, an sit motus? Et respondemus esse motum in viventibus, non autem in inanimatis, ratio sumitur ex diverso modo, quo augmentantur.

Pro quo nota 1. Inanimata solam crescere versus unam partem. Sic dum Oceano addis unam guttâ aque, non crescit totum, sed secundum illam partem, cui addis guttam. Viventia non sic, sed crescant secundum

dum omnes sui partes. Flos simul crescit cum radice; in animali pedes simul & caput &c. Differunt etiâ, quia viventia crescant per intusumptionem, & idè ad omnes partes extenditur eorum augmentum. Inanimata crescant per juxtapositionem, & idè solùm crescant in ea sola parte, cui fit additio, & juxtapositio. Differunt tertio, quia terminus augmenti non viventium potuit seorsim produci, ut patet in gutta roris addita flumini. At contra in viventibus, quantitas eorum aucta, solùm intra viventia produci potest.

Hinc est, quod quantitas non viventium acquiritur sicut in generatione totali simul cum substantia, & extra subjectum receptivum: quare sicut ad quantitatem in generatione totali non datur per se motus, ut probatum est; sic nec datur ad augmentum non viventium. Ob id dicimus solùm in augmento viventium dari motum per se ad quantitatem. Hæc assertio, sicut & duæ sequentes, est de mente P. Augustini, & omnium ferè Philosophorum

15 Probatur ex S. P. libro de Categ. cap. 21. ubi ait: *Motus tres species habet, idest incrementum, immutationem, commutationem qualitatis, sive loci.* Et paulò post, *Nos commutationem circa locum transgressionem malimus dicere.* Primam speciem vocat incrementum, & hæc est motus ad quantitatem, quem nos vocamus augmentationem. Secundam dicit commutationem qualitatis, & motum, istum ad qualitatem nos vocamus altera.

terationem. Tertiam dicit commutationem loci, vel transgressionem de loco ad locum, & eam nos appellamus motum ad ubi. Quo vides ad tria tantùm prædicamenta Parentem nostrum concedere motum per se, & idè solùm agnoscit tres species motus, ad quantitatem, ad qualitatem, & ad ubi.

Probatur ergo à ratione præsens conclusio nostra. In termino augmenti viventium, nempe in quantitate adaucta, dantur omnes conditiones requisitæ ad motum: ergo ad quantitatem acquisitam in viventibus per augmentum, datur per se motus. Probatur antecedens. In primis quantitas habet latitudinem gradualem, successivè transcurrendâ, cum sit divisibilis, & habeat partes. Deinde subjectum quantitatis est ens in actu, nam est compositum vivens, quod crescit, & augetur. Tandem intra propriam spheram habet terminos positivos, & contrarios, ut magnus, & parvus; majus, & minus. Vnde à parvo ad magnum datur motus augmentationis; à magno autem ad parvum motus diminutionis.

Confirmatur. Augmentatio est motus propriè talis; sed augmentatio per se terminatur ad quantitatem: ergo ad quantitatem terminatur motus per se talis. Major patet, nam subjectum augmentationis est ens in actu; foret autem ens in potentia, si augmentatio non esset motus, sed mutatio. Minor probatur. Nam augmentatio tendit ut subjectum fiat majus;

at fit majus per quantitatem: ergo terminatur per se ad quantitatem. Hæc est mens Arist. hic text. 18. dicentis. *Restat in quantitate, qualitate, & ubi, tantummodo motus esse.*

16 Dices: Motus per se debet esse successivus, & continuus: sed augmentatio non est continua, ut docet Arist. lib. 8. text. 23. ergo augmentatio non est motus. Resp. Philosophum ibi negare augmentationem esse continuam per totam vitam hominis, aut animalis; nam cum perveniat ad statum naturalem, & tunc non crescat, idè augmentum non durat toto vitæ decursu. Sed non negat esse motum continuè durantem sine intermissione tota infantia, pueritia, & adolescentia. Sic motus lapidis deorsum continuus est quo tempore durat; at non ita continuus, ut numquam cesset, quia sistit, adveniente lapide ad terminum quietis.

Si dicas, quod nutritio durat toto vitæ tempore: ergo etiam augmentatio. Respondemus negando antecedens. Consistit nutritio in actione, qua per alimentum decoctum tanta substantia acquiritur, quanta per calorem naturalem deperditur. At actio ista non durat tota vita, quia postquam viventia veniunt ad suum statum, quotidie decrescunt; deperdentes amplius, calore consumente, quam instaurantes alimento. Contrarium eveniret homini, si à Paradiso non decidisset, nam per lignum vitæ, statutis temporibus degustatum, pristinam perfectè substantiam,

tiam, & juventam instauraret. Vide Vallesium Medicum in sua sacra Philosophia, pulchrè de hoc, & aliis scripturæ mirabilibus, disputantem.

27 Contra hanc assertionem argues 1. juxta Philosophum: Quantitas non habet contrarium: ergo nec terminat per se motum, qui petit in termino contrarietatem. Antecedens patet ex Logica cap. de Quantitate. Et probatur. Nam contraria mutuo se expellunt ab eodem subjecto: sed quæritas acquisita per augmentacionem, non excludit à subjecto crescens priorẽ quantitatẽ, quam habebat: ergo illi non contrariatur, & sic non fit nova per motum.

B. Ægidius hic text. 18. quem citat N. Venetus, distinguit duplicem contrarietatem; unam quantum ad esse, & datur inter qualitates, v. g. inter calorem, & frigus, quæ pugnât in suo esse. Hanc negat Philosophus quantitati. Alia contrarietas est quantum ad motum; & hæc consistit in eo quod terminus acquiratur successivè. Hanc concedit Arist. quantitati in præsentia. Dicitur potest etiam de mente B. Ægidij, quod quantitas nova contrariatur antiquæ aliquomodo quantum ad esse. Nam licet maneat quantitas antiqua, adveniente nova, ac non manet in ratione minoris, sed fit major per novam quantitatis adventum.

Dices, Majoritas, & minoritas, sunt relationes, quæ non habent sufficientem contrarietatem ad motum per se: ergo non bene assignamus

contrarietatem in quantitate. Respondemus, quod majoritas, & minoritas sunt relationes; ceterum majus, & minus, non sunt relationes, sed subiecta relata. Sicut similitudo relatio est, ceterum simile est subiectum relatum. Ob id inter majoritatem, & minoritatem non datur contrarietas, aut motus; bene tamen inter majus, & minus. Solutio videtur P. Augustini, qui loco laudato explicans contrarietatem motus localis, dicit: *Loci quoque commutatio, quam transgressionem diximus superiorum, & inferiorum contrarietatem patitur: & propterea eam quoque habere contraria, apparet.* En inferioritas, & superioritas, quæ sunt relationes, non habent contrarietatem. Ceterum locus superior, & inferior contrariantur, quia non sunt relationes, sed subiecta relata.

Dices. Quantitas terminat motum ratione majoritatis, & minoritatis: sed hæc non sunt essentialia quantitati, sed accidentalia; non enim differunt essentialiter quantitas major à minori: ergo quantitas non terminat motum per se, sed per accidens. Respondemus, quod licet dicta non diversificent essentialiter quantitatẽ, sunt tamen ita propria quantitati, ut essentialiter diversificent motus terminatos ad quantitatem, ut sunt motus augmentacionis, & diminutionis, qui differunt essentialiter. Sic apud contrarios motus intensiõis, & remissionis in qualitate, sunt specie distincti, & per se conveniunt quantitati: & tamen conve-

conveniunt quantitati ratione intensiõis, & remissionis, quæ sunt accidentia qualitatis, cum qualitas intensa, & remissa, non differant essentialiter, sed accidentaliter.

18 Argues 2. Idem in generatione totali non acquiritur quantitas cum motu, quia acquiritur simul cum substantia viventis: sed in augmento, & aggeneratione acquiritur etiam quantitas cum substantia: ergo in augmento quantitas non terminat motum per se. Respondemus, quod aliter, & aliter acquiritur quantitas in generatione, & augmento. In generatione per se intenditur substantia; unde generatio primò terminatur ad substantiam, & secundariò ad quantitatem. Hinc actio illa est instantanea, & sine motu. At in augmento intenditur quantitas primariò, quia finis augmenti est facere majus subiectum vivens; fit autem majus per additionem novæ quantitatis. Hinc augmentum, est actio primariò terminata ad quantitatem, & sic successiva, & cum motu.

Colliges, quod quantitas in generatione totali fit indivisibiliter, & in instanti; quia fit actione propria substantiæ, quæ indivisibilis, & instantanea est. At in augmento, substantia, quæ fit simul cum quantitate, & ratione ejus, fit successivè, & paulatim. Hoc explicatur in extensione locali. Nam substantia ex se indivisibilis, dum tamen est in loco ratione quantitatis, tunc est modo extenso, & divisibili, ut patet in nobis. At quantitas ex se extensa, dum

tamen est alicubi ratione substantiæ, tunc est indivisibiliter, ut patet in quantitate Christi Dñi in Eucharistia, ubi est indivisibiliter, quia est ibi ratione substantiæ indivisibilis. Hoc dic de quantitate. Quando genitum primò generatur, tunc quantitas producitur ratione substantiæ, & sic instantaneè. Dum tamen genitum augetur, substantia producitur ratione quantitatis, & sic successivè, & cum motu.

§ III.

Probatur motus ad qualitatem, verum ad solam tertiam speciem qualitatis.

19 **H**æc conclusio est de mente Arist. & P. Augustini ubi supra num. 15. Probatur per partes. Dicimus 1. non dari motum ad primam speciem qualitatis. Ista est *Habitus, & Dispositio*: sed nota quod in hac specie aliæ qualitates sunt corporeæ, ut sanitas, ægrotudo, quedam spirituales, ut scientia, error, vitium, virtus &c. Rursus qualitates corporeæ aliæ faciunt ad esse, ut sanitas: aliæ ordinantur, & faciunt ad operari, & tales sunt omnes habitus materiales ut ars saltandi &c. Rursus qualitates spirituales primæ speciei, aliæ sunt in intellectu & acquiruntur unico actu; aliæ sunt in voluntate, & acquiruntur multis actibus.

Dicimus, quod qualitates tum

corporea, tum spirituales, quæ faciunt ad operari, possunt terminare motum, sed non terminant de facto. Ratio est, quia in vitio, & virtute dantur conditiones requisitæ ad motum; siquidem contrariantur, & subjectum eorum est ens in actu, & habent latitudinem gradualem; non enim omnes sunt æquè virtuosus, aut vitiosus: ergo qualitates istæ possunt motum per se terminare. At non terminant de facto, quia juxta Arist. & alios Philosophos, solum terminat per se motum terminus ille, qui per se facit ad conservationem, vel corruptionem subjecti: sed virtus, & vitium, nec conservant compositum substantiale ex materia, & forma, nec destrunt: ergo de facto non terminant motum.

Circa qualitates, quæ faciunt ad esse v. g. sanitas, ægritudo, pulchritudo, deformitas &c. dicendum, eas non terminare per se motum. Sic Philosophus lib. 7. seq. Ratio est, nam sanitas est debita qualitatum temperies: ergo potius datur motus, quando aliqua qualitas alteratur à debito ordine; non autem dum in sanitate omnes ordinatæ sunt. Similiter pulchritudo est debita membrorum proportio, & accidentium compositi: ergo non terminat motum, sed potius motus datur ad accidentia illa, in quorum debita dispositione consistit pulchritudo.

Ad secundam speciem qualitatis, quæ est naturalis potentia, vel impotentia, non datur per se motus. Probatur. Nam potentia illa producitur

simul cum tota natura substantiæ, & per generationem totalem: sed supra dictum est, quod nec quantitas in generatione totali producitur per motum: ergo nec secunda species qualitatis ob eandem rationem. Hinc dicitur quod non est motus ad asperum, lenem, durum, mole &c. sed intellige quando sunt accidentia concomitantia substantiam per modum proprietatis ejus, & ideò congenita substantiæ in generatione totali.

20 Tertia species qualitatis est *Passio & passibilis qualitas*. Istæ aliæ sunt materiales, & sunt illæ quæ sensibus percipiuntur, ut calor, lumen, color &c. aliæ sunt spirituales, ut ira, gaudium, tristitia &c. Istæ licet revera non sint spirituales, cum pertineant ad portionem animale[m] hominis; dicantur spirituales quia non percipiuntur sensibus externis, & pendent à motione voluntatis.

Dicimus ergo quod ad passibiles qualitates spirituales non datur motus. Probatur ex Philosopho lib. 7. sequente ubi dicit dari motum ad tertiam speciem qualitatis, dummodo illa spiritualis non sit. Nec obstat quod aliquando ira nascitur ex motu, v. g. ex ascensione sanguinis ad cor. Nam tunc non causatur ira per se ex tali motu, sed ab appetitu, vel ab aliquo ejus actu, qui non est motus physicus, sed spiritualis mutatio.

Dicimus 2. Qualitates sensibiles tertiæ speciei terminare motum per se; sed non omnes. Nam lumen est qualitas perceptibilis sensu; & tamen non terminat motum, quia non habet

bet contrarium: unde imitatur qualitates spirituales quoad esse, & produci. Ad reliquas est motus per se, sive sint qualitates primæ, ut calor, frigus, siccitas, humiditas; sive secundæ, ut calores, odores, sapes, &c. Omnes istæ terminant motum per se, nam omnes habent conditiones, ad motum requisitas, ut patet ex dictis.

21 Dices. Ad sanitatem non datur motus, quia supponit qualitates primas, in quarum temperie consistit sanitas: sed etiam colores, sapes, & odores, supponunt primas qualitates, & in eis consistunt: ergo non terminant motum per se. Respondemus disparitatem esse, quod sanitas non est quid distinctum à qualitatibus primis temperatis. At secundæ qualitates, v. g. color, quid distinctum est, & sic petens essentialiter fieri motu distincto à productione primarum qualitatum; qui motus distinctus est motus mixtionis. Unde si frigori misceas calorem, prevalente frigore fit albedo, vincente calore, nigredo.

Nota, quod sonus est qualitas sensibilis, terminans motum. Sed motus ille non est alterationis per mixtionem qualitatum, sed est motus localis. Nam sonus est aeris repercussio à corpore impellente proveniens. Unde ex motu linguæ vel ex repercussione durorum, quæ violenter expellunt aerem intermedium, oritur sonus.

22 Quarta species qualitatis est *Forma, & figura*. Hæc non terminat motum. Probatur. Nam terminus

motus debet habere latitudinem gradualem: sed figura non habet illam, quia est indivisibilis, sicut numerus, à quo si demas aliquid, vel addas, jam non manet idem: ergo &c. Preterea. Figura non intenditur per se à motu, sed est terminus quantitatis, resultans ex ultimis superficiebus, quæ fiunt per augmentum. Ergo patet de primo ad ultimum, quod solum datur motus per se ad tertiam speciem qualitatis.

23 Objicies. Tertia species solum terminat motum ratione intensificationis, & remissionis: sed hæc non conveniunt essentialiter qualitati, nec distinguunt specificè illam, cum qualitas intensa, & remissa, sint ejusdem speciei: ergo per se non terminat motum, sed per accidens.

Confirmatur 1. Ad secundam, & quartam speciem qualitatis datur contrarietas: ergo & motus. Probatur antecedens. Nam potentia robusta contrariatur infirmæ. Insuper figura recta contrariatur curvæ. Confirmatur 2. Calor in igne est perfectissimus: & tamen in igne non terminat motum: ergo nec in aliis subjectis.

Ad argum. respondemus, quod intensio, & remissio non sunt differentie essentialis qualitatis quoad esse, ut probat argumentum. At respectu qualitatis, ut terminantis motum, sunt differentie essentialis diversificantes motum, & qualitatem ipsam in ratione termini formaliter motus: sic primus gradus caloris, recepti in aqua, est terminus alterationis, reliqui gradus sunt termini intensio[n]is.

Illinet dum deperduntur, sunt termini remissionis. Hinc fit ut idē calor quoad entitatem, sit formaliter diversus in ratione termini, & ad illam terminentur tres motus essentialiter diversi, scilicet *alteratio, intensio, & remissio*.

Ad 1. confirmationem jam dictum est supra, quod figura resultat ex augmento ultimæ superficiæ: & sic non terminat per se motum. Potentia autem fit simul cum natura in generatione totali; & ideo non terminat motum, ut de quantitate dictum est. Ad 2. confirmationem dic, calorem ignis fieri generatione totali simul cum substantia ignis, & ad modum substantiæ, quare non fit successivè, & cum motu, sed in instanti. In reliquis subjectis non sic, quare in eis terminat motum per se.

§ V.

Probatum motum ad ubi, & quod non datur ad reliqua Prædicamenta.

24 **C**onclusio ista est communis, & de mente P. Augustini ubi supra n. 15. Quod autem ad *ubi* sit motus, patet oculariter ex motu locali. Hic motus strictus est, & terminatur ad *ubi*: ergo ad *ubi* datur motus per se. Dices. Ad relationē juxta Philosophum non datur per se motus: sed *ubi* est relatio: ergo ad *ubi* non datur per se motus. Confirmatur 1. Motus cœli non habet contrarium; sed motus il-

le est localis: ergo licet ad *ubi* datur motus, non tamen motus, per se, qui petit contrarietatem. Confirmatur 2. Mobile debet esse partim in termino à quo, & partim in termino ad quem: sed hoc implicat in motu locali; quia implicat idem esse simul sursum, & deorsum: ergo quia motus localis strictus non est.

Respondemus Philosophum negare motum ad relationem, quæ est pura relatio. At ubicatio non dicit purum ordinem, sed rem sub ordine, ut reliqua sex ultima prædicamenta. Ad 1. confirmationem dic, cœlum non moveri localiter, cum non mutet distantiam ad polos mundi, unde non movetur secundum totum; sed quiescente secundum totum, movetur, secundum partes, & sic circulariter. Nostri conclusio est de motu locali secundum totum, & terminato ad novum *ubi*. Ad 2. dic, quod spatium intermedium, quod decurrit mobile, habet partem de termino à quo, & partem de termino ad quem. Et licet res non possit esse simul sursum, & deorsum; bene partim utrobique; quia potest esse in in spatio intermedio, quod participat de utroque.

25 Dicimus secundo. Ad substantiam non est per se motus. Probatum. Nam substantia non habet contrarium, ut supra, & in Logica sæpè dictum est. Rursus, Substantia ex se est indivisibilis: ergo ex se non fit successivè, sed in instanti. Dices. In augmento viventis acquiritur substantia successivè; ergo tunc terminat

nat motum. Respondemus quod in augmento substantia fit ratione quantitatis, quæ primariò intenditur per augmentationem; quare non terminat motum per se, sed ratione quantitatis.

Dicimus tertio. Ad relationem non datur per se motus. Probatum 1. Nam per adventum relationis non mutatur fundamentum, ut in Logica dictum est: ergo quia nec habet contrarium, nec terminat motum per se. De *actione, & passione*, idem dic cum Philosopho. Nam actio est motus, ut libro 3. dictum est: sed ad motum non datur motus; quia esset processus in infinitum: ergo nec ad actionem, & passionem. De *Quando* idem dic. Nam *quando* est idem cum tempore: sed tempus non terminat motum, sed est mensura motus: ergo nec *quando*. Rursus. Tempus non distinguitur à motu primi mobilis; sed ad motum non datur motus: ergo nec ad *quando*, & tempus.

De *situ* est major difficultas, quia videtur quod stare, aut sedere, sit cum motu. Sed dicendum non terminat motum per se. Nam *situs* resultat ex motu locali terminato ad *ubi*: ergo solum secundariò terminat motum, non primò, & per se.

De *habitu* idem dic. Nam esse vestitum, aut calceatum, est quid accidentale artificiale; & sic solum terminat motum artificiosum: sed hic non est quæstio de motu artificiali, sed naturali: ergo de illo verum est, quod *habitus* non terminat motum per se. Quare ex omnibus con-

stat vera Philosophi doctrina, docentis solum dari motum per se ad quantitatem, qualitatem, & ubi.

§ VI.

Solvuntur fundamenta contraria.

26

Restat solvere fundamenta posita à n. 6. contra communem sententiam. Ad primum respondeo, quod licet substantia in sententia aliquorum habeat partes ratione sui independentes à quantitate, aliter tamen, ac quantitas. Nam quantitas sic habet partes, ut eis faciat extensionem jam majorem, jam minorem. Substantia non sic, quæ licet partes habeat, natura distinctas, non tamen extensas; nec eis facit jam majus, jam minus ratione sui; sed ratione quantitatis. Dicitur enim in ea sententia habere partes distinctas distinctione opposita identitati, quia una non est alia; sed non distinctione opposita confusione; cum una non sit extra locum alterius, nisi ratione solius quantitatis. Cumque substantia ratione sui non sit major, aut minor, sed ratione quantitatis; ideo ratione hujus substantia terminat motum augmenti, & diminutionis; secus ratione sui. Hæc dixerim admittente sententia, sed in nostra fallam supponit argumentum, ut patet ex dictis in Logica lib. 6.

Ad 1. confirmationem dic, quod nutritio ex natura sua non est motus; quia ex natura sua non est actio successi-

cessiva, nec ex meritis substantiæ ad quam terminatur. Est quidem successiva ratione alterationis, cui est adjuncta. Nutritur vivens, substantia acquisita; ceterum cum ad hoc ut substantia alimenti convertatur in substantiam aliti, sit necessarium quod calor naturalis decoquat alimentum; & coctio ista sit alteratio qualitatum medio calore; idè nutritio habet sibi adjunctam hanc actionem alterativam, quæ motus est successivus, terminatus ad qualitatem: ratione hujus alterationis adjunctæ habet nutritio esse successivam; sicut de augmentatione dictum est, quod substantia paulatim acquiritur ratione quantitatis adjunctæ. Quare sicut in augmento datur motus per se ad quantitatem, & per accidens ad substantiam; sic in nutritione datur per se motus ad qualitatem, & per accidens ad substantiam.

72 Ad 2. confirmationem admitto quod forma lacertæ, quæ est realiter divisibilis, potest deperdi paulatim, & successivè; & idem de forma ligni, dum comburitur. At totum hoc non evenit ex meritis substantiæ, sed ex alteratione adjuncta qualitatum formæ, quæ deperditur. Ignis suam formam introducit medio calore, & alterat humidum radicale ligni, usque dum illud destruit. Et cum humidum illud sit qualitas, quæ paulatim deperditur, & per motum alterationis; idè paulatim inducitur forma ignis in ligno, constat hoc, quia citius ignis accendit stupam, quam lignum, non

alia ratione, nisi quia humidum, stupæ minus resistit; etiam nullum esset humidum resistens, ignis introderetur in instanti. Sic dic de forma cadaverica, quæ inducitur media alteratione, qua destruuntur qualitates viventis. Ergo per accidens formæ substantiales successivè inducuntur, nempe ratione adjunctæ alterationis.

Ad 3. dic quod substantia non habet contrarium, sed contradictorium; & idè non terminat motum per se, sed mutationem. Quantitas autem non habet contrarium strictum, sicut qualitas, quia calor expellit frigus, secus nova quantitas antiqua, cum qua facit extensionem majorem. At quia quantitas pueri dum crescit in virum per motum augmentationis, non manet in ratione minoris; idè habet contrarium penes majoritatem, qua excluditur minoritas, & ut ait Apostolus *evacuatur quæ erant parvuli*. Hoc sufficit ad motum per se in quantitate, ut dictum est num. 17.

Ad ultimum dic quod motus est actus entis in potentia, secundum quod in potentia, idè relinquens subjectum in potentia ad ulteriorem actum, ut lib. 3. explicatum est. At forma substantialis plene actuat potentiam materiæ, nec relinquit eam in potentia ad aliam formam substantialem, quare dicitur *actus perfecti*, idè actus subjecti plene actuati, & non manentis in potentia ad novam actualitatem.

28 Ad fundamenta pro relatione,

tionem, posita num. 7. Respondemus negando in relatione condiciones ad motum. Dantur prima, & secunda; sed deficit tertia, nempe latitudo gradualis successivè transcurrenda. Et dum arguens id probare conatur, ex quo etiam similitudo acquiritur successivè. Respondeo, quod id non habet, similitudo ratione sui, & ut relatio est, sed ratione qualitatis, in qua fundatur, quæ acquiritur successivè. Unde ad relationem non datur motus per se, sed per accidens ratione fundamenti. Ita dictum est inter arguendum.

Ad replicam ibidem positam contra hoc, dic quod diminuta albedine, unius extremi crescit similitudo, non per motum augmentationis ex se terminatum ad relationem, sed per accidens terminatum, & ratione alterius, nempe fundamenti. Probat. Nam quod similitudo habeat gradus, quibus sit major, vel minor, non habet ex conceptu relationis, quia relatio, ut talis non est major, aut minor, nec magis aut minus intensa; ergo id habet similitudo, quia fundatur in qualitate, habente gradus: ergo incrementum similitudinis non cõvenit per se relationi sed per accidens, & sic ratione fundamenti terminat motum, non per se.

Adde, quod si qualitas fiat, aut minuatur sine motu, crescit, aut minuitur relatio in instanti, & sine motu: ergo incrementum, & successio similitudinis, non habetur ab ea, ut relatio est, sed per accidens, & ratione fundamenti. Crescit similitudo

do diminuta albedine, quia similitudo nova resultat in gradu albedinis, quæ antea erat tantum in specie albi. Hinc probatur, quod novum resultans, non est entitas aut modus, qui resultare nequit ex actione merè destructiva entitatis, aut gradus; sed est quidditas, ut in Logica dictum est.

Ad ultimum dic juxta Thomam relationem distingui à fundamenti, sed non habere condiciones requisitas ad motum, sed tantum per accidens ratione fundamenti. In nostris principiis est quidditas distincta. Sed nulla quidditas mera potest motum terminare, quia minus immutat quam modus. Admissa plena identitate relationis cum fundamento, inde probatur solum, quod dato motu ad alia prædicamenta, datur etiam materialiter, & identicè ad relationem, non formaliter, & per se.

29 Ad dicta num. 9. pro actione, & passione, respondemus, optimè ad illas negari motum per se ex illo principio *Ad unam actionem non datur alia*. Quare restat solvere instantias contra hoc positas. Ad 1. concedo quod actio immanens Dei causat actiones nostras; unde ad actionem nostram datur actio Dei. Ceterum non est contra illud principium, quod intelligitur de eodem agente, idè quod Petrus non causet suam actionem media alia actione Petri. Sic intelligitur à Philosopho, qui non negat, quod actiones inferioris principij sint effectus, & terminus actionis agentis superioris. Vide dicta lib. 2. quest.

17. & 18. Et ratio id suadet, quia pro unico agente sufficit una actio, sed non pro duobus; ergo in eodem agente non datur actio ad actionem, bene tamen in diversis agentibus. Hæc dicimus cum communi doctrina. Ceterum juxta nostra principia lib. 3. q. 4. dicendum est, quod etiam in eodem agente datur actio ad actionem, si una sit immanens, & alia transiens.

Id secundam instantiam, dic quod actio imperans & imperata, licet sint in voluntate, quæ est realiter unica potentia, est tamen virtualiter duplex voluntas, quia se habet ut superior præcipiens, & ut subdita obediens, dum sibi præcipit actus imperatos. Quare sub hac distinctione, quæ sunt virtualiter duæ potentia, & duæ agentia, ponitur in voluntate duplex actio, nempe imperium pro voluntate imperante, & executio imperata pro voluntate exequente. Vnde philosophandum est sicut de actione Dei respectu nostrarum actionum. Negat Philosophus ad actionem aliam in eodem agente, quod sit idem tam realiter, quam virtualiter. Instantia est de actionibus in eodem agente realiter, sed distincto virtualiter.

30 Ad 3. instantiam admitto quod apprehensio insit in amore; sed inde nõ inferitur quod detur actio ad actionem in eadem potentia agente, sed in diversis, nempe apprehensio in intellectu, & amor in voluntate. Negamus in hac questione, quod detur actio ad actionem in eadem potentia; quod confirmatur ex ipso exemplo instantia, nam ut voluntas pro-

ducat amore, non indiget alio amore; nec ut intellectus eliciat apprehensionem eget alia apprehensione. Hinc patet ad 4. instantiam. Nam cum imaginativa sit potentia distincta à generativa, indiget actione distincta, ut concurrat ad generationem: quare solum in diversis potentijs datur actio ad actionem.

Ad 5. admitto quod motus celestis, ut actio influens, datur ad motum sublunarium. Sed nil contra nos, qui solum in eodem agente negamus motum dari ad motum, & actionem ad actionem. Instantia ponit motum ad motum, sed in diversis agentibus, Ratio cur id repugnat in eodem agente est, primo, quia si ad actionem datur actio: ergo ad istam alia, & ad hanc altera; & sic proceditur in infinitum. Sed in processu infinito standum est in primis: ergo ad primam actionem non datur alia in eodem agente. Secundo. Quod est ratio formalis respectu aliorum, est ratio formalis respectu sui. Vnde existentia, quæ reddit substantiam existentem, non indiget alia existentia ut existat, sed seipsa existit. Vnio se ipsa unicitur, quia est ratio uniendo alia. Ergo cum actio sit ratio formalis, & activa productio effectus, est etiam activa productio sui: quare non fit per actionem distinctam.

31 Ad secundum fundamentum pro actione, positum num. 10. Respondemus, quod actio est magis, vel minus activa, non ratione sui, sed ratione virtutis, & potentia, cujus est actio. Quare non confortatur actio, sed

sed virtus, à qua oritur; nam à virtute robusta, egreditur robusta, & fortis actio. Ergo cum actio ratione sui non habeat magis, & minus, deficit actioni latitudo gradualis, ad motum requisita. Contrarietas inter actionem calefactivam, & frigidativam, non convenit eis ex se, sed ratione principij, nempe caloris, & frigoris à quo procedunt, & ratione termini, quem producant. Quare actiones tales non terminant motum per se, sed sunt motus alterationis, terminati ad qualitatem.

Ad ultimum pro actione: dic quod si actio consistit in dependentia effectus à causa, tunc actio est relatio, de qua diximus non terminare motum per se. Et licet dependentia suscipiat magis, & minus; id non habet ratione sui, sed ratione fundamenti scilicet entitatis dependentis. Si tamen actio consistit in causalitate, & exercitio agentis, fateor ejus activitatem interdum majorem esse, interdum minorem: sed neutrum habet ratione sui, sed ratione virtutis, & potentia à qua egreditur: quare ratione sui non terminat motum, nec potest.

32 Ad fundamenta pro situ, posita num. 11. Respondet Philosophus negare motum ad situm, quia eodem motu, quo mobile primario acquiritur ubi, obinet secundario situm regulariter loquendo. In casu tamen argumenti corpus illud mutaretur situm, sed non ubi. Ceterum dicendum quod motus ille non esset pro toto locato, sed pro ejus partibus, quæ moverentur.

tur, & toti essent motus, quot partes motæ. Isti motus terminantur per se ad ubi; quia acquirunt pro singularibus partibus distinctas ubicationes partiales, quæ relatæ ad totum quiescens, constituunt diversum situm. Situs iste non est terminus per se, & primarius motus partium: sed secundarius, & quid resultans. Nam per motum illum, qui motus est relatæ ad partes acquiritur primario multiplex ubicatio partium; & inde resultat novus situs relatæ ad totum, quod quiescit.

Hinc patet ad confirmat. Nam in motu circulari corpus non movetur secundum totum, sed secundum partes; sed relatæ ad partes acquiritur novus, & multiplex ubi, non tamen situs, qui est tantum relatæ ad totum, quod quiescit: ergo revera ex motu circulari probatur, quod ad ubi datur motus, non tamen ad situm. Patet consequentia. Quia in motu circulari mobile non est totum, sed partes; at situs non est pro partibus motis, sed pro toto immoto; partes enim motæ acquirunt motu novas ubicationes: ergo ex circulatione probatur, quod motus terminatur ad ubi, non tamen ad situm.

33 Ad fundamentum pro duratione, posita num. 12. dicimus quod Quando & duratio creaturæ non habet magis, & minus ratione sui, sed ratione fundamenti aut termini. Est ergo duratio relatio coexistentia rei ad tempus, quare fundatur supra existentiam creaturæ, & terminatur ad tempus mensurans durationem.

creatam. Si feruo est de duracione rei permanentis, tunc magis, & minus sumitur à termino, non à fundamento. Ratio est, quia existentia rei permanentis est indivisibilis, unde caret partibus, & successione, quibus jam sit major, & minor; dicitur tamen major aut minor, quia coexistit majori, vel minori tempori: quare à termino coexistentiæ denominatur. Res autem successivæ, ut tempus, & motus, dicuntur magis vel minus durare ratione fundamenti, nempe ratione existentie successivæ temporis, & motus. Vide *Quando* ratione sui, & independenter à fundamento, & termino, non suscipit magis, & minus, quare nec motum terminat per se.

Ad 2. dic solutionem ibi datam inter arguendum esse sufficientem; sic bene impugnari. Nam licet ad motus sublunares detur motus celestis, isti duo motus non sunt in eodem agente, sed in diversis, & sic distantibus quantum cælum distat à sublunariibus. Si tamen ad *Quando* daretur motus, daretur motus ad tempus, & sic motus ad motum in eodem agente, quod falsum est, ut patet ex dictis.

34 Ad dicta num. 13. pro *Habitu*, dic quod licet vestis sit interdum

magis, vel minus conformis corpori; at hæc conformitas totaliter debetur arti, & non naturæ, quare ly magis, & minus conformitatis, deferretur pro motu artificiali, non pro naturali, de quo est questio. Hæc solutio ibi data est, sed quia ibi impugnata, ideo.

Ad 1. impugnationem resp. quod dealbatio parietis non est merè artificialis, sed partim naturalis, partim artificialis. Naturalis, quia calx ex se habet naturalem vim dealbandi per juxtapositionem. Est artificialis quoad motum localem, quo calx applicatur parieti, quia ad talem motum non est virtus naturalis in calce.

Similiter alteratio simplicium, facta à Chemicis est naturalis, & artificialis: artificialis quatenus pharmacopola applicat activa passivis: naturalis, quatenus semel applicata, nunquodque per suam naturam in aliud operatur. Sic dicitur *Ars* efficere opera nature, ut *Chimica* aurum, applicando activa passivis. Isti motus sunt partim naturales & partim artificiosi, quare de eis, & effectibus eorum tractat Philosophus, & est questio præfens. Conformitas vestis cum corpore plenè artificiosa est: unde *habitus* non terminat motum, de quo disputamus nunc.

QUESTIO II.

Vnde motus sumat suam unitatem?

§ I.

Traditur principium unitatis numerica motus.

NON est questio de motu in omni latitudine, ut comprehendit omnes actiones, etiam instantaneas, de quo egimus lib. 3. quest. 1. & 2. Quare non querimus hic principium intrinsecum, aut extrinsecum unitatis specificæ, & numericæ; actionis immanentis, aut transeuntis instantaneæ; de quo, Deo favente, tomo sequenti, ubi sermo erit de specificativo intrinsecum, & extrinsecum potentiarum, & actionum. Est ergo disputatio præfens de motu stricto, de quo lib. 3. quest. 2. §. 2. dictum est, esse modum realiter distinctum à termino. De hoc modo, aut motu in eo consistente querimus unde sumat unitatem: & primò inquirimus de numerica.

Sententia Aristotelis docet sumi ab unitate mobilis, unitate termini motus, & unitate temporis. Sic Philosophus hic text. 34. ubi numerans requisita ad unitatem numericam motus, dicit esse tria, nempe *Quod, in quo, & quando*. Hoc explicans ibi B. Egidius dicit: *Quod movetur, id est mobile: in quo movetur id est res acquisita per motum: & quando movetur id est tempus*. Eandem sententiam docet hic D. Thomas, &

colligitur ex P. Augustino locis datis, & dandis pro unitate specifica motus: & est communis omnium doctrina cum Arist.

Ratio communis probat hoc singillatim. De unitate mobilis sic. Quia motus, ut de eo nunc, est accidens, & inter accidentia computatur, & ratione termini ponitur in prædicamento quantitatis, qualitatis, & ubi, ut dictum est quest. præcedente. Sed unitas numerica accidentis non stat sine unitate subjecti; subjectum autem receptivum motus, est mobile: ergo unitas numerica motus sumitur extrinsecè, & ut à signo, ab unitate numerica mobilis.

De unitate termini sic. Motus, qui non est continuus, non est unus numero, sed multiplex, si discontinuatur: sed si motus non est ad eundem terminum, non est continuus, quia respectu diversorum terminorum, versantur motus distincti: ergo motus ad sui unitatem numericam petit unitatem termini.

De tempore sic. Si tempus motus non est unus, motus cessabit, quæ te interposita: sed interposita quiete, jam motus discontinuatur, & non manet unus, sed duplex: ergo ad

unitatem numericam motus, requiritur unitas temporis.

Major est difficultas de unitate motoris, an requiratur ad unitatem motus? Negat Soto hic. Primum quia in definitione motus non ponitur motor, nec ejus meminit hic Arist. Secundum. Quia si formica moveret granum usque ad certum locum, & tunc in eadem missione altera formica in eadem moveret granum usque ad foveam, motus ille esset unus, & continuus; nec tamen esset unus motor sed duplex. Tertium ex Ioann. a S. Thoma hic q. 19. art. 4. dum plures simul trahunt eandem navim, motores sunt plures; & tamen motus unicus est; ergo unitas motus non pendet ex unitate principij, aut motoris.

Contrarium docent Complutenses disp. 23. & Conimbric. cap. 4. q. 5. art. 1. quos sequitur Prado hic, & teste Rubio, est sententia jam ferè communis. Traditur ab Arist. 8. Physic. text. 49. ubi D. Thomas ait: *Ad hoc, quod motus sit unus, necesse est, quod sit ab uno movente, & unius mobilis. Si verò sit aliud, & aliud movens non erit totus motus continuus, sed consequenter se habens.* Ad idem B. Ægid. ibi: *ostendit (Philosophus) quod si unum est tale movens primum, erit unum tale perpetuum motum; si verò plura, erunt plura perpetua.*

3. Hoc dubium solvitur ex Arist. lib. 2. q. 21. ubi disputatum est, an idem numero effectus possit procedere à duplici causa? Eadem est ratio de motu, quia motus est quasi effectus motoris, aut saltem, est ve-

luti actio respectu agentis. Sed ibi dictum est, quod idem effectus naturaliter procedit à duplici causa subordinata, & diversi ordinis; & quod divisivè potest procedere à duplici totali ejusdem ordinis; & quod simul à duplici inadæquata: ergo idem de motu. Quare unitas motus, sicut unitas numerica effectus non pendet ab unitate causæ, & motoris entitativè, & materialiter sumpta; bene tamen ab unitate causæ formaliter sumpta. Quo fit ut effectus sublunaris sit unus, licet sit à Deo, à sole & ab agente sublunari; quia vi subordinationis sunt unica causa formaliter, licet materialiter, & entitativè sint tria.

Hinc forsitan conciliantur sententiæ positæ. Nam prima est vera de unitate entitativa causæ, quæ non petitur ad unitatem effectus, ut dictum est: ergo nec ad unitatem motus. Secunda est vera de unitate formali, & adæquata causæ, quæ probatur necessaria ad unitatem motus; ex dictis loco citato de unitate causæ ad unitatem effectus.

Ad fundam. primæ sent. dic. Arist. non meminisse hic de motore; & causa motus, quia agit de motu; ut distincto ab actione, & termino motus: unitas causæ est requisita ad motum sub hac distinctione, sed æquè requiritur ad actionem, & terminum. De motu sub ratione communi actionis, & termino, agit lib. 8. text. 49. & 83. & ibi assignat unitatem motoris requisitam ad unitatem motus.

Ad 2. dic. quod illæ formicæ in nostris

nostris principijs sunt distinctæ entitativè, & materialiter, sed non formaliter in esse causæ, & virtutis, cum contineant eòsdem effectus, ut ostensum est lib. 2. quæst. 21. Ob id motus est unus, quia causa in esse causæ una est. Ad 3. dic. eos trahentes esse plures entitativè, sed per attemperationem fieri unum in esse causæ, & ob id causant eundem motum.

4. Contra præcipuum assertum argues. Canis vivus de turre cadens, si in aere suffocatus moriatur, unico motu cadit: sed tunc mobile non esset idem; quia mobile in initio motus est vivens, in fine autem est cadaver: ergo ad unitatem motus non requiritur unitas mobilis.

Prado & omnes, qui tenent dari resolutionem usque ad materiam primam, & quod subjectum omnium accidentium est compositum substantiale, negant in casu hujus argumenti quod motus sit unus. Vnde docent esse duos, & contiguos. Solutio est difficilis, quia motus ille nequit esse duplex, nisi discontinuetur; nulla tunc interponitur quies, discontinuatur motum; unde unicus est. Imò inde probatur hoc accidens non recipi in toto composito; alioquin transfret de subjecto in subjectum, quod est impossibile.

Melius forsitan solvitur ex nostris principijs, datis lib. 2. quæst. 8. § 3. ubi diximus accidentia quæ sunt in composito ratione materiæ, perseverare eadem in genito; & corrupto, ut quantitas, figura &c. Quare cum canis sit mobilis ratione mate-

riæ quantæ, & quantitas eadem sit in cane vivo, & mortuo, manet tunc idem mobile, & sic est idem motus.

5. Argues 2. contra unitatem termini. Lapis per aerem cadens in aquam, unico motu cadit: sed terminus hujus motus non est unus, sed duo: ergo ad unitatem motus non requiritur unitas termini. Probatur minor. Terminus motus localis est ubi, aut locus: sed tunc loca sunt plura nempe aer, & aqua: ergo.

Respondetur superficies aeris, & aquæ, esse diversas materialiter in esse entis, sed non formaliter in esse loci; quia respectu locati materialiter se habet quod ab hoc, vel illo corpore ambiatur, dummodo circumscribatur cum relatione distantia ad polos, ut lib. 4. dictum est quæst. 14.

6. Argues 3. contra tempus. Tempus est duratio motus; quare sumit à motu suam unitatem numericam; ergo hanc unitatem non sumit motus à tempore. Patet consequentia quia si sic, daretur circulus pro unitate motus, & temporis. Confirmatur. Nam vel hic sumitur tempus pro motu primi mobilis, vel pro motu inferiorum. Si primum? Ergo cum ille sit unicus numero; non poterit ab eo sumi unitas numerica omnium motuum inferiorum. Si secundum? Ergo respondetur idem per idem, nam dicendo motus est unus, quia tempus est unum; est dicere motus est unus, quia motus est unus.

Respondemus, quod tempus propriè est duratio motus primi mobilis;

bilis : unde dum motus sablunarium sumunt unitatem à tempore, non datur circulus, quia tempus non sumit unitatem à motu inferiorum, sed à motu primi mobilis. Dum autem tempus comparatur cum motu primi mobilis, datur circulus pro utriusque unitate, sed non vitiosus, quia non est in eodem genere causæ, sed in diverso, quia motus sumit unitatem à tempore, ut causa formali extrinseca, qua mensuratur: tempus autem unitatem sumit à motu, ut à causa materiali, cum tempus pro materiali sit motus, & pro formali numerus, ut lib. 4. dictum est. Nec inconuenit quòd ab unico motu cœlesti omnes alij motus sumant unitatem; imò petitur unitas motus cœlestis, ut ab ea, veluti à fixo principio mensurante, alij motus habeant suas unitates mensuratas. Ab unica materia non possunt diversæ unitates sumi, quia materia est principium intrinsecum: possent, si esset principium tantum extrinsecum. Talis est motus cœlestis relatè ad inferiores.

§ II.

Declaratur principium specificæ unitatis motus.

7 **E**X dictis pro unitate numerica motus, patet quæstionem de unitate specificæ ejusdem non esse de principio formali, aut de effectivo unitatis. Omnis enim differentia specificæ, & essentialis rei, est principium formale ejusdem, sicut

causa efficiens entitatem, causat quid, quid in ea est; unde causat ejus unitatem specificam, & numericam. Hinc principium effectivum utriusque unitatis motus, est motor, principium autem formale est differentia specificæ, & individualis motus. Dubium est de principio extrinseco unitatis, à quo, veluti à signo colligitur distinctio specificæ motuum, & unitas specificæ motus.

In motu datur terminus à quo, terminus ad quem, & modus tendendi ab uno in alium. Hinc ortæ sententiæ diversæ. Prima asserit unitatem specificam motus sumi ab utroque termino. Sic ex nostris Barlaeus, Saxonia, & Landon, citati à Villanova. Accendunt Complutenses hinc q. 1. §. 2. Moneda, & alij. Secunda negat motum specificari à termino à quo. Concedens specificari à termino ad quem, & à medio aut modo tendendi. Sic B. Ægidius hinc lect. 1. text. 5. & lect. 8. text. 48. & in 1. Sent. dist. 13. q. 1. art. 2. quem sequuntur Gerardus, Venetus, Veracrucius, Lusitanus, Bonierva, & Villanova. Accedunt cum D. Thoma hinc lect. 6. & 1. p. q. 23. art. 1. ad 3. Thomistæ communiter, & est ad eòdè cõmunis, ut ex Soto dicat Prado non esse necessarium producere testes pro thesi evidente. Eandem sententiam tenuit cum Arist. M. P. August. locis datis quæst. præcedente, ubi motus augmentationis, alterationis, & transgressionis distinguit penes quantitatem, qualitatem & ubi, quæ sunt termini ad quem motus.

8 Probatur 1. Quia differentia specificæ sumitur à forma: sed solus terminus ad quem, se habet ut forma extrinseca motus: ergo à termino ad quem, non verò à quo, sumitur unitas specificæ motus. Probatur minor. Nam motus est actus incompletus, & vialis, ut lib. 3. dictum est; unde est via ad perfectionem termini ad quem, quo completur: sed quod complet est forma: ergo &c.

Confirmatur, juxta Arist. hinc text. 3. omnes dealbationes sunt ejusdem speciei, quia omnes terminantur in eadem specificæ albedine: at non omnes dealbationes fiunt ex eodem termino à quo, nam paries interdum ex rubro fit albus, interdum ex fusco, vel ex nigro: ergo quia unitas specificæ motus non sumitur à termino à quo, sed à termino ad quem.

Jam verò quòd unitas motus pendeat à medio, probatur ex Arist. & Commentatoribus sic. Motus rectus, & motus circularis sunt specie distincti: & tamen terminari possunt ad idem ubi: ergo tales motus non differunt ratione termini ad quem, sed ratione spatij intermedij, aut modi tendendi, quia unus tendit linea recta, alter linea curva.

9 Observa, quòd in solo motu locali hoc est verum, non in motibus alijs. Quòd si quæras rationem; respondemus cum B. Ægid. motum differre ratione distantia. In quãtitate, & qualitate semper motus habet eandem distantiam, si terminatur ad eandem qualitatem aut quantitatem, secus in

motu ad ubi. Nã corpus distans à loco, si movetur linea recta minus distat, quàm circulando per lineam curvã. Observa etiam, quòd tota ratio distinguendi motus potest salvari in solo termino ad quem, etiam loquendo de motu ad ubi. Nam in casu motus per lineas rectam, & curvã, terminus ad quem est unus materialiter, sed formaliter est diversus; quia ex modo tendendi inspicitur, ut magis, & minus distans. Unde à diversitate formali terminorum diversificantur illi motus.

Tandem dicimus, quòd à termino à quo sumitur in motu unitas genericæ. Ita B. Ægid. hinc lect. 8. text. 49. Probatur. Nam motus divisibilis in varias species augmentationis, diminutionis, alterationis, & transgressionis, genere differt à mutationibus instataneis; & sic differt, quia istæ fiunt in instanti, motus autem in tempore, & per durationem, & quantitatem continuam. Sed quòd motus habeat quantitatem, & durationem continuam, provenit ex termino à quo: ergo motus habet à termino à quo unitatem genericæ. Probatur minor. Quòd forma acquiritur paulatim, & successivè nascitur ex resistentia passivi, aut subjecti mobilis: sed quòd aqua v. g. resistat calori inducto per motum, oritur ex frigiditate ejus, quæ est terminus à quo: ergo &c.

Hinc habes quòd omnia quæ in motu concurrunt necessaria sunt pro illius unitate: terminus à quo pro unitate genericæ; terminus ad quem pro

pro specifica, & ob id dicitur quod motus specificatur à termino, & quod spectat ad prædicamentum sui termini. Spatium medium pro distinctione specifica, aut motus, aut termini formali motus, sed non semper; ut notatum est. Subiectum autem mobile, terminus, & tempus, pro unitate numerica, & individuali.

10 Argues pro sententia contraria. Augmentatio, & diminutio sunt motus specificè distincti: at illi possunt esse ad eundem terminum ad quem: ergo eorum distinctio sumitur à termino à quo. Probatur minor. Sume duas quantitates bipalmaré, & quadripalmaré, hanc minue, & illam auge, utraque remanebit tripalmaris; quare ad eadé quantitatem tripalmaré terminabitur uterque motus augmentationis, & diminutionis.

Confirmatur. Motus ab albo in fuscum, & à nigro in fuscum, terminantur ad eundem terminum ad quem, nempe ad fuscum. Et tamen motus illi juxta Arist. hic text. 32. differunt specificè: ergo cum unitate termini ad quem, & sola distinctione termini à quo, stat distinctio specifica motuum.

Confirmatur 2. Pone duos ignes, unum descendente à sphaera ignis usque ad aerem, alium ascendente à terra usque ad idem medium aeréum; illi motus sunt ad idem ubi: & tamen sunt motus specie distincti, quia unus est sursum, alter deorsum: ergo idem.

Confirmatur 3. Demus lapidem, & ignem, à terra ascendentes usque ad concavum Lunæ; illi motus habent eundem terminum ad quem: & tamè sunt motus specie distincti, quia

in lapide motus sursum est violentus, in igne levissimo est naturalis: ergo distinctio specifica non sumitur à termino ad quem.

Huic argumento respondent DD. nostræ sententiæ motus illos terminari ad eundem terminum materialiter, sed non ad eundem formaliter. Solutio videtur expressa in P. August. lib. 83. quæst. questione 29. ubi motum localem sic dividit: *Cum enim in sex partes motus fieri videatur, qui res dicitur, id est qui circularis non est, in anteriora, & posteriora in dexteriora, & sinisteriora, in superiora, & inferiora, &c.* Ea motus distincti, qui possunt ad eundem terminum esse, si locata variè locentur, nempe sursum, deorsum, dextrorsum, & sinistrorsum &c. & sic posita ad eundem locum moveantur, at tunc locus unicus est materialiter, sed formaliter multiplex, quoniam aliter, & aliter inspicitur à corpore mobili anteriori, aliter à posteriori, & sic de alijs.

Variè explicatur hæc diversitas formalis termini ad quem in casibus hujus argumenti, de quo vide N. Villanovam. Sencio cum eo, quod sicut omni potentiæ passivæ correspondet potentia activa; sic omni rationi formali sub qua terminandi ex parte effectus, correspondet ratio formalis sub qua tendendi ex parte principij. Aliquando diversitas rationis formalis principij cognoscitur ex diversitate rationis formalis terminandi; aliquando è contrarij: & sic est in præsentis argumento, ubi cum terminus sit materialiter unus, oportet pro-

pro distinctione ejus formali recurrere ad diversitatem formale principij.

12 Nobiscum discurrere sic. Modus tendendi augmentationis est querere quantitatem maximam subiecti quod augetur. A contrario diminutio tendit in quantitatem minimam subiecti, quod minuitur. En motus isti ex parte principij habent diversas rationes formales tendendi, satis notas, & sic sunt motus distincti. Inde colligitur, quod in casu argumenti habent terminum formalem distinctum, licet terminentur ad eandem quantitatem tripalmaré. Nam diminutio tripalmaré respicit, ut in ea continetur minima quantitas subiecti. Augmentatio autem ut in ea saltem inadæquatè continetur maxima subiecti quantitas. Supponamus maximam quantitatem esse sexpalmaré, minimam autem esse palmaré. In tripalmaré continetur palmaris, sicut in ternario binarius; continetur etià sexpalmaris, nõ plenè, sed ex parte.

Dum ergo bipalmaris augetur venit ad tripalmaré, ut in ea inadæquatè continetur sexpalmaris, quæ est ultimus terminus augmenti. Dum è contra quadripalmaris minuitur, venit ad tripalmaré, ut in ea continetur palmaris, quæ est ultimus termini diminutionis. Sed quantitas tripalmaris ut contentiva minimi diminutionis, & maximi motus augmenti, est formaliter duplex, & terminat sub diversa ratione formali augmentum, & diminutionem: ergo licet sit idem terminus materialiter, est diversus formaliter.

13 Inde patet ad confirmatio-

nem. Pro qua notata, quod fuscus color est medius inter album, & nigrum; sive quia naturam utriusque extremi participat formaliter, sive solum virtualiter, ut elementa sunt in mixto, de quo alibi. Vide Soncinam lib. 10. Metaphysicæ q. 21. Alteratio ab albo in fuscum, tendit in fuscum, ut contentivum nigri, quod est ultimum in quod potest tendere alteratio ab albo. A contrario, alteratio à nigro in fuscum, tendit in fuscum ut contentivum albi. Quare licet terminentur ad idem fuscum materialiter, non ad idem formaliter, quia fuscum ut contentivum albi, differt à seipso, ut contentivo nigri. Ob id sunt motus specie distincti.

Sic patet ad 2. confirmationem. Locus aeris medius est inadæquatè contentivus superioris, & inferioris. Ignis descendens venit ad locum medium, ut contentivum inferioris; à contrario ignis ascendens venit ad aerem medium, ut contentivum loci supremi. Quare conveniunt motus illi in termino materiali, sed differunt in termino formali. Et ab eo sic, sumunt specificam distinctionem.

Ad 3. dic differentias illas ignis, & lapidis ascendentes violentè, & naturaliter, esse accidentales motui, & unice sumi essentialiter relatè ad principium. Si tamen contendas, motus illos etiam in ratione motus differre essentialiter; tunc dic terminos esse essentialiter diversos, nam licet materialiter sit idem locus sursum; at formaliter sunt duo sursum, unum naturale pro igne levi, aliud violentum pro lapide gravi.

LIBER SEXTUS

PHYSICORUM.



A Tum est libro præcedente de contrarietate motus, & illius divisione in suas species; hic dilucidanda est divisio ejusdem in partes integrales, ex quibus motus, & omne continuum componitur, & integratur. Hic liber decem capitibus absolvitur ab Aristotele; & eis nodum, Gordiano obscuriorem, dissolvit, aut forsan scindit, declarans partes, ex quibus continuum componitur. Statuit duobus primis capitibus continuum non constare ex solis indivisibilibus, sed esse semper, ac semper divisibile. Deinde ostendit, quot modis motus dividatur; quis sit ordo partium illius; quæ finitas, vel infinitas partium in motu. Tertio declarat, quomodo quies, motui opposita, habeat divisionem. Tandem solvit urgentissima Zenonis fundamenta, quibus contendebat continuum ex solis indivisibilibus constare. Non est animus plura dicere, sed pauca, & vera præsertim de mente nostrorum Doctorum, & qua possimus claritate; quod tibi sufficiat in arcano naturæ mysterio, qualis est compositio continui. Ei annexemus quædam de inceptione, definitione rerum, nec non de earundem termino intrinseco magnitudinis, & parvitas.

Q V Æ S T I O I.

An dentur in continuo puncta indivisibilia?

§ I.

Sententiis relatis, suadetur negativa.

Quidam, ut fugerent difficultatem de compositione continui, negarunt in eo esse puncta, & partes: unde consequenter docent, nec componi continuum ex partibus, ut dicit Arist. nec ex punctis indivisibilibus,

ut tenuit Zenon. Pro hac citantur etiam Durandus, & N. Ariminen-
sis in 2. Sent. dist. 2. q. 2. Ochamus,
Linze Jesuita, Bonaspes; qui docent
hæc indivisibilia continui non esse quid
positivum, sed meras negationes di-
visibilitatis, v. g. punctum est nega-
tio

Quæst. I.

tio longitudinis, linea est negatio latitudinis, superficies est negatio profunditatis. Quare in genere quantitatis nulla datur species positiva, & realis, nisi solum corpus, trina dimensionem terminatum.

Per oppositum alij non solum in quantitate admittunt indivisibilia, initiativa continuativa & terminativa, sed etiam in substantia, & qualitate ut sint subjectum indivisibilem quantitatis. Sic Suarius in Metaphysica disp. 40. sect. 5. quem sequuntur Rubio, Cabero, & alij. Communis autem, & verior sententia, admittit indivisibilia in quantitate continua, sed ea negat in substantia, & qualitate. Sic B. Ægidius tum hic, tum lib. de Gener. à quæst. 5. usque ad 10. D. Thomas 5. Physic. lect. 5. & alijs locis, quæ citat Prado hic quæst. 3. per totam.

2. Probatur sententia negans. I. Quia si in linea dantur puncta, ea poterit Deus destruere, nil aliud destruendo. Faciat ut potest. Tunc vel manet linea vel non. Si manet? Ergo datur linea sine punctis. Si non manet? Ergo linea constat ex solis punctis; quod in sententia Arist. falsum est.

Secundo. Si partes quantitatis uniuntur punctis, etiam eis uniuntur partes substantiæ, & qualitatis: at hoc negatur communiter, si unice excipias Suarium, & alios ejusdem sententiæ: ergo nec partes quantitatis uniuntur punctis. Major patet, tum quia accidens, & subjectum receptivum, debent proportionari. Tum quia indivisibile quantitatis nequit recipi in subjecto divisibili, quare

§. I.

oportet ponere in substantia etiam indivisibilia, quæ sint subjectum indivisibilem quantitatis.

Urgetur ab opposito. Partes in substantia uniuntur sine punctis: ergo & in quantitate. Confirmatur. Si in quantitate sunt hæc puncta, Christus in Eucharistia erit in punctis: sed hoc est falsum: ergo & quod in quantitate sint puncta. Major patet, primo quia Christus est in Eucharistia, ubi antea erat substantia panis: sed hæc erat in punctis, si puncta sunt in quantitate: ergo &c. Secundo, quia non est cur pars substantiæ, aut tota substantia sit sub parte quantitatis, & non sit sub indivisibile quantitatis.

Tandem. Puncta terminativa idè ponuntur, quia quantitas finita est; finitur autem terminis, aut punctis terminantibus: at si Deus tollat à linea puncta terminantia, adhuc linea finietur, nec evadet infinita: ergo nulla est ratio ponendi indivisibilia terminativa.

§ II.

Vera & communis sententia defenditur, ac probatur.

3. **C**ontinua juxta Arist 5. Physic. text. 25. diffinitur. *Quorum ultima sunt unum.* Cōtigua autem *Quorum ultima sunt simul.* Hinc, si manum ponas supra manum, erunt continguæ, quia utriusque superficies ultimæ se tangent, & erunt simul localiter. Non sic manus brachio, cui est continua, nam per unionem.

nem quantitativam facit unum cum eo.

Tria sunt in quantitate, ut in Logica dictum est, nempe corpus, superficies, & linea, quorum definitiones nunc supponimus cum explicatione, ibi data lib. 6. de quantitate. Partes ergo corporis divisibilis penes profunditatem, uniantur superficiebus indivisibilibus secundum profunditatem. Partes superficiei divisibilis latitudinaliter, uniantur lineis indivisibilibus latitudinaliter. Lineae partes divisibiles longitudinaliter, uniantur punctis indivisibilibus secundum longitudinem. Hæc ibi supposita, nunc probanda sunt; & semel probatis punctis, inde reliqua facile suadentur.

4 Nostra conclusio sit. Dantur in linea puncta indivisibilia terminantia, & continuantia partes lineæ. Est sententia expressa P. Augustini lib. de Quantitate animæ cap. 11. & 12. ubi loquens de puncto lineæ, dicit: *Ab ipso incipit linea; ipso terminatur, deinde cum undequaque linea secari potest, per ipsum secatur.* En puncta initiativa lineæ, & terminativa, nec non continuativa partium, in quas potest secari. Traditur idem ab Euclide Principe Mathematicorum, qui lib. 3. Theorem. 12. propos. 13. dicit ut exploratum: *Circulus circum non tangit in pluribus punctis quam uno, sive extra, sive intus tangat.*

Hinc urgentior probatio sumitur ex Mathesi. Nam si corpus perfecte sphericum ponatur supra pla-

num, illud tanget, & non nisi in puncto indivisibili: ergo quia utrumque corpus se tæges, habet indivisibilia Patet consequentia quia aliàs non fieret contactus penes indivisibile, sed in parte divisibile. Maj. à B. Aegidio probatur sic loco citato quæst. 8. ad 1. Quia si corpus sphericum tangeret planum in parte divisibili, tunc pars corporis spherici esset spherica, & non esset, quod implicat. Esset, quia omnes partes corporis spherici sunt sphericae. Non esset, quia quid applicatur plano, planum est, non autem sphericum. Hoc argumentum traditur à P. Augustino lib. 2. Soliloq. cap. 20. dicente, *Non oculum, sed rationem judicare, si tamè bene erudita est, quantumvis pilam veram vera planitie, puncto tangit?* Et post pauca, *An non hoc probamus, cum etiam minimum circumulum imaginando, animo describimus, & ab eo lineas ad centrum ducimus?* Vide ibi, quæ omittimus brevitas causa.

5 Negant aliqui corpus perfecte rotundum, quos citat Prado docentes illud esse naturaliter impossibile. Sed eos impugnat Subt. D. in 2. dist. 2. q. 9. ad 3. ostendens cælum esse perfecte sphericum. Rursus, etsi non detur de facto, potest tamen à Deo fieri, & super planum poni, quod sufficit pro convincendis punctis. Preterea: Cum figura rotunda sit perfectissima, nequit negari virtus in tota natura ad eam efficiendam. Tandem ratio nostra bene potest concipere circumulum perfectum supra lineam; tunc autem necesse est in eo concedere

dere puncta, ut loco laudato suadet P. Augustinus.

Hinc alij dicunt corpus illud in casu argumenti non tangere planum. Alij docent tactum, sed non in puncto certo sed incerto, & vago. Utroque impugnat Malsius hic sect. 1. q. 1. & Suarius ubi supra num. 11. Et quidem si globus maximæ molis cadat supra planum, illud secum trahet, aut confriget, quod sine contactu physico stare non potest. Nec est credibile hoc fieri sine contactu, aut quod punctum tactum non sit designabile à Deo, vel Angelo. Vide D. Thomam 1. de Anima text. 1; & B. Aegidium ubi supra, supponentes cum Arist. ut per se notum, quod globus ille tangeret planum in puncto.

6 Per oppositum alij retorquet argumentum nostrum, data globi & plani possibilitate, & contactu. Nam globus ille posset rotare supra planum, ipsum tangendo: ergo si non tangit nisi in puncto, nihil erit in utroque corpore tangibile, nisi puncta. Ergo quantitas utriusque constat ex solis punctis, quod est contra Aristotelem.

Respondetur ab aliquibus globum illum tunc non moveri, nisi per saltus, visui quidem incognitos, sed menti perceptibiles. Alij docent moveri non in solo plano, sed in aere intermedio, quo spherica partes globi circulariter ambiuntur. Utraque solutio est probabilis, & à Prado defenditur, sicut ab immodesta etiã recentioris redargutione vindicatur. Et quidem cum in continuo non sint

puncta juxta puncta, sed inter partem, & partem punctam; restat ut post tactum in puncto, sequatur pars non tangens, & hic est saltus. Nec oculi debent judicare, sed ratio, ut monet P. Augustinus loco laudato.

Observa cum Philosopho, & nostris BB. DD. tum hic text. 87. tum 5. Physic. text. 18. quod indivisibile quantitatis, non est mobile per se, sed per accidens, & ratione partium quantitatis; nam moto quanto, movetur quæ in eo sunt; sunt autem in eo partes, & puncta. Si autem divisus punctum separaretur, tunc erit immobile. Probatur. Nam quod moveretur, est partim in termino à quo, & partim in termino ad quem: sed indivisibile non habet partes, quibus sit partim in utroque termino motus localis: ergo nequit moveri localiter. Vide Prado hic.

7 Ex dictis pro puncto plene indivisibili, probatur quod in corpore dantur superficies indivisibiles penes profunditatem. Nam duo corpora plana se tangunt, si applicetur unum alteri. Sed tactus ille est divisibilis secundum longitudinem, & latitudinem, ut patet, non autem secundum profunditatem: ergo se tangunt secundum aliquod divisibile longitudinaliter, & latitudinaliter, sed indivisibile penes profunditatem. Hoc, & nil aliud, est superficies. Minor, est certa, quia corpora illa sive in longum, sive in latitudinem conspiciantur, videntur se tangere. Et cum aliunde non penetrentur, sed se tangant in superficie tantum, non se tangunt se-

secundum profunditatem.

Jam verò quòd in superficie dantur lineæ latitudinaliter indivisibiles, probatur. Nam superficies habet terminum, ultra quem non est divisibilis latitudinaliter: sed terminus ille est linea latitudinaliter indivisibilis: ergo in superficie divisibili dantur lineæ indivisibiles. Minor patet, quia si terminus superficiei non esset linea indivisibilis, non esset terminus, ultra quem superficies non foret divisibilis, ut patet.

Confirmatur quoad omnia. Partes lineæ, quoniam non sunt actus, & potentia, uniantur unione distincta; & hæc sunt puncta: ergo cum partes corporis, & partes superficiei, sint ejusdem rationis, petunt suas uniones distinctas. Nunc sic. Partes superficiei nequeunt uniri unione, quæ non sit divisibilis saltem longitudinaliter, & hæc est linea. Partes etiam corporis petunt unionem divisibilem longitudinaliter, & latitudinaliter; & hæc est superficies. Ergo sicut in linea dantur puncta, sic lineæ in superficie, & superficies in corpore.

8 Ad argumenta posita numero 1. respond. casum esse chimericum. Sicut enim Deus non potest destruere unionem animæ ad corpus, quin destruat hominem; sic nec potest puncta lineæ destruere, quin destruat lineam: quare sola puncta destruere, impossibile est, sicut continuum adæquatè dividere est chimericum, ut lib. 2. dictum est, & dicemus infra.

Ad secundum dic partes substantiæ non uniri punctis, tum quia sub-

stantia ex se non habet partes, ut dictum lib. 6. Logicæ quæst. 5. nec oportet eam habere partes ante quantitatem, ut sit subjectum quantitatis, ut ibi dictum est; quare nec debet habere puncta, ut sit subjectum quantitatis, habentis puncta, & partes. Tum etiam, quia partes substantiæ sunt unum unitate sumpta à forma, & ab eadem existentia, qua existunt, unde non indigent punctis, ut partes quantitatis, quæ solo puncto fiunt unum. Tum tandem, quia partes quantitatis fiunt unum, ut faciant majus, ob idque uniantur punctis, & penes solas extremitates. Partes autem substantiæ non sic. Quare ratio ponendi puncta in quantitate non militat in substantia.

De qualitate idem dicendum est, maximè si intensio fiat penes majorem radicationem in subjecto. Et licet in formis intentionalibus fiat intensio juxta B. Ægidium per additionem gradus ad gradum, non sunt necessaria puncta unientia gradus, quia priores comparantur ut potentia ad gradus sequentes; actus autem, & potentia uniantur sine medio entitative distincto, quidquid sit de distinctione quidditativa unionis potentia, & actus, ut lib. 1. dictum est. Præterquamquòd partes, & gradus qualitatis non uniantur ad faciendum majus, sed intensius; unde non egent punctis tangentibus partes unitas secundum extremitates, ut evenit in sola quantitate continua.

9 Hinc cessant probationes majoris, nec fit paritas ab opposito, quia

ex

ex dictis constat cur in substantia non sunt necessaria puncta, bene tamen in continuo. Ad confirmationem Vazquius, & aliqui concedunt sequelam, quam non putant absurdam. Eam negat B. Ægidius Theorem. 11. de Sacram. Altaris. Nam Christus in Eucharistia est sub quantitate panis destructi, modo quo esset substantia panis: at substantia panis non esset in puncto quantitatis, quia non potest conservari in minimo naturali, ut infra dicam: ergo nec in puncto quantitatis reservatur corpus Christi Domini.

Ad ultimum dic, quòd si Deus à lineam tolleret puncta terminantia, merneret linea finita negativè, sed non positivè, quia sic finitur punctis. Ob-

serva ex dictis in Logica lib. 8. q. 5. & lib. 1. Physic. q. 7. quòd partes substantiæ extenduntur passivè per modum quantitativum, qui est effectus formalis quantitatis. Hic modus correspondet partibus, & punctis quantitatis. Unde partes quantitatis recipiuntur in substantia ut modificata partibus quantitatis, & punctum quantitatis recipitur in substantia, affecta etiam modo relicto ex punctis quantitatis afficientibus. Non quòd tot sint modi, quot puncta, & partes; sed ita ut sicut ex partibus, & punctis fit una quantitas, sic ab ea fit unicus modus in substantia; sed plenè correspondens formæ, cujus est effectus formalis.

Q V Æ S T I O II.

An in continuo sint partes actualiter distinctæ?

§ I.

Referuntur sententiæ cum suis fundamentis.

ISupponit hæc quæstio partes in continuo, & constat ex dictis, tum quæstione præcedente, tum in Logica circa quantitatem. Dubium est, an sint actu distinctæ? Prima sententia affirmat. Sic plures, quos citant PP. Complutenses, & Aguirre, putantes eam esse mentem Arist. & D. Thomæ.

Probatur 1. ex Arist. 5. Metaphysicæ cap. 12. dicente: *Quantum dicitur, quod est divisibile in ea, quæ insunt. Sed est divisibile in partes: ergo in*

quanto sunt actu partes distinctæ. Cõsonat D. Thomas ibidem lect. 15. dicens: *Quantum est divisibile in ea, quæ insunt, quod dicitur ad differentiam divisionis mixtorum, nam corpus istud mixtum resolvitur in elementa, quæ non sunt actu in eo, sed virtute tantum.* Accedit Concilium Tridètinum sess. 13. c. 3. ubi loquens de Christo Dño in Eucharistia, dicit: *Totus enim est integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte: totus item sub vini specie, & sub ejus partibus.*

exi.

existit. Ergo quia quantitas habet partes actu distinctas; alioquin sub eis non esset actu Christus Dominus sed in potentia.

Aratione probatur. Nam in continuo datur actu puncta, unientia partes, ut dictum est: ergo dantur actu partes unitæ, & distinctæ. Patet consequentia quia non stat unio actualis nisi partium actualium, & actualiter distinctarum. Secundò. Omne quod est actu totum, debet habere partes actu, & distinctas: sed continuum est actu totum, & est tale vi unionis partium, nempe puncti copulantis: ergo omne continuum habet partes, actu distinctas. Tertiò. Dum per divisionem extrahuntur partes à continuo, vel sunt ibi unde extrahuntur, vel non. Si sunt? Ergo sunt actu, & distinctæ actualiter. Si non sunt actu, sed in potentia? Ergo educuntur de potentia subjecti; & sic divisio continui non est divisio partium, quæ sunt, sed educitio earum, quæ non sunt; quod est plene fallum. Quartò. Partes lineæ v.g. extractæ à continuo, non sunt partes, sed tota, unde non sunt partes lineæ, sed lineæ totales: ergo partes illæ tantum sunt partes, & distinctæ, quando sunt in continuo ante divisionem. Tandem. Quæ non distinguuntur, identificantur; quæ identificantur, non possunt dividi, & separari: sed continui partes sunt separabiles, & divisibiles: ergo sunt actu distinctæ.

2. Secunda sententia concedens in continuo partes, docet illas non esse actu distinctas, sed in potentia.

Ita N. Villanova citans Pradum, Param, Monedam, & alios, quos refert, & sequitur Suarius recentior tractatu 4. disp. 1. sect. 1. §. 1. Pro eadem allegatur à Suario B. Eg. 6. Physic. lect. 16. & 8. Physic. lect. 11. N. Burlæus 8. Physic. cap. 19. N. Arimin. in 1. dist. 3. q. 1. art. 1. ad 7.

Probatur 1. ex Arist. 7. Metaphysicæ text. 49, dicente: *Duo namque si actu, numquam sunt unum actu; sicut si potestate duo fuerint, erunt unum. Ut v.g. dupla ex duobus dimidiis potestate. Actus enim separat.* Supra quæ D. Thomas ibi lect. 13. dicit: *Sicut patet in partibus continui; duo enim dimidia unius lineæ sunt in potentia in ipsa lineæ dupla, quæ est una in actu; & hoc ideo, quia actus habet virtutem separandi, & dividendi.* Idem docet lect. 16. & aliis locis, de quibus videatur Prado,

Andiatur S. D. lib. 7. Physic. lect. 9. ubi hanc sententiam tradit, & rationem ejus probativam, dicens: *Pars in toto non est actu, sed in potentia, maxime in continuis: sic enim aliquid est ens, sicut & unum: unum autem est, quod est in se indivisum, & ab aliis divisum. Pars autem prout est in toto, non est divisa in actu, sed in potentia tantum: unde non est actu ens, neque una, sed in potentia tantum; & propter hoc non agit pars, sed totum.*

A ratione probatur sic ex D. Thoma. Quod actu non est ens, & unum, actu non est distinctum ab alio ente; unitas enim, & distinctio, sunt passionēs entis, quare unitas actualis est passio solius entis actualis, entis autem

autem in potentia sola distinctio, & unitas in potentia. Sed in continuo quacumque pars non est actu ens, nec una: ergo non est actu, sed in potentia distincta ab aliis comparibus. Minor patet, quia unum est indivisum in se, & divisum ab alio. Partes in continuo non sunt divisæ.

Et confirmatur. Partes in continuo non habent unitatem propriam: ergo nec distinctionem ad invicem actualem. Patet consequentia. Per id enim res est distincta ab alia, per quod est una in se. Anteced. prob. Unitas partium in continuo non est prædicamentalis; nam partes in toto non habent unitatem prædicamentalem, nisi unitatem totius. Rursus, non est transcendentalis, quia hæc sumitur ab esse, & ab existentia; partes autem continui existunt unica existentia totius: ergo licet per divisionem possint acquirere diversas existentias, & unitates, ut sic actu distinguantur; ante divisionem autem non habent unitatem propriam, & distinctionem actualem.

3. Secundò probatur à ratione sic. Si partes in continuo essent actu distinctæ, illæ essent finitæ, vel infinitæ; quæ enim distinguuntur actu, sunt plura, & sic pluralitate finita, vel infinita. Sed in sententia Arist. repugnat partes continui esse finitas, aut infinitas: ergo repugnat esse actu distinctas. De finitis probatur sic repugnantia. Continuum juxta Aristotelem est semper, ac semper divisibile in infinitum: sed si partes ejus essent finitæ, non esset divisibile in infinitum: ergo repugnat partes continui esse finitas. Rursus,

nulla est designabilis pars continui, quæ non sit divisibilis in partes semper divisibiles: sed hoc non stat cum finitudine partium: ergo non sunt finitæ. Probatur hæc minor. Supponamus partes finitas esse centum, tunc posita quinquagesima divisione, dantur centum partes, quæ jam non sunt divisibiles: ergo continuum constabit ex indivisibilibus, quod est Zenonis sententia contra Arist. Ob id P. Augustinus, qui tenuit sententiam Arist. de compositione continui docet quod licet divisio fiat physicè in partes minutissimas, quæ non possunt amplius dividi, at ratio, & mens eas agnoscit mathematicè divisibiles, sic ait lib. 11. de Trinit. cap. 10. corpus quantum à nobis dividi in eas usque minutias, quibus *minutiores exilioresque phantasias jam non possumus intueri, quamvis ratio non desinat prosequi, ac dividere.*

Jam verò quod repugnet tales partes esse infinitas, probatur ex dictis lib. 3. q. 5. ubi de mente Arist. probata est repugnantia infiniti secundum multitudinem, & magnitudinem. Sed si partes continui essent actu distinctæ in eo, & infinitæ, facerent multitudinem actu infinitam, ut patet; facerent etiam magnitudinem infinitam extensam: ergo &c. Probatur minor, & 1. de multitudine. Nam multitudo infinita partium distinctarum, est multitudo infinita entium; una enim pars distincta ab alia, est ens ab alio distinctum: sed multitudo infinita entium, est multitudo infinita unitatum; omne enim ens est unum: ergo

cum multitudo infinita unitatum sit numerus infinitus, hic sequitur ex quo partes continui sint infinitae.

Præterquam quod omnes rationes, quibus lib. 3. probata est repugnancia infiniti secundum multitudinem probant repugnare in continuo partes infinitas. Patet hoc, nam possitis partibus infinitis in continuo, facerent numerum, qui non haberet ultimam unitatem: unde numerus ille partium non esset in specie determinata numeri, quæ habetur per ultimam unitatem. Rursus, numerus ille partium non esset numerabilis, cum numquam potest numeratio venire ad ultimam unitatem. Rursus, cum numerus partium constaret ex duplici medietate, non constaret ex medietaibus finitis, quia duo finita non faciunt infinitum; nec ex medietaibus infinitis, quia tunc vel totum non esset majus sua parte, vel daretur unum infinitum majus altero. Et totum est implicatorium: ergo istæ, & aliæ rationes contra numerum infinitum, probant æquè partes continui non esse infinitas.

De magnitudine infinita probatur sequela. Nam eò continuum est magis extensum, quod plures habet partes: ergo quod habet partes infinitas, erit infinite magnum, & extensum. Quare ex positione infiniti partium in continuo sequitur continuum omne esse actu infinite extensum. Hoc patet esse falsum, tam oculariter in omnibus quæ videmus, nam omnia sunt magnitudinis finitæ, tum à ratione. Nam si omne continuum constaret ex partibus infinitis, unum non

esset alio majus, nec plures quam aliud haberet partes, cum supra infinitum non sit possibilis additio. Rursus: nullum spatium, quantumvis minimum, posset pertransiri tempore finito. Patet sequela, nam partes spatij successivè pertransibiles sunt, nempe una post aliam: ergo si sunt infinitæ, petunt tempus infinitum in transitu, & motu locali. Patet consequentia. Quia nullum infinitum potest pertransiri tempore finito.

4 Hæc ratio sic torfit DD. ingenia, ut non pauci teneant doctrinam Arist. de compositione continui contrariari doctrinæ ejusdem de repugnancia infiniti. Pro ejus concordia integram disputationem instituit Cardinalis Aguirre 6. Physic. disp. 34. videatur etiam Plaza, Complutensis 6. Physic. disp. 1. q. 8. ubi varios modos dicendi referunt, & impugnant, ut eorum qui negant in continuo partes, & puncta; aliorum, qui negant partes actu, & docent eas esse tantum in potentia; aliorum, qui cōcedentes partes actu, negant esse actu distinctas, & esse actu etia, & solum in potentia distingui, & esse etia propugnāt.

Quid autem in hoc dubio teneamus, insinuatum est libro 3. quæst. 5. ubi egimus de infinito; eam doctrinam amplius explicabimus §. sequenti, licet brevius quam opus erat. Præcipua autem quæstio de distinctione partium continui deciditur facilè ex dictis in Logica lib. 6. quæst. 5. ubi actum est de distinctione partium substantiæ materialis. Ibi enim ostensum est distinctionem partium substantiæ esse

esse effectum quantitatis; quare talis est distinctio in quantitate per essentiam, qualis in substantia, & re quanta per participationem. Ob id ibi distinctio explicata est tam pro partibus substantiæ, tum pro partibus quantitatis. Unde consequenter sit.

§ II.

Nostra sententia proponitur, & fundamenta aliarum expendantur.

5 **L**ibro 6. Logicæ quæst. 5. à num. 31. & seqq. diximus, partes substantiæ materialis esse distinctas actualiter, & potentialiter, nempe distinctione, quæ est actualis in partes integrales, & potentialis in partes, quæ sortiuntur denominationem totius. Hoc ibi explicatum est, & probatum de mente P. Augustini D. Thomæ, B. Ægidij, & à ratione. Quare in materia quanta sunt plures partes integrantes materiam, sed non plures materiæ actu, sed in potentia. In arbore sunt actu plures partes integrantes plantam, sed non actu plures plantam, sed in potentia, ut cum Arist. 2. de Anima text. 20. docent D. Thomas, & B. Ægidius, Sic in linea sunt actu plures partes integrantes lineam, at non sunt plures lineæ, ut loco citato probatum est, & docetur expressè ab Arist. 3. Metaphysicæ text. 17. Quæ contra hoc assertum tum de substantia, tum de quantitate, militant, ibi satis soluta sunt: quare hic pauca, & breviter annectenda dictis, putamus necessaria.

Hinc dicimus quod partes con-

tinui, ut integrantes sunt continuum, actu distinguuntur; ut quædam tota sunt, nec sunt actu, nec distinguuntur actu, sed sunt in potentia, & distinguuntur in potentia. Explicatur in linea. Hæc constat duplici medietate; nam partes integrantes totum sunt ejus medietates. Istæ actu distinguuntur, quia ante divisionem una non est alia; nec indigent actuali divisione, ut una medietas non sit altera medietas. Per divisionem actualem unius medietatis ab alia, cessat medietas, esse medietatem, & fit linea distincta ab alia medietate, quæ separata semel, fit linea diversa. En ante divisionem erat una linea actu, & duplex in potentia: unde partes illius lineæ erant in potentia distinctæ ut quædam tota. Quo vides, quod divisio lineæ facit duas lineas, quæ ante divisionem non erant actu, sed in potentia, nec actu distinctæ, sed in potentia. Quare divisio dat unitatem, & esse illis lineis. Quomodo id det, cum divisio non sit actio productiva, sed destructiva? Explicatum est in Logica loco citato n. 31.

6 Ex hoc multa colliges. Primò. Quod distinctio partium quantitatis non bene probatur ex separabilitate. Loquor de distinctione actuali. Nam post divisionem lineæ datur actu quædam lineæ, quæ ante divisionem non erant actu; sed in potentia. Sed ante divisionem erant separabiles in actu primo: ergo pro tali distinctione actuali probanda, non sufficit separabilitas, sed actualis divisio. Distinctio autem partium integralium continui actualis est ante divisionem; ceterum non probatur ex

separatione actuali nec ex separabilitate. Non ex separatione, quia hæc potius tollit à partibus rationem partium integratis, cum amplius non componant divisum, sed fiant tota diversa. Non ex separabilitate, quia hæc est potentia ut fiant tota diversa. Sed distinctio actualis partium integralium nec pendet, nec sumitur ab eo, quod possint fieri tota diversa: ergo non sumitur ex separabilitate. Sumitur autem ex compositione continui, vi cuius habent esse, quia actualiter sunt unita. Unio partium vel supponit earum distinctionem, quia identificata non possunt uniri, sed idem esse; vel secum trahit distinctionem illam.

Colliges secundò, quo sensu Arist. & cum eo interpretes docent, partes in continuo non esse actu; sed in potentia; cum aliunde partes illæ sunt quæ insunt quanto, quod est divisibile in ea, quæ insunt. Sunt quidem ut integrantes, sed non sunt actu ut tota, sed in potentia. Ratio primi est, quia partes dicuntur integrantes, quatenus unitæ faciunt totum, & componunt unum per se, & existunt unica existentia. Hoc modo actu sunt in continuo partes ejus, quare actu distinguuntur inter se distinctione propria partium integralium, quæ non petit existentias plures, nec plures entitates, aut unitates; sed unitatem, entitatem, & existentiam totius, quod componunt. Ratio secundi est; quia distinctio, & esse, quod habent tota, petit distinctas existentias, distinctas unitates, & entitates distinctas. Hoc non

habent partes continui ante divisionem, sed post: ergo ante divisionem sunt in potentia ad hanc distinctionem, quæ illis advenit actuali divisione.

7 Colliges tertio, cur D. Thomas negat continuo homogeneo partes actu distinctas, quas concedit continuo etherogeneo 1. Physic. lect. 9. dicens: *Hoc autem intelligendum est de partibus existentibus actu in toto, sicut caro, nervus, & os, existunt in animali. Et per hoc excluduntur partes totius continui, quæ sunt in potentia in ipso.* Ratio est. Nam illa diversa figura partium diversæ rationis, est quædam divisio facta à natura formatrice oris, nervi, ossis &c. Quare licet illæ partes uniantur ad idem animal componendum, sunt tamen vi diversæ figuræ, quædam tota organica, formata sic, & divisa à natura, ut diversæ, & variæ viventium operationes efficiantur. Quod si cum aliquibus multiplices formas substantiales in vivente, cessat dubium. Si verò id nobiscum cum veteri Philosophia neges, juxta dicta lib. 1. q. 15. tenendum est formam viventis in animali esse unam, & quantitatem unicam; sed veluti divisam à natura, imprimente diversas figuras partibus etherogeneis.

Colliges tandem. Cur Christus, qui est totus sub hostia, & totus sub qualibet parte, non est sub hostia infinities, sed semel, si partes hostiæ infinitæ sunt, aut saltem plures, quam sint designabiles? Id solvit D. Thomas 3. p. q. 76 art. 3. ad 1. & B. Egid. in de Sacram. Altar. dicit, corpus Christi,

Christi Dñi ante divisionem hostiæ non esse pluries actu sub partibus illius, sed potentia tantum. Hæc S. D. quæ in nostris principijs clare exponuntur; nam Christus Dñus est sub eis speciebus, ut esset panis destructus consecratione. At panis non esset actu multiplex, sed in potentia; nec partes illius panis ante divisionem essent plures panes, sed unicus, & unica existentia, & præsentia: ergo & Christus ibi est unica præsentia actuali sub tota quantitate, & multiplici præsentia potentiali sub multiplicibus partibus, in quas potest fieri divisio. Vide dicta in Logica loco citato.

8 Ad fundam. primæ sententiæ posita n. 1. dicimus eis probare, partes integrantes continuum, esse distinctas distinctione actuali, propria partium integralium, ceterum ultra sunt in potentia ad distinctionem aliam, quam acquirunt per actualem divisionem. Et ne terminos multiplicemus, oportet nomen imponere utrique distinctioni, ut sic brevius doctrinam nostram applicemus. Voca distinctionem *integrale* eam, qua distinguuntur partes, ut unitæ, & componentes totum: dic autem distinctionem *totalem* illam, qua partes actu divisæ distinguuntur actu, ut totum à toto.

Ad autoritatem Philosophi, dic illam vel nil probare vel probare contra DD. primæ sententiæ. Concedimus quantum esse divisibile in ea, quæ insunt. At non est divisibile in partes, sed in tota diversa. Patet in linea, quæ divisibilis est, sed non in duas partes li-

near, sed in duas lineas diversas, nam semel divisa fit duplex linea, & duplex quantum. Item licet dicatur linea divisibilis in duas medietates, locutio est rudis, & impropria, quia potius, posita divisione, cessant medietates esse medietates lineæ, & fiunt duo tota, aut duæ lineæ totales. Ergo ex quo quantum sit divisibile, non sequitur quod ejus partes sint actu distinctæ, nec quod sit divisibile in partes.

Potius sequitur oppositum. Nam cum quantum sit divisibile in ea, quæ divisione fiunt tota, & distinguuntur distinctione totali; ante divisionem erunt tantum distincta in potentia; ergo ex Arist. colligitur distinctio potentialis, sed non actualis. Ob id prosequitur Philosophus in definitione quanti dicens: *Quorum utrumque, vel unumquodque unum quid, & hoc aliquid aptum est esse.* Ly aptum est esse explicat quomodo in continuo ante divisionem sunt ea, in quæ potest dividi. Sunt quidem aptitudinaliter distincta, sed non actualiter; sunt apta habere propriam unitatem, & apta esse hoc aliquid, sed non sunt actu hoc aliquid, aut unum quid. Hic vides, quomodo verba Arist. probant utrumque assertum nostræ sententiæ, nempe partes continui actu distingui distinctione integrali, sed non actu, sed aptitudine distinctione totali.

9 Nec contradicit doctrinæ nostræ expositio Philosophi, data à D. Thoma, nam verè expositio nostræ salvat differentiam partium continui, & elementorum in mixto. Elementa in mixto

mixto nullo modo sunt formaliter, sed virtualiter, hoc est qualitates eorum. At in continuo ante divisionem sunt una, quæ post divisionem, & sunt formaliter, sed non sunt cum ea distinctione, quam habent postea, sed cum distinctione potentiali, jam explicata. Solum enim differunt per divisionem, nam eadem entitas formaliter quæ erat indivisa, fit postea divisa, & divisione fit duplex actu, quæ unica erat actu, & duplex in potentia. Autoritas Concilij Tridentini docet nos, quantitatem Eucharisticam esse divisibilem, & habere partes, sed non insinuat eas actu distinctas, vel in potentia. Quomodo sub eis Christus Dñus sit, explicatum est num. 7. ex D. Thoma: & explicatio S. Doct. potius favet distinctioni potentiali, quam actuali, ut patet ex dictis.

Ad rationem probativam primæ sententiæ dic, quod prima, & secunda probatio, unice suadent distinctionem actualem integram partium: & hanc concedimus. Ad tertiam dic, quod contradicit quartæ probationi. Dicit tertia quod per divisionem extrahuntur partes à continuo. Dicit quarta, quod partes lineæ extractæ à continuo, non sunt partes, sed tota. Hæc duo sibi invicem pugnant. Horum secundum est verum, quare, nego suppositum tertie probationis, quo supponis per divisionem extrahi partes à continuo; non partes, sed tota quædam extrahuntur. Et dum quæris, an ea sint in continuo unde extrahuntur? Respondeo esse formaliter in eo actu, & aptitudi-

ne. Sunt actu ut unum; sunt in potentia ut duo tota. Quare non educuntur, nec denuo generantur per divisionem, sed sunt actu distincta, quæ erant distincta in potentia. Vide dicta in Logica lib. 6. q. 5. num. 32. Ad ultimam probationem constat ex dictis in Logica de distinctione potentiali, & identitate opposita divisioni. Vide loco citato.

10 Ad fundamenta secundæ sententiæ dicimus, ea esse pro nobis semel explicata de distinctione totali, de qua verum est non convenire partibus in continuo actualiter, sed in potentia tantum, sicut sunt in potentia ad divisionem. Prima autoritas Philos. est clara pro nobis. Dicit, quod *duo actu distincta, numquam sunt unum actu*. Hoc est verum de distinctis distinctione totali, sed non de distinctis distinctione integrali, nam totum integrale unum est, & tamé constat ex distinctis distinctione integrali. Ergo Arist. negat distinctionem totalem partibus continui, non integram. Hæc est nostra sententia. Nec obstat ibi Philosophum negare in linea dupla dari actu duo dimidia, & asserere, quod sunt potentate. Nam Arist. & D. Thomas ibi loquuntur de dimidiis in sensu communi, quo vulgus dicit lineam dividi in duas medietates. Revera medietates non sunt medietates post divisionem, ut dictum est: ergo solum sunt actu tales ante divisionem continui. Dicit tamen Philosophus esse in continuo potentate, non actu, sed intelligi de medietatibus cum ea unitate

tota-

totali, & eis diversis existentibus, quas habent post divisionem. Eas existentias non habent actu in continuo, ubi actu existunt unica existentia continui, sed habent eas in potentia. Sic intellige secundam autoritatem D. Thomæ allegatam pro eadem sententia.

Ad primam rationem probativam ex verbis D. Thomæ dic, eam esse pro nobis quoad utrumque assertum nostræ sententiæ. Distinguo majorem. Quod actu non est ens, & unum, actu non est distinctum, distinctione totali, quæ est propria entis, & unius, quod est totum, concedo major. distinctione integrali, subdist. Quod non est ens, nec pars integralis entis, concedo major. Quod saltem est pars integralis entis, licet non sit ens totale, nego major. Propositio D. Thomæ cum hac distinctione reddit nobis duas istas doctrinales, & veras, nempe. *Omne quod non est ens totale, & unum, non distinguitur ab alio distinctione totali, aut totius à toto. Omne, quod est pars integralis entis, distinguitur distinctione integrali, aut partis à parte*. Ergo cum pars continui ante divisionem non sit actu ens totale, sed in potentia, idè *non distinguitur ab alia comparte distinctione totali actuali, sed potentiali*. Rursus, cum pars continui ante divisionem sit pars integralis entis, quod revera est ens, & unum, *actu differt distinctione integrali ab alia comparte*. En duplex assertum nostræ sententiæ. Nec distinctio ista integralis pendet ex divisione, sed ex compositione. Sola distinctio totalis su-

mitur à divisione, ut dictum est num. 6.

Ad confirmationem dic, quamlibet partem continui habere unitatem transcendentalem, non prædicamentalem; nam hæc plenè convenit entitati totali. Unitas autem transcendentalis sequitur entitatem, non solum totalem sed integram. Et licet unitas transcendentalis totalis sumatur per ordinem, ad existentiam; at unitas transcendentalis integralis non sic, sed per ordinem ad ens, quod integrant, & constituunt. Observa nos hic loqui de partibus homogeneis, non de eterogeneis, nam istæ sunt quædam tota, ut diximus num. 7. unde habent unitatem etiam prædicamentalem, & constituunt numerum prædicamentalem, ut patet in manibus, quæ revera sunt duæ, digiti manus quinque &c. At hoc ratione figuræ, quæ est terminus quantitatis, & dum diversa est, tunc æquivaleret divisioni danti unitatem, & distinctionem totalem.

11 Ad secundam rationem, positam num. 3. omisis modis dicendi, relatis num. 4. quos vide ab Aguirre impugnatos, dicimus partes continui esse actu distinctas distinctione integrali explicata. Et dum quæris an sint finitæ, vel infinitæ? Respondemus sub distinctione. Dicimus 1. partes aliquotas esse finitas. Ita omnes communiter cum Arist. Probatur. Nam pars aliquota, hoc est, quæ aliquoties repetita reddit totum, vel quæ non communicat cum alia comparte, hæc pars alteri unita, facit majus: ergo si partes istæ forent infinitæ facerent

rent

rent extensionem infinitam. Hæc nec datur, nec possibilis est, ut probatum est lib. 3. q. 5. Ergo in continuo non sunt infinitæ partes aliquotæ, nec pro ejus divisibilitate in infinitum hoc requiritur, sed satis est, partes proportionales esse infinitas.

Dicimus 2. Partes proportionales esse infinitas: at inde non sequitur numerus infinitus, nec magnitudo infinita. Primum patet ex divisibilitate continui in infinitum, quæ non stat sine infinitate partium proportionalium. Negatio autem nostræ sequentiæ est doctrina B. Ægidij, & D. Thomæ 7. Metaphysicæ tex. 56. & 1. contra Gent. cap. 25. & de Verit. q. 1. art. 1 de quo vide Card. Aguirre loco laudato.

Probat. quoad 1. partem. Quod non est numerus, non est numerus infinitus; sicut quod non est animal, non est animal, rationale, aut homo. Sed partes proportionales non faciunt numerum: ergo nec numerum infinitum. Probat. minor. Numerus sive prædicamentalis, sive transcendentalis, constat ex unitatibus adæquatè distinctis inter se: at partes proportionales non sunt invicem distinctæ, & diversæ, sed in adæquatè, & se mutuo communicantes: ergo &c. Explicatur. Homo, & animal, non sunt duo, nec faciunt numerum, eò quòd non distinguuntur adæquatè, sed in adæquatè, cum homo includat animalitatem, & animal habeat aliquid hominis. Ergo idem de una parte proportionali relatè ad aliam comparatam.

Pro quo nota, quòd partes aliquotæ non se communicant, sed quod in una est, in alia non est. Sic in ulna sunt quatuor palmi aliquoti, adæquatè distincti. Ceterùm in ulna sunt infiniti palmi proportionales, se communicantes, & mutuo includentes. Quod vide in apposita figura, ubi n. 1. 2. 3. & 4. sunt palmi aliquoti, plene distincti. At quintus palmus fit ex dimidio primi, & dimidio secundi: sextus palmus fit ex quarta parte primi aliquoti, & tribus primis palmis secundi aliquoti. Quare cum eadem sit ratio de infinitis divisionibus ulnæ possibilibus; idè partes illæ proportionales, sunt partes communicantes, & sic solùm in adæquatè distinctæ.

12. Observa, quòd cum partes proportionales sint infinitæ, puncta quibus copulantur, infinita sunt. Unde nec potest in partibus designari prima, & ultima, nec in punctis copulantibus est designabile primum, & ultimum. Non sic in partibus aliquotis, quæ finitæ sunt, & finitis punctis copulantur. Unde ibi est designare primum, & ultimum. Dum autem dividitur una pars proportionalis ab alia, tunc fit aliquota, quia per divisionem fit, quòd amplius cum alia non communicet.

Nota etiam, quòd unum continuum habet majorem extensionem, quàm aliud; hoc idè, quia habet plures partes aliquotas, quæ solæ faciunt majus in extensione. In proportionalibus autem infinitis omnia continua æqualia sunt, cum omnia habeant

habeant multitudinem infinitam; ceterùm ab hæc non sumitur extensio continui, sed divisibilitas; in divisibilitate infinita cõveniūt omnia cõtinua.

Hinc solvitur secunda sequela, contendens magnitudinem omnem continui futuram infinitam. Non tenet, quia magnitudo est talis à partibus aliquotis; & istæ finitæ sunt, & plures in cælo, quàm in grano tritici. Nec idè cælum est majus, quia habeat plures partes proportionales, quàm granum, habet forsan, si congedas unum infinitum majus altero:

non habet, si id neges. Sed non est necessarium id concedere, cum majoritas continui sumatur à solis partibus aliquotis, quæ solæ reddunt majus.

Aliud de infinito, quod non est pertransibile finito tempore; verum est, si spatium sit infinitè extensum, aut constet ex infinitis partibus aliquotis. Ceterùm nos damus infinitatem tantum partium proportionalium cum finitudine aliquotarum. Quare sicut spatium tale non redditur infinitum, sed finitum; sic est finito tempore pertransibile.

QVÆSTIO. III.

An continuum componatur ex solis indivisibilibus?

§ I.

Ponuntur fundamenta sententiæ affirmantis.

PRIMA sententia docet continuum componi ex solis indivisibilibus, finitis tamen: quare dicit lineam v. g. componi ex finitis punctis collectis, & unitis. Sic tenuere Stoici cum Zenone Magistro; pro eadem citantur Pythagoras, Democritus, Leontipes, & alij priores Aristotele, & ipsi coætanei. Nec dissentiant, sed favent apertissimè, qui somniarunt mundum non ex materia invisâ, sed ex atomis compactum. Unde dicti sunt Atomitæ, de quorum errore satis dictum est lib. 1. Physic. sententiam istam (ait P. Hurtado) jacentem jam, ab inferis excitarunt duo, aut tres è Recentioribus, utinam

tam studiosi veritatis, quàm novitatis. Eis adde P. Arriagam, qui licet teneat communem sententiam, non patat rationes ejus esse efficaces, & relinquit insolutas rationes contrarias. Quidquid sit.

Probat. hæc sententia 1. Si globus perfectè sphericus moveatur supra planum, & moveatur motu continuo, tunc globus solùm in puncto tangit planum, & continuè rotans tangeret lineam illius plani: sed hæc linea tacta solùm in puncto, non potest constare nisi ex punctis: ergo continuum constat ex solis punctis indivisibilibus. Probat. minor. Omne mobile continuum tangit omne spa-

tium per quod movetur : sed globus solum tangens in puncto , non tangit in illo spatio continuo , nisi puncta : ergo quia spatium tactum non constat , nisi ex solis punctis.

Confirmatur. Vel linea per quam transit globus, constat ex solis punctis, vel inter punctum , & punctum mediat pars divisibilis. Si primum? Ergo continuum constat ex solis indivisibilibus. Si secundum? Ergo globus rotans per illam tangit sola puncta, non autem partes mediantes inter puncta. Patet consequentia, quia globus si perfecte sphericus est, non potest tangere planum in parte divisibili, solum enim planum plano sic conformatur. Nunc sic. Sed si globus tangeret puncta lineæ, & non partes intermedias, saltaret de puncto in punctum, quod experientia constat esse falsum : ergo quia inter punctum, & punctum nulla est pars divisibilis.

2 Probatur 2. hæc sententia. Vel inter punctum, quod est initium lineæ, & reliqua puncta mediat aliquid, vel nihil. Si nihil? Ergo post punctum sequitur punctum, & sic linea solum constat ex punctis. Si aliquid? Ergo illud medians erit linea. Non enim est aliud assignabile in genere quanti acis. At linea non potest mediare inter primum punctum & omnia puncta alia lineæ; nam cum linea constet ex punctis, si linea mediat mediant ejus puncta; puncta autem non possunt mediare inter primum & omnia alia puncta, ut patet: ergo quia inter primum punctum lineæ & omnia alia, nihil divisibile

mediat, sed linea tota non est aliud, quam collectio punctorum indivisibilium.

Confirmatur. Demus corpus cuius una medietas sit in aqua, altera in aëre sit. Tunc in medietate illius corporis concurrunt, & se tangunt immediatè duæ lineæ aeris : & aquæ : ergo ex parte corporis locati correspondent duæ lineæ, quæ etiam immediatè sint, & immediatè uniantur. Patet consequentia, quia de ratione circumscriptionis est, ut totum locatum correspondeat toti loco, pars parti, indivisibile indivisibili. Ergo si in medietate illius corporis &c. Nunc sic. Sed si in corpore sunt immediatè duæ lineæ indivisibiles latitudinaliter, & penes profunditatem, jam inter duo indivisibilia nil mediat divisibile : ergo corpus illud plene divisibile constat ex indivisibilibus.

Confirmatur 2. Idèd juxta Aristotelem continuum non constat ex indivisibilibus, quia continuum est extensum, & divisibile; indivisibilia autem addita, & unita indivisibilibus, non faciunt extensum, nec divisibile, quia se tangunt totaliter, & non penes extremitates. Sed hæc ratio, quæ potissima est pro Arist. manifestè instatur, ergo contrarium tenendum est. Probatur minor. Dum corpora se invicem tangunt, sit tactus in superficie utriusque corporis, quæ est indivisibilis penes profunditatem : & tamen tunc illæ superficies indivisibiles non se tangunt totaliter, alioquin penetrarentur, quod est naturaliter impossibile; ergo licet punctum tan-

gat

gat punctum, linea lineam, superficies superficiem, non se tangunt totaliter, sed sufficienti modo, ut ex eis indivisibilibus fiat continuum extensum, & divisibile.

3 Probatur 3. Si continuum constaret ex partibus divisibilibus, constaret ex finitis, vel infinitis. Si ex finitis? Ergo per finitas divisiones deveniendum est ad indivisibilia, quæ non possunt amplius dividi; unde resolutio continui sit usque ad indivisibilia. At totum resolvitur in ea ex quibus componitur: ergo si resolvitur in indivisibilia, componitur ex indivisibilibus.

Si tamen ponas partes infinitas, tunc plura sequuntur absurda. Et 1. nullum erit spatium locale, etsi breve, quod possit finito tempore pertransiri. Nam in motu locali corpus movetur de parte in partem; & cum in unico instanti non possit esse corpus in duplici spatij parte, restat, ut in instanti A sit in parte A in instanti B sit in parte B, & sic de aliis. Ergo pro partibus infinitis transeundis, oportet dare motui motulas temporis infinitas : unde tempore finito non poterit breve spatium pertransiri, quod oculariter patet esse falsum.

Secundum absurdum, quod motus in spatio brevissimo nunquam veniet ad terminum. Probatur. Nam per motum pars illius spatij acquiritur post partem; nec veniet ad terminum, nisi partes omnes acquiritur, & per motum finiatur. Sed si partes sunt infinitæ, nunquam possunt per motum finiri, sed pluribus

jam acquisitis, semper restant alia, & alia acquirenda in infinitum : ergo mobile nunquam veniet ad terminum.

Confirmatur, & meo videri factis efficaciter. Quia continuum habet partes in infinitum, in quas est divisibile juxta Aristotelem, idèd nunquam devenire possumus ad ultimam divisionem, sed positis quibuslibet, adhuc restant alia, & alia divisiones possibiles in infinitum : ergo pariter, quia continuum spatij cujuslibet habet partes infinitas, per quas mobile potest pertransire, nunquam poterit pertransire omnes, sed transitu facto per plures, semper restant alia, & alia in infinitum. Hic adjuget ea absurda, quæ contra infinitatem partium posita sunt quæst. præcedente num. 3. tum de infinito secundum numerum, tum de infinito secundum extensionem, & magnitudinem. Nam si quodlibet continuum habet infinitas partes, omnia continua erunt æquæ extenta, & omnia infinitæ magnitudinis, quod oculi nostri testantur esse falsum.

§ II.

*Præfertur sententia Aristotelis ;
quæ probatur autoritate &
ratione.*

4 **S**ententia Arist. hoc libro ferè per totum, est continuum componi ex partibus divisibilibus in infinitum. Eam hæc, & ubique docent D. Thomas, & B. Ægid.

In eam ferè jararunt omnes Theologi, & Philosophi, præ ceteris N. Greg. Arim. in 2. Sent. dist. 7. q. 2. art. 1. latissimè, & ingeniosissimè eam probans autoritate, & rationibus tum mathematicis, tum philosophicis. Pro ea allegantur SS. PP. Basiliius, Augustinus, & alij; nec dubitamus pro ea stecisse quoque impugnarunt errores Democriti, præcursoris Athæorum, negantium primam causam Mundi, quem formatum credunt ex atomis volantibus, & casualiter concurrentibus ad formationem omnium, quæ in natura sunt. Vide plura de hoc in Patre Sæneri tom. 1. sui increduli sine excusatione, ubi pulchrè, nervosè, & radicitus explodit errorem istum.

Probatur 1. sententia Arist. autoritate Concilij Constantiensis, ubi sess. 15. numerantur errores Ioannis Hus, & inter eos reponitur quòd tenuerit continuum componi ex solis indivisibilibus. Verba Concilij sunt: *Linea aliqua mathematica continua componitur ex duobus, tribus, vel quatuor punctis immediatis, aut solum ex punctis simpliciter finitis; vel tempus est, vel erit compositum ex instantibus immediatis. Item non est possibile quin tempus, & linea (si sint) aliter componentur. Prima pars est error in Philosophia, sed ultima erat circa Divinam potentiam.* En testibus PP. Concilij sententia Zenonis est error in Philosophia: quare pudere debet Catholicos philosophantes in defensionem hujus opinionis. Quæ Arriaga, & alij reponunt, ut verba Concilij effugiant,

expendit, & depellit Prado in præfenti. Vide etiam P. Rubio tractatu de compositione continui quest. 2. & Linzæum Jesuitam.

5 Probatur 2. ex P. Augustino lib. de Immortalitate animæ cap. 12. ubi ait: *Porro corpus minuitur, cum ex eo aliquid præcisione detrahatur, ex quo conficitur, ut tali detractioe tendat in nihilum: at nulla præcisio perducit ad nihilum; omnis enim pars, quæ remanet, corpus est. Et quidquid hoc est, quantumlibet spatio locum occupat; nequid possit, nisi haberet partes itidem in quas cederetur. Potest igitur infinitè minui, & idè defectum pati, atque ad nihilum tendere, quamvis pervenire nunquam queat.*

Et cap. 16. *Moles quippe omnis, quæ occupat locum, non est in singulis suis partibus tota, quare alia pars ejus alibi est, & alibi alia.* Et libro 11. de Trinit. cap. 10. ait: *Ratio docet, & minutissima etiam corpuscula infinite dividi.* Et Epist. 94. ad Nebridium vult expressè corpora in infinitum posse secari, & quòd nullam est minimum. Et lib. 2. Soliloquiorum circa finem eandem sententiam, approbat, & disertè tradit. Nec mirum, quia contraria de indivisibilibus, & atomis expresse damnatur à PP. veluti error Epicureorum. Vide Clementem Alexandrinum lib. 1. Stromat. contra Epicur, Basilium Magn. Hom. 1. in Hexam. Gorgorium Nazianzenum, & alios.

6 A ratione probatur hæc sententia multipliciter. Soto lib. 6. Phys. q. 1. adducit decem rationes, Pereira lib.

lib. 10. cap. 13. proponit viginti, N. Arimim loco laudato explicat capitales ex Mathesi & Philosophia mutatas, unam, vel alteram proponemus; & quæ merito reputatur efficacior, proponitur sic. Indivisibile additum indivisibili, non facit divisibile: sed continuum est divisibile; puncta autem indivisibilia sunt: ergo continuum, non constat ex solis punctis indivisibilibus. Vel aliter. Indivisibile additum indivisibili, non facit majus: sed continuum est quid majus, & extensum, quàm punctum indivisibile, & inextensum: ergo continuum extensum, & divisibile non constat ex indivisibilibus solis. Consequentia patet, quia si unum punctum additum alteri non facit majus, sic nec mille, aut infinita puncta addita facient majus. Eadem enim est ratio de uno, & de infinitis, ut patebit; quare restat probanda major.

Probatur sic. Ut duo se tangentia faciant majus, debent se tangere tantum penes extremitates, si enim secundum tota se tangunt, penetrantur, & non faciunt majus: sed dum indivisibile additur indivisibili, non se tangunt secundum extremitates, sed secundum totam; quod enim est indivisibile, non habet extremitates, quare vel totum attingitur, vel nihil: ergo indivisibile additum alteri, non facit majus.

7 Hæc ratio solvitur à P. Arriaga ex M. P. August. lib. 2. de Liber. arb. cap. 8. ubi ait: *Quantulumcumque illud corpusculum sit, habet sinistram, dextram, inferiorem, superio-*

rem &c. En juxta S. P. indivisibile habet extremitates, & potest tangi à dextera tantum, vel à sinistra, & non tangi secundum se totum. Quare unum punctum Aristotelis fundamentum. Hinc solutioni affinis est altera, quæ excogitavit puncta quædam inflata, ex una parte indivisibilia, quoniam puncta sunt, ceterum quia inflata, idè extensa, & taliter ut se mutuo tangant penes extremitates tantum. Quo fit, ut ex multis fiat quantum, & extensum.

Confirmatur. Nam dum duo corpora se mutuo tangunt, tangunt se in ultima utriusque superficie indivisibili: & tamen illæ superficies indivisibiles non se tangunt secundum se totas, alioquin penetrarentur naturaliter, quod est impossibile: ergo stat indivisibilia se tangere, & non secundum totum. Rursus, punctum continuativam partium lineæ tangit partes illas, & illæ tangunt punctum; at non totaliter, sed ex diverso latere: ergo quia indivisibile potest tangi, & non secundum totum. Probatur minor. Quia si partes illæ tangerent totum punctum ex utroque latere, partes illæ se tangerent invicem, & penetrarentur in puncto uniente: penetratio autem impossibilis est, nec partes facerent majus, si in puncto penetrarentur.

Confirmatur 3. urgentius. Si partes tangunt punctum totaliter: ergo quidquid punctum tangit, tangunt partes ergo dum globus movetur per planum, & tangit illud in puncto, tangit illud per partes. Hoc negatur ubi

ubi supra ab omnibus nostræ sententiæ. 4. fortius adhuc. Quod est punctum in linea, est instans in tempore, cujus partes copulantur instantibus, ut docent DD. cum Arist. & præsentit P. August. serm. 111. de Diversis: ergo si partes temporis unte instanti, illud tangunt totaliter, cuicumque coexistit instans, coexistit partes temporis copulatę instati, Hoc est impossibile. Quia partes tepo- ris sunt præteritum, & futurum, quæ vel non sunt, vel nondum sunt, est tamen de præsentis instans copulans eas partes. Rursus, si partes præteriti, & futuri tangerent instans præsentis adæquatę, partes illæ coexisterent huic instanti; ergo coexisterent sibi mutuo, quod est impossibile in continuo successivo, ut sunt motus, & tempus.

Sed contra primam solutionem adest, quod authoritas P. Augustini non est ad rem: loquitur enim de corpusculo, quod est physicę indivisibile, ceterum habet suas partes, in quas mathematicę, & per rationem est divisibile, & quantum. Audi S. Doct. explicantem ea corpuscula physicę indivisibilia, dicit sic serm. 111. de Diversis: *Multi nesciunt quid sit atomus: Atomus dicitur est à tome, quod est scissio: Atomus grecę, quod secari non potest. Sed dicitur atomus in corpore, atomus in tempore. In corpore dicitur, si quid inveniri potest, quod quidem dividi non posse prohibetur corpusculum aliquod tam minutum, ut jam non habeat ubi secari possit. Atomus autem in tempore, momentum est breve, quod jam*

non habet ubi dividatur &c. At ut vidimus ex S. Parente lib. 11. de Trin. cap. 10. talia corpuscula sic sunt physicę indivisibilia, ut ratio non desinat profsequi, ac dividere.

Hic vides corpuscula illa, quæ dexteram habent, & sinistram, revera habere partes, & esse divisibilia mathematicę. Punctum autem, de quo est sermo, est plene indivisibile, nec habet latera, nec dexteram; aut sinistram, nisi merè extrinsecę, denominatione surapta à lineis, quæ ex adverso possunt in illo puncto terminari. Ceterum semel tacto puncto, tangitur necessariò secundum totum, quia indivisibile vel totum attingitur, vel nihil.

Altera solutio de punctis inflatis est egregium commentum, ad inventum gratia disputandi, aut animo contendendi. Irridenda putatur ab aliquibus illa inflatio, potius quàm impugnanda. Nec ex raritate, & densitate partium quantitatis colligitur bene inflatio, aut compressio punctorum indivisibilium. Quod enim nullas habet partes, non potest rarefieri, aut condensari.

Impugnantur breviter AA. hujus inflationis, 1. quia per illam punctum fit extensum; sed implicat quod indivisibile sit extensum; quia sic esse, est habere partem extra partem: quod repugnat non habenti partes; ergo repugnant puncta inflata. Secundò. Vel divisione lineæ destruitur punctum medianis, vel non. Quidquid dicas, sequitur lineam non posse

posse dividi in medio; & hoc est contra experientiam. Probatur sequela, & suppone punctum, in quo fit sectio, destrui. Tunc si linea habet sex puncta, oportet quod divisione destruas unum; ergo duæ medietates divisæ non erunt æquales, sed una tria puncta habebit, alia duo. Si dicas, quod divisione non destruitur punctum, in quo fit, pone lineam quinque punctorum; hæc non poterit dividi in puncto medio, quantumcunque inflato; nam cum tali adhuc inflatione est indivisibile.

Præterea; sint puncta, ut velis, inflata, ea certè non habent partes: ergo reddat ratio Aristotelica. Probatur consequentia. Nam quidquid tangit aliud, tangit vel secundum partes, vel secundum totum. Sed per inflationem punctorum non fit, ut puncta habeant partes: ergo non fit, ut tactus ille non sit penetratio, quæ repugnat extensioni. Si recurras ad partes virtuales, quæ sunt in puncto, nil obtines per inflationem. Nam in punctis non inflatis admittimus distinctionem illam virtuales, qua sunt principium, & finis lineæ. At distinctio illa valet pro contradictorijs nostrarum propositionum; sed nil pro extensione, & compositione continui, cum non tollat à punctis realem indivisibilitatem, vi cujus vel totaliter attingantur, vel nil eorum attingitur.

9 Ad primam, & secundam confirmationem solutionis datæ, dic quod duo corpora se tangentia in superficie indivisibili, se penetrant in

eo indivisibili, non propriè, sed impropriè, & hoc non est impossibile naturaliter. Dic idem de partibus lineæ se tangentibus in puncto eorum unitivo. Hujusmodi penetratio impropria partium nil est, nisi partes illas se tangere penes extremitates; hoc nedum est possibile naturaliter, verum necessariò requiritur ad compositionem continui extensi vi talis contactus. Si autem ex solis punctis disponatur continuum, illa cum non habeant extremitates, se tangerent tota, & sic plene, & propriè penetrarentur: unde nec facerent quid majus plura, quàm unum, & naturaliter daretur plurium penetratio propria.

Ad 3. confirmationem solutionis P. Hurtado illa convictus, dicit in illo casu globum non tangere planum in puncto solum, sed in parte non quidem aliquota, sed proportionali. Idem dicit de partibus temporis proportionalibus, quæ unitæ instanti præsentis, coexistunt ei, cui coexistit instans uniens. Fatetur etiam, quod fortius argumentum pro Zenone sumitur ex continuo successivo, ut est tempus, & motus. At nil mirum, quia difficile est explicare, quomodo existat tempus, & sicut facile probatur tempus non existere, sic probatur partes temporis, & motus, esse instantia, & indivisibilia. Vide dicta à nobis lib. 4. q. 10. quæ hic necessaria sunt, nec vacat ea repetere.

Acquiescam facilè solutione P. Hurtado, quæ evacuat difficultatem

objectam; dummodo notes; quòd pars unita puncto, sicut tota non tangit punctum, sed per suam tantum extremitatem, sic non tangit planum tota, sed in sola extremitate. Hoc forsitan docent etiam DD. cum quibus admissimus globum planum tangere solum in puncto. Et constat. Nam quod tangitur à puncto, tangitur à tangente punctum: sed partes globi unitæ puncto, tangunt per suas extremitates punctum, non per se totas: ergo tangant secundum extremitates planum, non secundum se totas.

Hoc difficilius explicatur in partibus temporis, sed æquè verè. Nam instans præsens tangit extremitates præteriti, & futuri, hoc est finem præteriti, & initium futuri: ergo licet mihi nunc non coexistent præteritum quod jam non est, nec futurum, quod nondum est; at mihi nunc coexistent finis præteriti, & initium futuri. Probatur consequentia, quia implicat mihi nunc coexistere instans præsens, & quòd non coexistent illa, quæ tanguntur formaliter ab instanti præsentis. Talia sunt finis præteriti, & initium futuri. Rursus, sicut partes continui permanentis uniantur punctis, sic in continuo successivo uniantur instantibus: sed partes continui permanentis coexistent in puncto secundum extremitatem: ergo & partes temporis secundum extremitates coexistent in instanti. Hoc forsitan est, quod lib. 2. diximus ex B. Ægidio, nempe partes temporis existere ratione ordinis. Stat ordo in eo, quòd initium futuri uniatu-
etiam

ni præteriti in hoc instanti copulante. Si velis alias probationes pro sententiâ Arist. consule DD. citatos.

10 Ad fundamenta contraria, posita num. 1. respondemus, & ad argumentum de globo rotante supra planum, utere doctrina data supra quæst. 1. num. 6. ubi tradita est duplex solutio, una de motu per saltus quæ est PP. Complutensium, altera de motu per punctum plani, & partes aeris intermedij, quam tradunt alij apud P. Rubio. Clarius forsitan respondetur ex hîc dictis n. 9. negan quòd globus tunc tangat planum in puncto tantum; tangit enim etiam in partibus unitis puncto. Nec contradicit hoc doctrinæ datæ q. 1. num. 4. ubi ex tactu globi in solo puncto probatum est dari puncta in continuo. Non contradicit, quia idè probatur hîc globum tangere in parte, quia tangendo in puncto, tangit in partibus unitis puncto: ergo inde probatur, aut verius supponitur dari puncta in continuo. Nec contra rationem spherici est tangere planum in parte, si pars tangat solum secundum extremitatem, sicut non est contra rotunditatem, quòd partes ejus sic uniantur puncto. Quare doctrina supra data exponenda est de impossibilitate corporis spherici ad tangendum planum per partes divisibiles secundum se totas. Sic cessat plenè prima ratio pro Zenone.

Ad confirmationem dic. lineam constare ex punctis, & partibus interjacentibus. Globus autem rotans tangeret non sola puncta, sed partes

etiam proportionales modo dicto. Nec saltaret rotans, quia pro saltu oportet quòd inter tactum, & tactum, mediet pars aliqua non tacta. At nulla talis est; semel quòd tangendo omnia puncta, tangit in extremitatibus unitis omnes partes proportionales, ut dictum est.

11 Ad secundum fundam. positum num. 2. dic, quòd inter primum punctum lineæ & omnia alia *divisive* sumpta, mediat lineæ, quia nullum est designabile punctum secundum, inter quod & primum, non mediet lineæ, & pars divisibilis, constans ex partibus, & punctis in infinitum. At inter primum punctum, & omnia alia *collective* sumpta, nihil mediat, quia nec mediat lineæ, nec punctum, sed plenè nihil. Imò acceptio ista *collectiva* omnium punctorum continui, est implicatoria, sicut diximus contra P. Arriaga lib. 3. q. 5 § 5. Eò quòd infinitum in potentia nunquam potest sumi *collective*, & in actu. Post primum punctum lineæ sequitur pars divisibilis in infinitum, unde sequitur pars habens plura puncta, & plura sine termino; & sicut in parte ista non est designabile punctum, quod sit immediatius primo; ita nõ possunt omnia sumi *collective*, ut ea collectione contraposta primo puncto, queratur an mediet, vel non mediet quid? Revera data illa *collectiva* acceptione, nil mediat: nec idè punctum est post punctum, quia in extremo collectionis punctorum involvuntur partes sine quibus puncta nec sunt, nec colligi possunt verè per

rationem nostram.

Ad 1. confirmationem admissio casu, dic, quòd ex parte loci concurrunt in eodem indivisibili duæ superficies, aeris & aquæ tangentes corpus locatum. At ex parte locati non correspondet duplex, sed unica superficies. Ratio est, quia correspondentia locati ad locum solum petit, quòd locatum non se extendat plus, aut minus quàm locum. At duæ superficies aquæ, & aeris ambientis, cum sint duo indivisibilia, non plus se extendunt penes profunditatem, quàm unica corporis superficies: ergo ex contactu immediato superficierum aeris, & aquæ ambientium corpus, non probatur quòd in corpore sint immediate duæ superficies.

Ad 2. confirmationem nego quòd ratio Arist. instetur. Ad instantiam die, quòd duo corpora contingua se tangunt in superficie indivisibili, & se penetrant improprie, ut num. 9. dictum est. Potest etiam dici, quòd indivisibilia adjuncta partibus non se tangunt totaliter, eò quòd partes divisibiles, quibus adjuncta sunt, impediunt contactum totalem. Dum autem nuda sunt, ut possuit Zeno, se tangunt totaliter nec faciunt quid majus, per sui mutuam unionem: & contrapositionem istam concluditur benè ratio Aristotelica.

12 Ad tertium fundam. positum num. 3. dic, partes continui proportionales esse infinitas; sed aliquotæ finitæ sunt. Nec idè in aliquotis finitis possumus venire ad indivisibilia. Nam divisione partis aliquotæ

facta usque ad minimum naturale physicum, quod non sit physicè divisibile, potest tamen illud dividi à mente mathematica. Præterquamquod sumpto illo minimo, & reunito partibus alijs, adhuc erit physicè divisibile. Sed age, sit quod intendis de partibus aliquotis; at proportionales penes quas salvatur continuum infinitè divisibile, partes infinitæ sunt, ut dictum est q. 2.

Nec contra talem infinitatem benè arguitur ab absurdis, quia nulla sequuntur, ut patet ex dictis quæst. præcedente num. 11. & 12. quibus aliqua hic annexenda duxi ad majorem explicationem. Ad primum absurdum dic, quod si tempus constaret ex solis instantibus, non posset finito tempore pertransiri spatium habens partes infinitas, nam tunc juxta infinitatem partium deberent poni instantia infinita, & hæc juxta Zenonistas facerent tempus infinitum. Quod vides absurdum retorqueri in contrarios. Motus localis ita non fit juxta Peripateticos, qui in tempore brevissimo agnoscunt etiam partes infinitas, cum sit divisibile in infinitum. Correspondent ergo partes infinitæ spatij localis, & motus, partibus infinitis proportionalibus temporis, & una possit aliam in motu, & tempore, & acquisitione spatij. At quia partes illæ proportionales infinitè includuntur in partibus aliquotis finitis; ideo spatium finitum est, motus finitus, & finito tempore terminatur.

Hinc habes duo notanda. Primum, quod attentis partibus propor-

tionalibus, unum continuum non est majus alio: extensio enim, majoritas, & minoritas non sumitur ab eis, sed à partibus aliquotis, quæ in uno continuo plures sunt, quam in alio, ut in cælo sunt plures palmi aliquoti, quam in ulna; & ob id cælum majus est 2. Colliges, quod spatium ulnæ velocius pertransitur ab Aquila, quam à testudine, quia ratione velocitatis citius Aquila transit partes ulnæ aliquotas, quam testudo: unde in aliquota temporis parte, qua testudo minimam partem aliquotam transit, transit Aquila totam.

Nunquam mobile tardum, aut velox, potest esse simul in duplici parte loci: ceterum nulla pars designabilis est in motu, in spatio, & tempore, quæ non sit aliquota. Quare cum istæ partes designabiles, sint aliquotæ, & finitæ, solum petunt ad sui transitum tempus finitum, compositum tamen ex infinitis partibus proportionalibus, ut dictum est. Arguens utrasque confundit, solutio debet utrasque distinguere. Distingue sic. Pone pro singulis proportionalibus spatij, & motus, singulas proportionales temporis. Utrinque sunt infinitæ: unde sibi correspondent. Arguis: ergo est necessarium tempus infinitum pro transitu spatij finiti. Respondeo consequentiam esse falsam, & sibi complicatam. Est falsa, quia multitudo partium proportionalium non facit extensionem, quæ tota sumitur ab aliquotis, & hæc finitæ sunt. Sibi complicat, quia doces spatium esse finitum, etsi habeat infinitas partes

tes proportionales: cum tamen partes infinitæ proportionales temporis, faciant per se tempus infinitum.

13. Ad 2. absurdum nego sequelam. Ratio est, nam motus non fit per partes proportionales, sed per aliquotas: at istæ finitæ sunt, & habent terminum: ergo motus fit, ut videmus, deveniendo ad terminum. Arguens vult motum fieri per partes proportionales, quæ non habent terminum, ut inferat mobile nunquam ad terminum devenire. Ceterum dato hoc antecedenti, non tener adhuc sequela, si simul teneas, ut debes correspondentiam partium proportionalium temporis, & motus. Vnum enim infinitum potest adæquari, & sic finiri ab alio infinito, ut lib. 3. dictum est quæst. 5. ergo licet partes proportionales spatij sint infinitæ, possunt finiri à motu habente etiam partes infinitas, & in tempore haben-

te similiter infinitas partes. Ergo nunquam benè inferitur quod motus non veniat ad terminum, etsi sit per spatium, habens infinitas partes.

Amplius forsan urget confirmatio, à me posita pro 2. absurdo. Nihilominus concessio antecedenti, nego consequentiam. Disparitas est, quod partes spatij proportionales de materiali se habent ad motum, qui fit per solas aliquotas; & cum istæ sint finitæ, & habeant terminum, motus venit ad terminum. At partes proportionales se habent de formali ad divisionem, & ideo ponuntur infinitæ, quia continuum est in infinitum divisibile. Ergo licet ex infinitate partium benè probetur, quod in divisione non venit ad terminum, secus in motu, nec valet consequentia. Quæ ibidem num. 3. in fine reponuntur ex dictis quæst. 2. num. 3. satis soluta sunt ibidem. Quare ad alia transeamus.

Q V A E S T I O. III.

Quomodo res incipiunt, & desinunt esse?

§ Unicus.

Explicatur breviter incæptio, & desinitio rerum successivarum, & permanentium.

Hujus quæstionis difficultas est sequela ex dictis de compositione continui, nam cum non constet ex indivisibilibus, sed ex partibus unice medio indivisibili, sequitur quod tempus non constet ex duplici *nunc*, aut ex duplici

instanti immediato, sed post instantia datur pars divisibilis temporis, post partem instantem; & sic de ceteris. Rursus, cum res, quæ tempore mesurantur, aut quæ sunt in tempore, quædam sint permanentes, ut Angelus, homo, lignum; quædam successivæ, quæ

non habent simul totum esse, ut motus, alteratio, &c. de his est difficultas, quomodo incipiant, & quomodo desinant esse. Preme prius difficultatem, & sic melius percipies solutionem.

Si petas à vulgaribus, quomodo incipit tempus? Respondebant, quòd *incipit per primum sui esse*. Nam idem sonat incipere esse, ac habere primum esse; cum à primo esse res incipiat esse. Ceterum en quomodo respondent malè. Nam primum esse tēporis est instans iniciativum: sed in instanti illo non est tempus: ergo tēpus non incipit per primum sui esse. Probat. minor. Tempus, & quæcūque res successivæ, non habent suum esse simul, sed successivè; sed si haberent suum esse in instanti, haberent suum esse simul: ergo in instanti iniciativo temporis non est tempus. Ergo non incipit per primum sui esse. Quomodo ergo?

Eadem est difficultas de fine temporis. Nam tempus finitur in instanti, quod est terminativum indivisibile ultimæ partis divisibilis. Hoc instans est ultima esse temporis. At non potest dici quòd tempus desinit per ultimum sui esse. Ratio est eadem in desitione, ac in inceptio- ne. Non incipit tempus in instanti, quia non habet suum esse simul, quod haberet, si inciperet, in instanti. ergo nec desinit in instanti terminativo, quia nequit in eo simul habere suum esse, quod desinit. Quæ dixi de tempore, applica motui, & omni rei successivæ, quæ non habet suum esse simul,

2 Ob hæc Philosophi cum Arist. hic text. 46. non inventientes mensuram intrinsecam pro tempore, & rebus successivis, cum aliunde obligentur assignare mensuram inceptio- nis, & desitionis omnium rerum recurrunt ad mensuram extrinsecam. Quare dicunt tempus, & omnia successiva incipere esse per ultimum sui non esse. Desinunt autem per primum sui non esse.

Pro quo adverte, quòd omne incipiens, habet esse post non esse: quare *ultimum non esse, est primum esse rei*. Vtrumque est mensura in- ceptionis, sed prima est extrinseca rei incipienti, secunda est intrinseca, sicut est intrinsecum rei ejus esse. Quare cum pro tempore, & suc- cessivis incipientibus, non sit designa- bilis mensura intrinseca inceptio- nis, nempe eorum *primum esse*; ideo da- tur pro eis extrinseca mensura, & di- citur, ea incipere per ultimum sui non esse.

Sic in desitione. Omne quod desinit, habet non esse, post esse. Quare *Ultimum esse, est primum non esse*. Hoc est mensura extrinseca de- finientium, illud intrinseca. Ergo cum in successivis non sit mensura in- trinseca desitionis; recurrendum est ad extrinsecam, & dicendum, suc- cessiva desicere per primum sui non esse.

3 Hoc probatur communiter quoad utramque partem sic. Tunc tempus, & res successivæ incipiunt, quando est verum dicere *Nunc sunt, & antea non erant*. Sed de illo instanti, quo tempus incipit esse, non est ve-

rum dicere *Nunc est tempus*; similiter de motu, & aliis successivis, non est verum dicere *Nunc est motus*: ergo non incipiant talia per primum sui esse, nec potest designari mensura intrinseca inceptio- nis eorum. Probat. minor. Id, cujus totum esse non potest esse simul, non est in instanti; quare de tali nequit affirmari *Nunc est*; mo- tus, tempus, & omne successivum, nequit habere suum esse simul.

Hinc pro inceptio- ne talium de- signanda est extrinseca mensura, & dicendum talia incipere per ultimum sui non esse. Probat. 1. Quia omne incipiens est mensurabile intrinsecè, vel extrinsecè: ergo cum successiva incipiant, & non possint intrinsecè mensurari per primum sui esse; restat mensurentur extrinsecè, incipiendo per ultimum sui non esse.

Confirmatur. *Ultimum non esse mo- tus*, est illud, quod præcedit imme- diatè ad instans, quo incipit motus: sed quod immediatè præcedit instans, non est instans, quia non dantur in tempore duo instantia immediata, ut dictum est; quare quod est ante instans, est pars temporis divisibilis: ergo dum dicitur. *Ultimum non esse motus*, designa- tur pars temporis divisibilis. Sed res successiva, quæ non potest mensura- ri instanti indivisibili, benè mensura- tur parte temporis divisibili, & suc- cessiva: ergo benè, & verè mensu- rantur extrinsecè omnia successiva incipientia per ultimum sui non esse.

Idem dic de desitione, quæ ne- quit esse in successivis per ultimum sui esse. Ergo restat sit per primum sui non

esse. Patet consequentia ex dictis pro inceptio- ne. Anteced. probatur. Quæ desinunt per ultimum sui esse, sic de- sinunt, ut in ultimo instanti sit ve- rum, *Nunc est, & immediatè post non erit*. Sed de tempore, motu, & successivis, nequit in ullo instanti dici, *Nunc est tempus, motus, &c.* Cum in nullo indivisibili habeant suum esse simul: ergo desitio in successivis nequit esse per ultimum sui esse. Re- stat sit per primum sui non esse.

At quia entia successiva, quæ constant ex partibus divisibilibus, & ex indivisibilibus unientibus par- tes, ut dictum est de compositione continui; ideo DD. communiter cum Aristotele docent, talia indivisibilia incipere per primum sui esse, & desine- re per ultimum sui esse. Ratio est; quia indivisibilia habent totum suum esse simul; ergo tota simul incipiunt, & tota simul desinunt. Ergo ab op-posito dici de successivis, tenendum est, indivisibilia habere mensuram intrinsecam inceptio- nis, & desitionis, unde incipiunt per primum sui esse, de- sinunt per ultimum sui esse.

4 De permanentibus, quæ totum suum esse habent simul, docet communis sententia, quòd si fiant sine motu, & in instanti, incipiunt per primum sui esse. Si autem fiant cum motu, & successione incipiunt per ultimum sui non esse. Vtrumque con- stat ex dictis. Primum, quia Angelus, anima nostra, & quæcumque forma fit in instanti, habet in eo totum suum esse, quare de illa verum est, *Nunc est Angelus v. g. & antea non erat*. Et-

go incipit per primum sui esse. Secundum patet, nam quæ fiunt successivè, non habent in primo instanti totum suum esse, ut quando calor fit paulatim per motum alterationis. Ergo talia, vi motus successivi, quo fiunt, incipiunt esse per ultimum sui esse.

Circa definitionem rerum permanentium, videbatur dicendum, quod de punctis dictum est, nempe illas deficere per ultimum sui esse. Hoc negat Palanco, & bene de mente Thomistarum, & conformiter ad Philosophorum principia. Nam quæ sic deficiunt, desinunt esse in instanti, ut patet ex dictis; sed forma viventis v. g. nequit deficere in instanti: ergo nequit deficere per ultimum sui esse. Probatur minor. Forma viventis nequit deficere in instanti, in quo introducit forma cadaverica: nam inde sequeretur duplex forma simul in eadem materia; & hoc est impossibile. Nec potest deficere in instanti antecedenti, quia non dantur duo instantia immediata in tempore, sed mediat pars temporis inter instans, & instans: si autem ponatur forma viventis desinens in instanti antecedenti, & forma cadaveris incipiens in instanti sequenti; sequitur quod materia erit sine ulla forma per totam durationem partis temporis, median- tis inter instans, & instans, quod est impossibile.

Restat dicere, quod omnis forma, quæ deficit à subjecto per formalem oppositionem cum alia, quæ de novo inducitur, illa deficit per

Physicorum:

primum sui non esse: & sic ejus definitio mensuratur extrinsecè, nec potest intrinsecè mensurari. Est dicere, quod forma talis non deficit in instanti, sed in tempore. Quod notandum monet prælaudatus Magister pro dictis 1. Physicorum circa impotentiam materie ad duas formas simul habendas. Hæc est communis doctrina, cui nemo refragatur, si excipias unum, vel alterum, ut Bonaspes, Arriaga, Moneda, tenentes nullum discrimen permanentium à successivis.

5 B. Ægidius tenens communem doctrinam hic 6. Physic. text. 46. eam amplius explicat in Theologia ex principiis P. Augustini lib. 11. Confess. dicentis: *Tunc omnes anni nostri erunt, cum nulli erunt* Accedunt quæ lib. 4. q. 9. & 10, allegavimus ex P. Augustino contra existentiam temporis, quibus denotatur talis natura omnis entis successivi, ut nunquam habeat totum suum esse, nec ejus esse compleatur, nisi quando jam non est. Hinc de successivis bifariam loqui possumus, nempe quoad eorum esse completum, vel quoad inchoatum esse illorum. Primo modo incipiunt per ultimum sui non esse. Secundo modo incipiunt in instanti, & per primum sui esse. Sic N. Villanova hic dub. 4. cap. 1. citans pro eadem sententia N. Lucitanum, Prado, & Aguirre.

Probatur ex B. Ægidio in 2. Sent. dist. 1. q. 4. art. 3. ad 4. ubi ait: *Aliter incipiunt esse permanentia, aliter successiva. Nam permanentia tunc incipiunt esse, cum tota sunt: ut tunc inci-*

Questio III.

incipit esse domus, quando completa est domus. Successiva vero, cum tota sunt, nihil sunt, juxta illud Augustini 11. Confess. *Tunc omnes nostri anni erunt, cum nulli erunt. Et sicut successiva, cum tota sunt, nihil sunt, sic cum incipiunt nondum sunt. Motus ergo incipit in instanti. Sed in illo instanti nihil est de motu. Sic & tempus potest dici incipere in instanti (intellige quoad esse inchoatum) sed in illo instanti nihil est de tempore.* Hæc B. D. ex S. P. Augustino.

Ex quibus patet, quod loquendo de esse successivorum inchoato, incipiunt in instanti; nam in eo datur initium motus, & entis successivi: ergo de eo est verum dicere *Nunc est motus inchoativè, & antea non erat.* Sed in sensu quo hoc est verum, datur mensura intrinseca, & fit inceptio per primum esse, ut patet ex dictis. Ergo successiva, sumpta, non completè, sed inchoativè, incipiunt per primum sui esse, & in instanti.

Si autem sumantur pro esse completo, tenet communis sententia, supra explicata, de mensura extrinseca per ultimum sui non esse. Et revera non tenet communis sententia, si standum sit dictis P. Augustini, & B. Ægid. Quod probo, nam ideo juxta Villanovam, & DD. communis sententiæ, successiva incipiunt per ultimum sui non esse, quia hæc est vera: *Nunc non est motus, sed immediatè post erit.* Sed hæc propositio est falsa, si intelligitur de esse completo motus; ergo loquendo de esse completo entis successivi, ejus incho-

ptio non est per ultimum sui non esse. Probatur minor. Motus non habet esse completum, nisi cum totus motus est, sed motus non est totus immediatè post sui non esse, sed est totus in suo fine, *Quando jam non est,* ut patet ex P. August. ergo.

6 Hinc patet, quod si rem successivam velis sumere completè, & adæquatè, ut sumis rem permanentem, non poteris assignare principium ejus, nec mensuram intrinsecam, aut extrinsecam inchoationis ejus. Non intrinsecam, quia in nullo instanti habet esse simul. Non extrinsecam quia nunquam post ejus ultimum non esse, verificatur habere totum suum esse. Nec successiva habent totum esse, nisi in fine, quando jam non sunt. Ergo cum principium essendi non possit esse finis existendi, nunquam est assignabilis mensura intrinseca, aut extrinseca rei successivæ, sumptæ quoad esse completum.

Ob id pro tempore, & successivis incipientibus, querenda est mensura non esse totalis, sed esse inchoati. At esse inchoatum temporis est primum instans initiativum partium ejus; & hoc instans totum est in instanti; ergo tempus, & successiva incipiunt esse in instanti, & per primum sui esse. Differunt autem à permanentibus, quia hæc incipiunt per primum sui esse, quod est esse eorum completum; illa autem per primum sui esse quod est esse eorum inchoatum. Dic idè de definitione, quæ fit etiam in instanti. Ceterum permanentia in eo instanti habent totum esse completum, suc.

gnum, & Pulicem parvum, sed utrumque organicum: potuit ergo Camelum conservare viventem sub pulicis parvitate, nec non pulicem extendere ad Camelli magnitudinem. Quis dabitur de hoc, aut quis prohibeat? Cum hoc sit rebus naturale, quod Deus voluerit, ut ex P. Augustino dicimus lib. 2. Physic. q. 2. § 2.

Loquendo de potentia ordinaria, & stando presenti ordini, à Deo statuto, res viventes per sui naturam habent terminum intrinsecum magnitudinis, & parvitas, ultra quem, & infra quem, non possunt conservari, & vivere. Sic communiter Philosophi, & docetur à P. Augustino lib. de Quantitate animæ cap. 19. cujus verba omitimus, ne nimis protrahamur. Rursus, libro de Vita Beata, ubi cum in disputatione primi diei S. P. August. dixisset, cibum idcirco sumi, ut corpus crescat, & robustius fiat; intulit Trigetius S. P. discipulus: *Cur ego non pro edacitate mea crevi?*

Respondit S. P. *Modum suum, à natura constitutum, habent omnia corpora, ultra quam mensuram progredi nequeant; tamen ea mensura minora essent, si eis alimenta defuissent, quod & in peccatoribus facilius animadvertimus.* Idem docuit lib. 3. de Trinit. cap. 8. dicens omnia habere incrementa debita magnitudinis. Causam hujus reducit in rationes omnium feminales, à nobis explicatas lib. 1. Physic. quæst. 2. nec melior explicatio adhiberi potest. De hoc B. Ægid. Theorem. 10. & Quodlib. 4. quæst. 10.

Ratio ad hoc suadendum, (Supposita experientia, hujus præcipue asserti magistra) est, quod qualibet forma viventis est certæ, & determinatæ perfectionis: ergo certâ, & determinatam petit quantitatem, quæ naturaliter non possit esse major certo termino, nec minor infra terminum certum. Patet consequentia, quia sicut essentia determinata petit passiones determinatas; ita perfectio rei corporalis determinata, petit magnitudinem determinatam. Vigetur ex dictis lib. 1. de Dimensionibus indeterminatis materiæ. Quod materia habeat quantitatem indeterminatam, convenit ei ex se; quod autem habeat dimensiones determinatas, ei convenit ratione formæ, major enim dimensio requiritur in materia ad recipiendam formam Elephantis, quam ad receptionem formæ Pulicis. Ergo forma substantialis, à qua sumitur determinata perfectio naturæ corporeæ, est etiam principium exigens determinatos terminos intrinsecos magnitudinis, & parvitas in viventibus.

3 Hinc colliges solutionem pro quibusdam parvi momenti, quæ obijciuntur. Supponitur existens homo in maximo quod sic. Hic potest percuti, & sic vel alio titulo infesto, intumescere, quo casu fieret major ultra terminum intrinsecum magnitudinis. Rursus, ille homo comedens, vi alimenti nutriretur, & fieret major. Tandem. Possit gustando de ligno vitæ Paradyfi, augeti, quia tali lignoangebatur vis augmentativa hominis juxta D. Thom. 1. p. q. 97. art. 4.

Hæc

Hæc levia sunt, sicut alia, quæ omitimus. Ad 1. respondet P. Augustinus lib. de Quantitate animæ cap. laudato, illud incrementum non esse naturale, sed noxium, & contra valetudinem naturæ. Sicut hominem habere sex digitos, incrementum est, sed monstruosum, quia natura præfixit quinque tantum. Ad 2. dic. hominem illum vi alimenti non esse augendum, sed conservandum; nec si comederet lignum vitæ, cresceret ultra summum, sed unice instauraret quod per calorem diminueretur humidi radicalis, & nil amplius.

Jam vero quod in viventibus sit *Minimum naturale*, ultra quod non possint minui, probatur à B. Ægidio Theorem. 10. Quia non est dabile aliquid otiosum in natura: sed dabile est aliqua caro ita modica, ut si amplius minuat, non sit in ea operatio carnis: ergo vel concedendum est aliquid otiosum in natura viventis, nempe sine ulla operatione; vel tenendum est dari *minimum quod sic*, infra quod non sit dabile naturaliter. Quæ dicta sunt de viventibus compositis, intellige de illius partibus seorsim, & de humoribus, temperamentis &c. de quibus forsitan tomo sequente.

4 Dicimus secundò cum communi sècticia, quod inanimata, & quæcumque crescunt per juxtapositionem, non habent terminum intrinsecum magnitudinis, & parvitas, sed crescere possunt sine termino, & minui usque ad minimum ferè invisibile. Ita Arist. lib. 2. de Anima text.

41. tibi ait: *Ignis enim augmentum in infinitum radit, quousque fuerit combusibile.* Idem tenuit P. August. 6. de Trinit. cap. 8. Nam talia crescunt *adjunctione sua*, Ut ignis, aqua, terra, aer. Nulla est ratio, ne igni addatur stupa in infinitum: ergo ratio, nulla est, ne crescat in infinitum.

Quod si dicas cum Complutensibus, tunc ignem non fore unum numero, sed diversum, & multiplicem. Contra est D. Thomas 1. p. q. 119. art. 1. ad 5. ubi ait: *Quando igni præexistenti additur nova materia combustibilis, remanet idem ignis numero, quia semper quod additur, transit in præexistens.* Adde quod si esset multiplex numero ignis, daretur multiplex materia, & multiplex forma, quod in unico igne accèso ex varijs lignis, difficile est, nec necessarium.


De minimo patet. Quia inanimata sunt homogœna, & sic divisibilia veluti continuum: sed continuum est divisibile in infinitum: ergo & lapis, aqua, ignis &c. Nota quod per accidens dabitur in his terminis parvitas, nempe, quia non possunt resistere suis contrariis. V. g. ignis modicus, impotens resistere frigori, extinguetur. Ob id pro sui conservatione à contrariis agentibus, habent terminum parvitas, infra quem, non possunt conservari.

5 Observa elementa, & alia inanimata, quatenus sunt partes universi, petunt certam magnitudinem; alioquin non possent cum alijs contiguari, & locari in universo. Vnde ignis, qui ex se potest

cresce e in infinitum, ut pars univer-
si non potest, quia cœlos penetraret,
& aerem à suo situ depelleret, mun-
dum que solus impleret &c.

Contra primum assertum de
augmento inanimatorum indetermi-
nato, militat ratio posita ad suaden-
dum terminum viventium. Ideo enim
viventia habent terminum magnitu-
dinis, quia sunt determinatæ per-
fectionis, & activitatis: at etiam ignis,
aer, &c. sunt determinatæ perfectio-
nis, & activitatis: ergo habent ex
sui natura terminum etiam determi-
natæ magnitudinis, & *maximum quod
sic*. Rursus. Omnis essentia determi-
nata, petit determinata accidentia:
ergo omnis, etiam in non viventibus,
petit determinatam quantitatem, qua-
litate &c.

Respondetur cum PP. Conim;




bricentibus rationem factam probare
de viventibus, sed non de inanima-
tis. Disparitas est, quia forma viven-
tis post augmentum manet eadem, ac
erat antea; eadem enim est anima
corporis augmentati, ac fuit in cor-
pore crescente. Ob id posito augmē-
to, semper manet cum eadem exi-
gentia accidentium, & determinatæ
perfectionis, & extensionis. In igne,
& aliis non sic. Quia per augmentum
forma minima, quæ erat, mutatur, &
accretionem facta major, eadem non
est, sed diversa; ac fuit; unde petit
nova accidentia, & majorem exten-
sionem sine termino. Et patet: nam
ignis modicus non est ita activus ex
sui natura, ac ignis nimis accensus,
qui distantes partes calefacit,

& comburit. Vide alia
apud ipsos.

LIBER SEPTIMUS

PHYSICORUM.



IC liber totus est de motu per comparationem ad mo-
tores, & mobilia; in quo debitum ordinem servat
Philosophus, qui præcedentibus explicavit essentiam
motus, partes ejus, & proprietates. Motus per com-
parationem ad motores, ducit nos in agnitionem pri-
mi motoris immoti, & primæ causæ: quæ sanè no-
ticia non parum commendat humanam Philosophiã,
ducentem nos ex creaturis in cognitionem creato-
ris. Motus relatè ad mobilia suadet concatenationem principij activi, &
passivi, & necessitatem approximationis agentis ad passum, ut tangat & mo-
veat, quia movere, aut agere non potest, si non tangit. Quinque capi-
tibus liber absolvitur; tria prima sunt de subordinatione moventium; duo
ultima de approximatione agentis ad passum. De omnibus agemus breviter,
pro quibus sit.

QVÆSTIO. I.

Vtrum aliquis possit movere seipsum primo, & per se?

§ I.

Proponitur sententia affirmativa cum suis fundamentis:

■ **H**Æc propositio *Omne quod
moveretur, ab alio mo-
vetur*, est præcipua veritas, quam in
hoc libro dilucidare contendit Aristo-
teles, ut inde inferat deveniendum
esse ad primum motorem immotum,
qui est Deus, omnia movens, sed à
nemine motus. Illatio est legitima, si
antecedens verum sit. Nam si nemo
potest seipsum movere, sed ab alio:
ergo hoc secundum movetur ab alio,

& hoc ab alio, & sic de ceteris. Er-
go unum è duobus, nempe, vel da-
tur processus in infinitum in motis, &
moventibus; vel deveniendum est, &
sistendum in aliquo motore, qui sic
moveat, ut à nemine moveatur. Pri-
mum rejicitur à vera Philosophia ne-
gante infinitum ob rationes datas li-
bro 3. Physic. Ergo restat secundum,
nempe dari in rerum natura quemdã
motorem immotum, qui ideo est pri-
ma

ma causa omnium.

Tenuit P. Augustinus eandem propositionem, ut verissimam locis datis lib. 2. q. 17. & 18. ubi de mente S. Parent. probata est subordinatio causae secundae ad primam in operando. Et libro 2. de Liber. arb. cap. 17. probat quod nemo potest sibi dare esse, & utitur argumento, quo etiam suadetur neminem posse sibi dare motum, & movere seipsam. Verba P. N. sunt haec. *Nulla res seipsam formare potest, quia nulla potest dare sibi quod non habet; & utique ut habeat formam, formatur aliquid. Quapropter qualibet res, siquam habet formam, non ei opus est accipere, quod habet; siqua vero non habet formam, non potest a se accipere quod non habet. Nulla ergo res, ut diximus, formare se potest.*

Dic idem de motu. Nam quod dat sibi motum, dum se movet, vel habet motum, quem dat sibi, vel non habet. Si habet? Ut quid dat sibi, quod habet? Si non habet? Quomodo potest dare quod non habet? Restat, quod nemo sibi det motum, dum movetur: ergo ab alio accipit; & sic *quod movetur, ab alio movetur.* Ob id S. Thomas, B. Aegidius, & multi antiqui DD. hanc propositionem supponunt per se notam, & facile demonstrabilem, inde veluti ex primo principio, deducunt legitimè plures conclusiones.

2 At quia varia sunt hominum ingenia, & sumpto motu in lata acceptione, ut comprehendit actiones instantaneas, & quamcumque mutationem, se extendit ad multa,

Physicorum.

in quibus propositio illa, absolute prolata falsificatur; ideo aliqui tenent ut veram, ejus contradictoriam, ut N. Arimin. in 2. dist. 6. q. 1. art. 3. ubi docet, idem posse movere seipsum, & putat Aristotelem non sufficienter probasse dari unum primum motorem immotum. Consentit Vazquius 1. 2. disp. 38. cap. 2. num. 6. ubi rationem Philosophi vocat frivolam, & parvi momenti. Accedit Scotus, qui cum suis asseclis admittit propositionem Arist. limitatam, ut nemo possit se movere primitate totalitatis tantum. Totque limitationes adhibentur ab aliis sic, ab aliis aliter, ut pro veritate asserti, & examine limitationum, integram disputationem instituat Exim. Suarius in Metaphysica disp. 18, per totam, ubi latissimè.

Præcipuum fundamentum negandi assertum Aristotelis, sumitur ex variis instantiis, ubi non apparet distinctio agentis à patiente; quare in talibus idem agit in se ipsum, & seipsum movet. Prima instantia est in quacumque essentia, quæ est principium emanationis suarum proprietatum, quæ ab essentia dimanant ut à principio efficiente, & in eadem recipiuntur, ut in subjecto patiente. En essentia eadè sine distinctione reali est agens, & patiens, quare agit in seipsam, & à seipsa movetur.

Rursus, aqua calida se ipsam infrigidat, & à seipsa movetur, dum recuperat pristinam frigiditatem. Calor item non tantum alia desiccatur, sed etiam seipsum; quare in seipsam agit, & à seipso movetur.

Ter-

Quest. I.

Tertio: Gravia, & levia, se ipsa movent in centrum, dum cessat agens extrinsecum, quod ea violenter extra centrum tenebat, ergo in gravibus falsum est, quod ab alio moveatur, dum moventur.

3 Quarto. De viventibus asseritur communiter quod moventur à se; imò hoc est discrimen eorum à non viventibus, quod hæc moventur à generante, secus viventia. Imò vita definitur. *Movus à se, & in se:* ergo quæ vivunt, habent motum à se, & sic non ab alio, sed à se moventur.

Tandem: In omni actione immanente, eadem potentia immanens est primum agens, & recipiens actum immanentem, ut intellectio oritur ab intellectu, & in eo recipitur. Quare sine distinctione ulla idem est agens, & patiens, movens, & motum: ergo sicut à se agit, non ab alio, sic non movetur ab alio, sed à se.

Et confirmatur à ratione. Nam ideo quod movetur, moveri debet ab alio distincto; quia movens est in actu, mobile in potentia; nequit autem idè esse simul in potentia, & in actu. Sed ad motum sufficit, quod movens sit in actu virtuali, & mobile in potentia formali; potest autem idem simul esse in potentia formali, & actu virtuali: ergo potest seipsum movere,

nec necessarium est,
quod ab alio

movea.

tur.

*

§ II.

Probatur, & præfertur sententia negativa.

4 **C**ommunior Philosophorum sententia defendit sine ulla limitatione assertum Aristotelis. Ita D. Thomas hic, & lib. 8. Physic. ubi commentatores Arist. communiter. Accedit B. Aegid. tum hic, tum Quodlib. 3. quæst. 16. & Quodlib. 5. q. 15. Ex nostris Burletus, Venetus, Veracrucius, Landon, citati à Villanova. Ex Thomistis, & aliis Capreolus, Ferrara, Aguirre, Conimbricenses, & omnes RR. Thomistæ. Cum his tenemus, nihil posse per se primò movere seipsum, sed *omne quod movetur, ab alio movetur.*

Hæc sententia est adeò expressa in P. Augustino, ut inde ad instar Aristot. probet deveniendum esse ad primum motorem immotum. Legatur S. P. præsertim libro 8. de Genes. ad litt. cap. 20. 21. & 22. Vbi ostendit quod corporalis creatura movetur à spirituali, & spiritualis à Deo: Deus autem à nemine, quia est plene immobilis, & ideo æternus, quæ illatio Aristotelica est, & ob id post septimum librum de Primo motore in moto, agit in octavo de Aeternitate, ut illata.

Et notandum, quod præcipuum motivum sententiæ negantis, nempe quod viventia movent seipsa, adducitur loco laudato à P. Augustino ad probandum, quod omne quod movetur,

vetur, ab alio movetur. Nam in homine digitus non movetur nisi à palma; palma movetur ab articulo cubiti, cubitus ab articulo humeri, humerus à scapula movetur, scapula à corde, cor ab anima, aut voluntate. Inde inferens animam, & voluntatem moveri à Deo, qui est primum movens omnia, sed immobilis substantia, & immutabilis. Omnia hæc continentur cap. 21. laudato.

Sic philosophatur etiam de spiritualibus lib. 12. de Civit. Dei cap. 9. Inde inferens Deum creasse Angelos cum amore casto, quo illi adhererent, quia motus ille voluntatis non potuit esse in Angelis à seipsis, sed ab alio nempe à Deo. Quod dupliciter probat, nempe theologicè, quia non potuerunt seipsos facere meliores, quàm à Deo facti sunt. Fecissent se meliores, si à Deo accepissent tantum potentiam amandi, & à seipsis haberent amorem; cum melior sit natura amans, quàm potens amare. Philosophicè autem, quia voluntas nihil facit nisi volens, hoc est nil facit, nisi constituta in actu: sed ante primum amorem non erat volens, nec constituta in actu: ergo non poterat dare sibi primum amorem. Accepit ergo illum motum à Deo. Vide dicta lib. 2. Physic. q. 17. & 18. de mente P. August.

5 A ratione probatur nostra sententia. Implicat quòd idem sit agens, & patiens respectu ejusdem motus: sed si moveretur à se ipso, esset simul agens, & patiens respectu ejusdem motus: ergo implicat idem moveri à se ipso. Minor cum conse-

quentia tenet, & major probatur 1. Quia agens, & patiens sunt correlativa, quæ realiter referuntur: sed relatio realis petit realem distinctionem extremorum: nemo enim realiter refertur ad seipsum: ergo.

2 Probatur major, Agens se habet ut dans, patiens autem est recipiens; sed nemo respectu ejusdem potest esse dans, & recipiens: ergo nemo simul agens, & patiens. Minor probatur, nec potest urgentius, quàm ratione Augustiniana, posita num. 1. ex verbis S. Parent.

6 Secunda ratio ad idem formatur sic. Nemo potest moveri, nisi sit in potentia formali ad motum, ut omnes concedunt; nemo item potest movere, & causare motum, nisi præhabeat actualitatem motus vel formaliter, vel eminenter, vel virtualiter; quis enim dare potest quod non habet? Certè nullus: ergo nemo potest movere, nisi habeat motum, & sic debet esse in actu vel formali, vel eminenti, vel virtuali. At nemo potest esse simul in potentia formali ad motum, & in actu, vel formali, vel eminenti, vel virtuali: ergo nemo potest seipsum movere.

Probatur minor. Et primò de formali patet. Quia implicat habere simul actum formalem, & potentiam formalem, tum quia hoc esset esse simul actum, & potentiam, ut arguit B. Agidius locis datis: tum quia esse in actu formali, est illum habere, esse in potentia formali, est carere actu; implicat carere actu, & illum habere: ergo implicat idem esse in actu for-

mali,

mali, & in potentia formali, ad motum.

De actu eminenti probatur sic. Quod continetur eminentialiter, perfectiori modo continetur, quàm dum continetur formaliter. Patet hoc in Deo, ubi continetur eminentialiter esse creaturarum, nec potest in Deo formaliter contineri, quia pugnat hæc continentia cum summa perfectione Dei. Sed implicat quòd id, quod est in potentia ad motum, & movetur ad motum acquirendum, illum antea contineat perfectiori modo, quàm postea; sic enim moveretur ad continendum imperfectiori modo, nempe formaliter, quod ante motum continebat perfectiori modo, & eminenter: ergo implicat quòd idem sit in potentia formali, & in actu eminenti respectu ejusdem motus.

De actu virtuali sic. Omnis virtualis continentia effectus fundatur supra aliquod formale. Sic anima nostra est virtualiter corporea, quia est formaliter spiritualis. Sol est virtualiter calidus, quia est formaliter lucidus. Nec dubile est quid virtualiter tale, quod non fundetur supra aliquod formaliter tale. Ergo esse in actu virtuali ad motum, fundatur supra aliquod esse formale, quod sit in actu formali movendi. Patet consequentia, quia actus virtualis movendi nequit fundari supra potentiam formalem, alioquin perfectius fundaretur supra imperfectius; & carentia actus (qualis est potentia formalis) æquivaleret actui, & esset virtualiter actus, quod implicat. Ergo implicat quòd idem

sit in actu virtuali, & in potentia formali ad motum.

Restat ergo quòd palma sit in actu virtuali ad motum digiti, actu virtuali fundato in motu formali quo palma movetur à cubito. Cubitus etiam est in actu virtuali ad movendam palmam, actu virtuali fundato in motu formali, quo cubitus movetur ab humero. Et cum fiat retrogressio usque ad animam, & ab anima ad Deum innotum; inde patet, quòd quidquid movetur, ab alio movetur, & deveniendum esse philosophicè ad primum motorem immotum.

§ III.

Solvuntur argumenta, & explicatur motus gravium, levium, viventium, & spiritualium.

Restat solvere instantias positas num. 2. pro quarum solutione varias, & prolixas disputationes instituit DD. in præfenti. Ne tamen in longum eamus, quæ possimus brevitate inveniabilis nostram sententiam, consequenter ad doctrinam supra datam in antecedentibus, & dandam in tom. sequenti, ubi de anima, & generatione disputabimus.

7 Prima instantia de emanatione proprietatum ab essentia, supponit falsam in nostris principiis, supponit quòd emanatio est efficientia. Contrarium à nobis probatum est lib. 1. Physic. quest. 10. § 7. ubi diximus, quòd idem agens efficiens est

sit

sen-

sentiam, efficit proprietates, quare sunt *effective* à producente essentiam. Dicitur tamen essentia principii emanationis ratione solius exigentię, quare tales proprietates fieri ab agente ejus. Hinc vides, quod essentia recipiens illas, non est principii efficiens, dans, aut movens, sed petens. Bene potest, qui non habet, petere quod non habet, licet non possit dare, vel efficere: ergo licet idem sit principium, passivum, & emanationis, non tamen idem agens, & patiens.

Ad instantiam de aqua calida, recuperante suam pristinam frigiditatem, dictum est lib. 2. quęst. 10. ubi actum est de substantia immediatè operativa, quod natura dedit qualitatem quamdam substantiis, potentibus deperdere proprium temperamentum, ut illud recuperare possint. Sicut quia gravia, & levia possunt violentari, & poni extra centrum, ideo gravibus, & levibus dedit natura formas, quibus, cessante violentia, recuperarent sua loca connaturalia. In his principis, dum aqua recuperet frigiditatem deperditam, non est idem agens, & patiens, sed patitur, & recipit ratione sui, agit autem ratione qualitatis dictę, datę à natura ad efficiendam novam frigiditatem. Quare instantia nihil probat.

Quia tamen qualitas ista recuperativa frigiditatis negatur à multis, nec probari potest ut genter ejus existentia, ideo aliter dici potest, quod aqua respectu frigiditatis recuperatę se habet, sicut dum primò producta est, nempe unicè ut principii dimanationis

proprietatum, exigens frigiditatem produci à generante aquam, & denuo recuperari ab agente aquam conservante. Quare sicut in prima productione aquę nullam ei concedimus activitatem in frigiditatem, sed meram exigentiam, sic in recuperatione ejusdem. Quare nunquam est principii activum, & movens, sed petens; potest autem petere quod non habet, imo non peteret si haberet, quia nemo petit nisi quod non habet.

8 Ad aliud de calore seipsum exsiccante, Suarius loco laudato Metaphysicę citat B. Ægidium Quodlib. 2. q. 17. docentem, calidum naturale in viventibus excitare seipsum, & consumere humidum naturale, non solum secundum diversas partes, sed etiam secundum eandem: & illa consumptio humiditatis fit per naturalem resultantiam nimię siccitatis ex calore nativo.

Hoc impugnat Suarius duplici titulo. Primo, nam cum illa consumptio humiditatis sit violenta, nequit naturaliter resultare, & ab intrinseco. Implicat enim idem esse violentum, & naturale; ab intrinseco simul, & ab extrinseco. Rursus, id implicat in eadem parte. Nam implicat ab eadem parte animalis oriri contrarias dispositiones naturaliter, nempe humiditatem connaturalem, & calorem, aut siccitatem exsiccantem radicale humidum. Ita num. 15.

At B. Ægidius loco citato solum agit de possibilitate bilocationis corporis, non autem de contrarietate qualitatum. Tractat tamen de calore, & sic-

& siccitate Quodlib. 5. q. 18. sed ibi negat calorem agere in seipsum secundum eandem partem, dicens: *Quod verò addebat de calore naturali deperdente humidum, dicendum, quod illud in quo fundatur calor naturalis, potest habere diversitatem in partibus. Propter quod una pars poterit agere in aliam. Erit agens & patiens distinctè re, subjecto, & loco.* En calidum non agit in seipsum secundum eandem partem, sed secundum diversas, quod non inconvenit, ut dicemus de viventibus, & fatetur Suarius. Positis autem diversis partibus, sicut non implicat unam agere, aliam pati; sic non implicat unam petere ad agendum dispositionem contrariam, ei quę exigitur ab alia parte patiente; agens petit siccitatem, patiens humiditatem, quę contrariantur.

Sed age, demus id evenire in eadem parte, nam post solutionem datam, aliam reponit B. Ægidius ibi dicens: *Sed si non habeat diversitatem in partibus, & calor dicatur agere in proprii subjectum, dicemus quod non erit ibi actio proprii & directè. Sed talis actio principaliter, & directè non reducitur in calorem, sed in generans. Nam quia siccitas est apta nata esse annexa calori, calor facit suum subjectum siccum, sicut aqua reddit seipsam frigidam &c.* En dato quod calor in eadem parte calidi seipsum desiccet, siccitas causata, non est actio propria caloris, sed generantis calorem: sicut aqua seipsam infrigidans, non est causa per se, & directè frigiditatis dum primo producitur, aut dum denuo recuperatur. Est

autem uterque effectus directè à generante substantias calidi, & aquę. A substantiis autem indirectè, ut à subjecto connaturaliter exigente illas qualitates, ut dictum est.

Nec implicat eandem partem petere qualitates contrarias, ut sunt humiditas, & siccitas; quia ibi sermo est de corpore mixto: & in mixto sunt qualitates contrarię, nec sine eis conservari potest. Quę licet pugnent mutuo in sui destructionem, id evenit ex quo mixtum est corruptibile; aut potius mixti corruptibilitas oritur ex contrarietate, & pugna qualitatum, quę in eo sunt. De quo tom. sequente.

9 Ad instantiam nota, quod quidam docent gravia, & levia moveri à seipsis. Sic Nostri Arimin. Venetus, Saxonia; ex aliis Scotus in 2. Sent. dist. 2. q. 10. quem sequuntur Scotistę, & alij quos citat Franciscus Alphonfus disp. ultima Physic. sect. 1.

Contraria sententia expressa est in Arist. 8. Physic. à text. 29. dicens: *Namque ipsa à seipsis moveri, impossibile est.* Probat hoc Philosophus, quia seipsum movere, est proprium viventium, & animatorum. Secundò, quia quod est causa motus, est causa quietis. Gravia, & levia non possunt dare sibi quietem. Tertio, nam quę se movent, se movent ad plures differentias motus, ut arbor, quę se movet deorsum per radices, & sursum per ramos. Gravia non sic, sed semper deorsum, levia item semper sursum. Quarto. Nam ea solum se movent, quę constant ex corpore, & anima, hoc est ex materia organizata

per quantitatem figurantem partes diversas, ut dicemus de viventibus. Gravia, & levia non sunt organica, nec constant ex corpore & forma, sed ex materia & forma.

Eandem sententiam docuit P. Augustinus lib. 13. Confess. cap. 9. explicans quomodo hæc moventur, dicit: *Ignis sursum tendit, lapis deorsum; ponderibus suis aguntur.* Vbi non ait: *agunt se*, sed *aguntur*, nempe à generante, quod tales formas dedit gravibus, & levibus. Eandem sententiam docent ubique D. Thomas, & B. Ægidius, & est communis sententia DD. præter citatos. Suarius autem disput. laudata num. 29. libris utrinque rationibus utriusque sententiæ, putat dissensionem esse tantum in modo loquendi.

Hinc nego, quod gravia, aut levia moveant se in centrum, sed moventur à generante dante, & conservante formas gravitatis, & levitatis, quibus inclinantur in connaturale centrum. Ob id B. Ægidius loco laudato text. 30. ait: *Ridiculum esset dicere, quod grave movet se per se deorsum, propter hoc quod habet in se formam, & naturam, quæ est ratio, & principium talis motus. Sicut ridiculum est dicere, quod paries albificeret seipsum, quia habet in se albedinem, quæ est principium albificandi. Paries ergo effectivè non albificat seipsum, sed albificatur ab eo, qui tribuit ipsi albedinem. Sic nec grave movet seipsum deorsum, sed movetur à generante à quo habet formam gravis, quæ est ratio, & principium talis motus.*

Observa cum B. Ægidio hic, quod grave potest per accidens, & indirectè movere seipsum, quatenus ratione sui ponderis potest scindere medium, quo detinebatur, ne tenderet in centrum. Sic aqua calida ratione suæ naturalis frigiditatis, quæ aliquomodo in ea servatur, dum aqua est, resistit calori extraneo, & illum vincens, se movet indirectè, & per accidens ad recuperandam pristinam frigiditatem. Cæterum motus isti utrobique sunt à generante primò, & per se.

10 Ad 4. instantiam de viventibus, dicimus cum Arist. hic, *Animal non se movere per se primò*, ita ut unaquæque pars illius seipsam moveat; sed in viventibus multiplicantur partes etherogeneæ, ut una pars moveatur ab alia, & hæc ab altera, & sic usque ad primam, ceteras moventem, quæ quidem non movetur à se, sed ab anima; & hæc à generante extrinseco, ut vidimus ex P. Augustino num. 3. & est sententia D. Thomæ, & Thomistarum, nec non B. Ægidij hic, & 4. Sent. dist. 2. p. 2. q. 2. art. 1. ubi docet omnia moveri à corde, cor autem ab anima per spiritus vitales. Et in 2. dist. 1. p. 1. q. 2. art. 1. ad 1. distinguit tres vitas, & in vegetabilibus varias partes, secundum quas se movent motu augmentationis. Vide B. D. 8. Physic. text. 30. & Theorem. 31.

Tenendum est ergo quod viventia non se movent primò, & per se. Probatum quia motus viventium fit penes diversas partes, ita ut nullam moveat se ipsam, sed unaquæque ab alia;

ergo

ergo attentis partibus, quarum quilibet movetur ab alia verum est etiam in viventibus quod ab alio moventur.

Unicè est difficultas de prima parte, reliquas movente, nam cum in partibus viventis non detur processus in infinitum, quia non loquimur de proportionalibus, sed de aliquotis, & etherogeneis, & hæc finita sunt, deveniendum est ad primam, ceteras moventem. De hac quæritur an moveat seipsam.

Videtur quod sic. Nam si movetur à generante; aut ab alio principio extrinseco, tunc motus ille non erit vitalis; nemo enim vivere potest motu extrinseco, & per principium extrinsecum, sed prima pars viventis vivit suo motu: ergo ille non est ab agente extrinseco. 2. Nam motus ille nequit esse in instanti, cum sit continuus, & successivus; unde fit in tempore: at generans sæpe non existit post instans generationis: ergo à generante nequit esse talis motus.

11 Nihilominus tenendum est talem motum cordis. v. g. non esse à corde per se, sed ab agente extrinseco. Ita DD. supra relati cum Arist. Et inde fit, quod vivens non se movet primò, & per se; nam licet seipsum moveat per partes, at devenitur in partem, quæ est prima, sed non movetur à se, sed ab agente extrinseco.

Probatum assertum, quia illa pars non potest movere seipsam ob rationes datas à num. 5. nec potest moveri ab alia parte p̄iore, quia loquimur de parte prima, & ante primam non

datur alia. Nec moveri potest à parte posteriori, quia hæc est mota à prima, & non potest dari mutua causalitas in genere causa efficientis, ut lib. 2. dictam est. Ergo restat quod prima pars moveatur ab extrinseco, nempe à generante.

Hinc dicitur quod primus motus cordis est à generante, & primus motus voluntatis est à Deo create; sicut primus motus horologii est à manu artificis: & primus motus cælestis est ab intelligentia motrice. Horum ratio est eadem. Nam vivens solum se movet de uno actu in alium, & per partes quarum una movetur ab alia; ergo deveniendum est ad partem primam, quæ unicè movetur ab agente extrinseco; & ad motum primum, qui est à generante, post quem vivens de illo ad reliquos se moveat.

Nec urgent objecta in contrarium. Ad primum dicimus, quod primus motus, licet sit ab extrinseco applicativè, est tamen ab intrinseco ellicitivè, reliqui sequentes sunt ab intrinseco adæquatè, nempe ellicitivè quia elliciuntur à principio vitali; & applicativè, quia vivens ipsum se applicat ad illos. Sufficit pro vitalitate actus & motus primi, quod sit ab intrinseco principio elliciente; nec aliud est possibile, ut probatum est.

Ad secundum dic, quod primus motus est à generante *initiativè*, sed *continuativè* à conservante. Hinc plene cessat replica facta; nam licet generans in se non existat post instans generationis, existit tamen principium conservans genitum; ergo initium

motus

motus datur à generante, & continuatio à conservante. De hoc uberius tom. seq.

12 Ad 5. instantiam de actionibus immanentibus, oportet dare doctrinam pro motu rerum spiritualium, quæ se movent immanenter. Non possumus recurrere ad varias partes, ut dictum est de viventibus corporeis, nam spiritualia indivisibilia sunt, & carent partibus. Nihilominus solutio constat ex dictis lib. 2. præsertim q. 17. & 18 & ex hîc dictis ex P. Augusti,

Respondemus, quòd in Angelis & anima nostra sunt distinctæ potentie, & una movetur ab alia, v. g. voluntas, movetur ab intellectu, hîc à Deo vocante. Vel sitendo in eadem potentia v. g. in voluntate, in ea sunt varij actus ut intentio, electio, executio. Voluntas ex uno movetur in alium, ut ex intentione in electionem,

Q V Æ S T I O II.

An agens possit agere in distans, quin operetur in medium?

§ I.

Respondetur negativè

1 **L**ibro 2. quæst. 4. & 5. actum est de requisitis in causa ad causandum; unum ex eis est approximatio agentis ad passum; sed illam ibi non disputavimus, quoniam à Philosophis cum Arist. dilucidatur hoc lib. 7. Non quærimus de distantia suppositali, nam oculis per-

& ex utroque in executionem. Sed deveniendum est ad primum actum, ante quem non datur alius, de quo se moveat voluntas. Dicimus de illo primo actu, quod dictum est de primo motu cordis, nempe quòd est à Deo Authore, & Creatore.

Probat. Nam generans debet constituere genitum in statu, quo possit se ipsum movere; sed voluntas solum potest se movere applicativè de uno actu in alium: ergo Deus creans debet dare voluntati primum motum. Ob id dicitur, quòd Angelus non potest peccare in primo instanti sui esse, & per primam operationem, quæ incipit cum esse Angeli. Nam ea operatio nõ est ab Angelo applicativè, & motivè, sed à Deo authore speciali. At Deus nequit esse author specialis actionis malæ: ergo prima Angeli operatio est indispensabiliter bona, sed de hoc Theologi; & de quæst. ista satis,

spicimus solem distare à terra, & tamen in ejus visceribus producit aurum, & alia metalla. Quòd si præsentia Dei in nobis, & ubique quoad essentiam, probatur ex ejus operatione immediata, qua omnia producit, & in esse conservat, ut vidimus libro 4. q. 2. & 8. at hoc ideo probatur, quia virtus

tus Dei est ejus substantia, quare nequit esse præsens rebus per suam virtutem, quin sit indistans per suum suppositum; ideo dicit Apostolus, quòd non longè est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.

At loquendo de agentibus creatis, quorum virtus activa est realiter distincta ab eorum substantia, ut diximus lib. 2. q. 10, & si ponitur indistincta cum Scotistis, operantur tamen mediis accidentibus transmutantibus passum ad formam inducendam; de his quæritur, an debeant tangere passum contactu, & approximatione virtutis, an non? Est quærerere, an possint agere in passum distans, quin ullo modo operentur circa medium? Negant Vazquius in 1. p. disp. 28. Averis q. 14. Physicæ sect. 7. alijque pauci, supresso nomine citati à Poncio disp. 19. sect. 2. Contraria sententia est communis cum Arist. hîc à text. 9. ubi D. Thomas, & B. Ægid. cum quo Thomistæ, & Ægidiani, nec non DD. Societatis, de quo latè, & eruditè, ut solet, Exim. Suarius in Metaphysica disp. 18. per totam.

2 Hæc sententia est expressa in P. Augustino 8. de Genes. ad litt. cap. 26. ubi ex operatione Dei infert, quòd *Deus est interior omni re.* Vide alia adducta libro 4. Quibus adde quòd lib. de Immortalitate animæ cap. ultimo, infert, quòd anima est præsens toti corpori, & omnibus partibus, ex operatione ejus sensitiva, quæ non posset esse ab anima absente, vel distante. Verba S. P. sunt hæc. *Anima*

non modo universæ moli corporis sui, sed etiam unicuique particule illius, tota simul adest: partis enim corporis passionem tota sentit, nec in toto tamen corpore. Quod non fieret, nisi id quod anima in eis partibus est, & in parte sentiret: nec sentire quod ibi factum est, posset, si absens esset.

Observa, quòd anima est causa formalis informans, & sic præsens per suam substantiam, quod non petitur à causa efficiente, quæ extrinseca est. Ceterum in reliquis conveniunt efficiens, & formalis, quia utraque in suo genere activa, quare utriusque virtus debet esse præsens passo, sed cum discrimine, quòd in anima vis activa formaliter, est substantia; in casu autem efficientibus creatis non sic. Deus autem, cujus virtus est ejus substantia, per suam substantiam præsens est, ut ex P. Augustino, & PP. dictum est libro 4. præcedente.

3 Tota difficultas præsens est dare rationem efficacem hujus asserti communis. Sed ut notat Palanco hîc, id sæpe accidit in rebus certissimis, & clarissimis quæ quo magis perspicuæ sunt, eo difficilius probantur à priori. Probat. 1. inductione. Quia nõ est assignabilis operatio, quæ agens operetur in distans, nihil operando in medio; multæ autem, & variæ experientiæ, quæ opponuntur, solvantur facilè à DD. nostris, ut patebit: ergo natura ipsa testatur, nullum agens posse naturaliter operari in distans, & sine approximatione virtutis.

Probat. 2. Agens ex natura sua est actus, patiens autem est potentia, quare,

quare quidquid agit est in actu, & quod pariter est in potentia: sed natura actus, & potentiae est talis, ut sint simul, & non distent: ergo natura ipsa agentis, & patientis petit approximationem.

Tertio. Agens in tantum agit, in quantum tangit, ut docet Philosophus, veluti notum: & patet, quia si agens relinquit passum intactum, nihil operabitur in illo; sed implicat quod agens tangat passum, nisi sit ei approximatum approximatione suppositi, aut virtutis juxta varios contactus: ergo implicat quod agens operetur in distans &c.

4 Quarto quodlibet agens amplius potest in passum magis propinquum. Quare ignis emittens virtutem suam in stupam distantem, citius comburit stupam propinquam; si vero stupam nimis distat, eam minimè comburit, nam quo major est distantia, eo magis debilitatur virtus ignis, usque dum plenè extinguitur. Sed hoc suadet, quod virtus ignis distans agit in medio; alioquin si nihil ageret in medio, nil incommodi sequeretur virtuti ex distantia, nec debilitaretur, nec tandem exstingueretur: ergo quia agens non agit in distans, nisi agendo in medium.

Confirmatur. Nullum est agens quod non habeat sphaeram determinatam activitatis suae; videtur in igne, qui activior est omnibus agentibus. Si enim ab igne removeas stupam paulatim, venies ad distantiam, in qua non tangitur ab activitate ignis. Sed hoc ideo est, quia per distantiam

debilitatur virtus paulatim; usque ad extinctionem; nec debilitaretur, aut fatigaretur, si virtus illa nihil ageret in medio: ergo agit in distans agendo in totum medium.

Et urgetur. Calor, quo manus distans calefit ab igne, non est accidens oriens ab igne, & transiens in manum; implicat enim quod accidens migret de subiecto in subiectum, ut diximus lib. 1. Phys. probando cum B. Aegidio rationes seminales. Quare ignis producit calorem in aere sibi propinquo, & medio illo calorem etiam in aere distantiore, & sic deinceps usque ad manum. Ergo sic agit in passo distante, ut operetur in medium.

Quod si queras, quid tenendum sit de absoluta potentia Dei? Dicimus, quod divinitus potest operari in distans. Ita Cardin. Aguirre in presenti docens communem esse sententiam contra Molinam, Rubium, & alios. Et probatur. Quia rationes supra politae solam suadent de potentia ordinaria, nec ducunt ad impossibile, & repugnans. Tum quia actio in passum distans solum pendet ab operatione in medium in genere causae efficientis: sed Deus se solo divinitus potest supplet omnem defectum causae efficientis: ergo potest creatura agere in distans sine operatione in medium.

Et confirmatur. Nam juxta probabiliorē sententiam cui assentior, Dæmones, qui sunt in aere, torquentur igne inferni distante: & tamen ignis ille non agit in medium. Hoc

verius

Verius potest, quam esse eum cum aliis, quod dæmones secum afferunt ignem, dum sunt in corporibus obsessis. Vtrūque divinitus possibile est; nec corpora nostra sentiunt ignem illum torquentem dæmones, quia ut docet D. Thomas q. 6. de malo, ignis ille agit ut instrumentum Divinae justitiae; torquet autem tantum, quos punit justitia Dei. Inde fit, ut data priori sententia, ignis inferni distans à dæmonibus, existentibus in aere, & nobiscum, eos torquet, quia agit ut instrumentum Dei, cujus omnipotentia supplet approximationem, & operationem in medio.

§ II.

Solvuntur argumenta contraria.

6 **C**ontra assertum de potentia ordinaria obijciuntur multae experientiae. 1. Ignis comburens stupam distantem, producit ignem in stupam, sed non in aere intermedio. 2. Lebes plenus aqua, & igni admotus, est frigidus in fundo, igni propinquo, sed calidus in superiori parte. 3. Piscis ideo dicitur *Torpedo*, quoniam torporem causat in manum piscatoris, quam facit tremere, nec tamen hamum, aut arundinem tremefacit, etsi propinquire. 4. Magnes trahit ferrum distans, quod movet localiter, non tamen aerē intermedium. 5. Oculi fascinantium pueros distantes malè afficiunt, non tamen homines propinquiores.

Ultra hæc, alia ab aliis obijci-

untur. Ut de basilisco qui homines distantes solo visu occidit. De lupo, quem si ipse prior viderit, ipse vocem eripit. Sed jucundias veriusque obijciuntur de oscitantibus, & tussientibus; nam oscitans, & tussiens, omnes ferè circumstantes provocat ad tussim, & oscitationem. Omitto difficultatem Theologicam de locutione Angelorum, qua potest unus alteri distanti loqui, quin audiatur à propinquo; quod qualiter fiat difficile est assignare. Sed de hoc vide P. Suarezium loco laudato. Et vide quae summatim diximus in Dialectica p. 22 quaest. 3.

7 Respond. ad 1. notando pro ea, & reliquis, quod nostra sententia non contendit eundem effectum produci in medio, ac in extremo distanti, sed aliquem juxta varias medij dispositiones. Sic Sol producit calorem in terra distanti, & non in aere intermedio; quia dispositiones aeris non sunt tales, quales terræ ad calorem. Ceterum aliquid agit in aere, nempe illuminationem, rarefactionem, aut quid tale; ut ita agens in medio, transeat virtus Solis ad terram distantem. Hoc notato dicimus, ignem generare ignem in stupam distanti, quia ad talem formam disposita est, sed non in aere intermedio indisposito, quem unice calefacit.

Ad 2. dic quod in principio alterationis fundum lebetis calefit; ceterum perseverante, & crescente calore, ascendunt sursum partes aquae calidae rarefactae, & descendunt partes aquae frigidae; ab his infrigidatur fun-

dum lebetis. Hæc est ratio, cur aqua in vase vitreo, igni admoto bullit, nec frangitur vitrum; non quod vitrum non recipiat calorem, sed quia ascendentibus partibus calidis aquæ, & descendētibus frigidis, ab his temperatur vitrum, ne dissolvatur, aut frangatur excessivo ignis calore.

Ad 3. dic piscem illum suas qualitates immittere per hamum, & arundinem usque ad manum piscatoris, quā facit tremere. Non sentit hamus, nec arundo qualitatem illam, quoniam insensibiles sunt, sed negari non potest ab eo torpore noxio qualifikationi, licet insensibiliter.

8 Ad 4 Dic, quod vis magnetica movet ferrum distans, non aerem propinquorem; quia licet aerem afficiat, non invenit eum dispositum ad motum tractionis, bene tamen ferrum. Hujus rationem si quæras, multæ datæ sunt à Scriptoribus de virtute magnetica; sicut mirabilia scripta leguntur de Pulvere sympathico, qui vulnera sanat distantia, dummodo illum applices recēti sanguini vulnerum, in cultro, vel linteo recepto. Sat sit; quorumdam ratio dicentium, quod magnes est ferrum imperfectū, & immaturum. Omne autem perfectibile attrahit suum perfectivū, aut è contrā. Sicut autem attrahit mercuriū

Ad 5. dic oculos fascinantium immittere malas qualitates in corpora præsentia; sed eis non cedunt homines robustiores resistentes; quare in solis pueris, præsertim teneribus percipitur damnum fascino si quis autem projectæ ætatis, sanguinem tamen

haberet debilem, ut pueri; sine dubio à fascinantibus læderetur.

Ad 6. & 7. admisso casu lupi, quem putant aliqui merum commentum Cardani Medici Mediolanensis, dicimus, basiliscum & lupum visu suo tales qualitates emittere, & imprimere hominibus visis, ut ille vitam, hic vocem eripiat. At qualitates illæ quidquam agunt in medio, etsi nobis ignotum: nec possent transire ad distans, nisi per medium.

Ad ultimum de oscitantibus, & tussientibus, dic species immittere circumstantibus videntibus, & audientibus, quæ per oculos, & aures ingressæ, alterant appetitum oscitandi, & tussendi. Et patet, nam si coram cæcis, & surdis tussias, aut oscites, eos non provocas ad talia. Audientes, & videntes provocas tantum: ergo per species immittas visui, aut auditui, quæ non transeunt in distans, nisi per medium, ut motum est.

9 Contra 2. assertionem, positam num. 5. argues. Agens nec divinitus potest agere in tempore, quo non est: ergo nec in loco, in quo non est vel per substantiam, vel per ejus virtutem. Rursus. Agens nequit naturaliter agere in passum distans, ut probatum est, sicut nec extra spheram activitatis suæ: ergo nec divinitus. Probatur consequentia, quia nulla potentia potest elevari ad operandum extra spheram activitatis suæ. Vnde nec visus ad audiendum, nec auditus ad videndum &c. Sphæra autem agentis creati est agere tangendo passum propinquum. Tandem. Si non peti-

petitur approximatō agentis ad passum de potentia absolutata; ergo quantumcumque distans, poterit agens operari: ergo divinitus poterit agens hujus emisphærij operari in Antipodas; quod non apparet, nisi egregiè chimericum.


Hæc levia sunt. Ad 1. neg. consequentiam. Disparitas est, quia quod non est, eo tempore quo non est, nihil est; à nihilo nihil potest fieri. At quod non est in loco tali, est tamen in alio, ibi verè est: & quod verè est, potest dare esse, & operari. Nec ei deficit nisi conditio approximationis; & hæc à Deo supplebilis est, ut vidimus.

Ad 2. dic spheram essentialem potentia non posse divinitus immutari; talis est visus ad visiones, & aurium ad auditiones. Ceterum spheræ connaturalis potest à Deo alterari; &

talis est spheræ distantia majoris, aut minoris agentium. Quare à Deo variabilis est.

Ad ultimum dic casum objectum esse forsan chimericum, quia interpositio globi terræ obstaret actioni; sicut obstat lumini Solis. At divinitus id non est impossibile, cum possit dari penetratio corporum, & qualitatum ut dictum est lib. 4. quæst. 5. Data penetratione, nulla est implicatio orta vel ex distantia, vel ex interpositione globi terræ.

Hic erat agendum de motu projectorum & resilientium, de quo vide de N. Villanovam in præsentī. Sed quia de hoc tractabimus tom. sequenti, si Deo placeat, & oportet finem imponere octo libris Physicorum, ideo dicta sufficiant pro septimo libro, ut enucleatius disputemus de æternitate mundi, de qua toto lib. sequenti.



LIBER OCTAVUS

PHYSICORUM.



NIL conatur Arist. in toto hoc libro, nisi probare contra quosdam Philosophos mundi aternitatem, & cœlorum motum esse aeternum. Quare inexcusabiles cenſeo, qui Aristotelem ab hoc errore vindicate præſumunt, nec non eos, qui putant mundi inceptio- nem ex naturali ratione poſſe demonſtrari. Vtrum- que deviat à veritate; ſi ſequimur Ægidij noſtri veſtigia, qui poſtquam inter errores Philoſophorum numeravit poſitionem mundi ab aeterno, oſtendit latiſſimè, & ſolidiſſimè nullam à Catholicis fieri demonſtrationem pro ſuadenda impoſſibilitate a- ternitatis mundi. Ille, cui B. Ægidius gratulatur in fine opuſculi, quo col- legit Philoſophorum errores, ſicut Eccleſiam ſuam ſpecialiter illuminavit, & in SS. Scripturis edocuit mundum factum in principio temporis, irra- diet nos ut in ejus cedant gloriam, quæ pro complemento Phyſicæ noſtræ reſtant dicenda de creaturarum inceptio- ne. Pro qua ſit,

Q V Æ S T I O. I.

An mundus fuerit ab aeterno?

§ I.

Proponuntur fundamenta Aristotelis affirmantis;

MVndū ab aeterno exte- riſſe tenuit Arist. hoc lib. 8. Phyſic. & adeo huic ſententiæ adhærens, ut in reliquis præcedenti- bus libris viam paraverit pro ſuaden- da in iſto mundi aternitate. Erravit lumine fidei deſtitutus, ſed tenacius, eidem adhaſit errori ejus cōmentator Averroes, qui legem Chriſtianorum catholicam, & legem Sarra- cenorum,

adſtruentes mundum in tempore fa- ctum, irridet, at vituperat 2. Meta- phyſicæ, & 11. nec non 3. Phyſicæ & 8. vocans nos garrulos, & ſine ra- tione loquentes, & quod nulla ratio- ne movemur. Acceſſit Avicena, Sim- plicius, & alij antiqui. Vide B. Ægi- dium Opuſc. quo collegit Philoſopho- rum errores, nec non quæſtione de duratione mundi, quæ in libris anti- quis

Quæſtio I.

quis habetur 2. ſent. diſt. 1. p. 1. q. 4. ſed in recenti impreſſione, facta opera, ſtudio, & ſumptibus RR. P. M. Fr. Antonij de Aguilar, traditur in fine 4. ſent. B. Ægidij, dū ab om- nibus deſiderati, & ab eodem Magi- ſtro ſummo labore compilati ex va- riis doctrinæ Ægidianæ locis, modo quo tertia pars ſummæ D. Thomæ in- tegrata eſt ſupplemento laborioſo ex variis locis, & ſcriptis S. D.

B. Ægidius loco laudato varias rationes colligit de mente Arist. ad probandum quod mūdus non inceptit eſſe, ſed ab aeterno fuit. Eis annectit rationes Averroeis, & Avicenæ, quas ſolvit dilucidè, oſtendens capitalem errorem, unde varias, erroneas ta- men, illationes conſequuti ſunt. Vnā, vel aliam rationem ex urgentioribus proponemus, ut doctrina aliquantulum deguſtata, eam in Ægidiano prō- ptuario pro tuo libito abundè quæras, & invenias.

2. Probatur 1. ſent. Arist. ex motu. Omnis motus ſupponit mobi- le: ſed mobile eſt factum per motum: ergo omne mobile ſupponit motum. Ergo nullus eſt motus, ante quem non ſit alius motus, cū nullus ſit, ante quem non ſit mobile, fa- ctum per alium motum. Ergo motus non habuit initium, & ſic nec mundus inceptit, ſed aeternus fuit.

Confirmatur. Da nobis primum motum; ante illum præcedit mobile. Ergo vel mobile factum, vel non fa- ctum. Si factum? Ergo cū fiat per motum præcedentem, jam ponis mo- tum ante primum motum, & hoc im-

plicat. Si non eſt factum? Ergo habe- mus intentum, nempe creatura mobi- lis eſt aeterna; & non facta. Cui ad- de aliud impoſſibile, nempe quod ta- le mobile aeternum non moveatur ab aeterno, ſed in tempore, quod eſt in- conveniens; quia per totam aeterni- tatem maneret mobile in potētia paſ- ſiva ad motum, qui per te incipit in tempore. Reſtat dicendum rationa- bilius, quod motus eſt ab aeterno nec inceptit in tempore.

3. Probatur 2. ex parte agentis. Poſita ſufficienti cauſa ad agendum, ſtatim neceſſariò ſequitur effectus: ſed Deus eſt ab aeterno ſufficientis cauſa productiva mundi: ergo produxit mundum ab aeterno. Major patet in Sole, cujus virtus ſufficientis ad illumi- nandum, eſt talis, ut poſito Sole, ſta- tim ſequatur illuminatio.

Si dicas majorem eſſe veram de cauſa naturali, non autem de libera, agente per intellectum, & volunta- tem, nam hæc agit quando vult; vult autem Deus mundum producere in tempore, non ab aeterno. Si hoc di- cas, contrā eſt. Nam poſita actione productiva, ſtatim ſequitur terminus, ſive ſit ab agente neceſſariò, ſive li- bero. Agens autem liberum poterit cohibere actionem, ſed ea poſſita, nequit non ponere effectum. Sed actio Dei eſt aeterna, tum quia eſt cum Deo identificata; tum quia implicat Deum eſſe otioſum tota aeternitate, & poſt infinitas durationes agere in tempore; ergo mundus etiam aeternus eſt.

Si dicas Deum ab aeterno voluiſ- ſe mundi productionem, ſed non pro- ducio-

ductionem æternam, sed temporalem. Contrà est. Nam sic se habet voluntas antiqua ad novam volitionem, & novum effectum, sicut voluntas nova ad volitionem antiquam, & effectum antiquum; sed voluntas recens & nova nequit esse causa volitionis antiquæ, & effectus antiqui: ergo nec voluntas antiqua potest esse causa effectus novi. At voluntas Dei est æterna: ergo causa mundi æterni, & sibi coævi. Quare vel mundus ponendus est ab æterno, vel quòd Deus in tempore incœpit velle causare mundum. Et hoc repugnat agenti æterno, ut docetur à Theologis 1. part. quest. 19.

Confirmatur. De ratione boni est esse communicativum, & diffusivum sui. Ergo de ratione summi boni est se summè communicare. Sed Deus est summum bonum; communicatio autem ab æterno est major, quàm communicatio in tempore: ergo Deus se ab æterno communicavit creaturis; & sic mundus fuit ab æterno.

4 Probatur 3. ex parte materiæ. Id quod est ingenerabile, & incorruptibile, est æternum: sed materia prima est ingenerabilis, & incorruptibilis; ut probatum est lib. 1. Phisic. & constat ex ejus essentia, quæ est primum subjectum omnium generationum; primum autem subjectum, nequit generari ex alio subjecto; alioquin ante primum esset aliud: ergo materia est æterna. Ergo ita corporalia ex quibus mundus componitur, universaliter æterna sunt. Patet consequentia. Quia vel debet poni ab

æterno materia expoliata omni forma, & sic manens informis per totam æternitatem; quod est impossibile; vel ponitur materia formata; & siq dantur cõposita corporalia ab æterno.

Confirmatur ideo generans generat aliud, quia non constat ex tota materia sua. Si enim ex tota constaret, non haberet materiam, ubi formam suam induceret. Ergo quod constat ex tota materia sua, est ingenerabile, & incorruptibile. Patet consequentia, nam ea sola generant sibi simile, quæ possunt corrumpi, & deficere, ut sic in suo simili conserventur. Ergo à contrario, quæ non possunt generare, sunt incorruptibilia, & sic ingenerabilia. Sed mundus constat ex tota materia sua: ergo est ingenerabilis, & incorruptibilis, & consequenter æternus.

5 Probatur 4. ex parte temporis. Nunc semper est principium futuri, & finis præteriti. Ergo tempus non incœpit, sed æternum fuit. Probatur consequentia. Quia si incœpisset, incœpisset in instanti: ergo ante illud instans non fuisset tempus: ergo ante omne tempus fuisset ante, quod est differentia temporis, & hoc est implicatoriũ. Eodem modo probatur, quòd non potest deficere. Nam deficeret in aliquo instanti: ergo post illud instans non esset tempus. Ergo daretur post, quod est differentia temporis, sine tempore & hoc est implicatorium. Restat ut omne instans sit principium temporis futuri, & finis præteriti; quare tempus æternum est, & consequenter æternus est motus.

Confirmatur. Totum tempus nequit

nequit esse futurum: sed si incœpisset, antequam inciperet, fuisset totum futurum: ergo non incœpit. Probatur major. Si totum tempus fuisset futurum, ante tempus præcessisset nunc; & ante nunc est tempus præteritum: sed ante totum tempus nequit esse tempus præteritum, ut patet: ergo totum tempus nequit esse futurum. Restat quòd tempus non incœpit, sed semper fuit. Si semper fuit tempus, semper fuit motus, si semper motus, semper fuit mobile: ergo mundus non potuit incipere.

Confirm. ex Avicena. Aut creator præcessit mundum natura tantum, aut etiam duratione. Si natura tantum? Ergo nõ prius fuit creator, quàm mundus, sed uterque ab æterno. Si præcessit duratione? Ergo cum prius, & posterius in duratione causent ratione temporis, fuit tempus antequam esset mundus: ergo & fuit motus ante mundum; & hoc est impossibile.

Confirmatur ab eodem. Quòd aliquis sit causa nunc, & non antea, oritur ex quo non est causa per suam essentiam, sed per aliud, quod habet nunc, non antea: at Deus non est causa per aliud de novo adveniẽs, sed per essentiam suam, nec unquam fuit aliquid, quod semper non fuerit idem: ergo semper fuit causa, & semper fuit ejus causata. Quod confirmatur ex

illo axioma *idem manens idem,*

semper facit idem. Ita 2. de

Gener. text. 56.

Vera sententia traditur, & argumenta contraria solvuntur.

6 **D**icendum est mundum non fuisse ab æterno, sed in tempore incœpisse. Conclusio est de fide, & habetur Genes. 1. ubi dicitur *in principio creavit Deus Cælum, & terram.* Et Proverbiorum 8. dicitur. *Antequam quidquam faceret à principio.* Sic etiam diffinitum est in Concilio Lateranensi 1. & 2. Damna sunt etiam Hæretici Præadmitæ, qui somniantur homines fuisse ante Adamum, cum tamen dicat Scriptura Adamum primum hominem de limo terræ à Deo formatum. Pro hac veritate Catholica stant SS. PP. præsertim P. Augustinus lib. 11. & 12. de Civ. Dei, ubi multis impugnat æternitatem mundi à Philosophis propugnatam.

Pro hoc asserto adsunt rationes; si teneas illis probari efficaciter mundum non potuisse fieri ab æterno. Eas expendemus quæst. seq. Quòd si cum BB. Thoma, & Agidio teneas tales rationes non esse convincentes, & quòd mundus potuit esse ab æterno, si Deus voluisset, restat querere rationes ad probandum quòd Deus noluit mundum ab æterno esse, ut convincas non fuisse factum ab æterno. Ceterum ut benè docet D. Thomas 1. p. q. 46. art. 2. Ea, quæ pendent ex mera voluntate Dei libera, non possunt ratione naturali demonstrari, sed ex autoritate Scripturæ colligimus quid Deus

Deus decreverit in his, quæ ibi nobis manifestata sunt.

Ad sunt tamen rationes congruentiæ, ut constet Deum rationabiliter voluisse mundum producere, non ab æterno, sed in tempore. Primò, ut creaturæ nullo modo essent æquales creatori suo in duratione. Secundò, ut ostenderetur, Creatorem non indigere creaturis, cum tota æternitate sine illis præcesserit juxta illud Psalmi 115. *Deus meus est tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Tertio, ne aliquis dubitaret, an creaturæ factæ sint à Deo non liberè, sed ex necessitate nature: cum videat factas à Deo post æternitatem, quando voluit, & quomodo voluit. Tum tandem ut ostenderetur potentia Dei, & ejus libertas in agendo, quia non solum res fecit ex nihilo, sed in duratione temporis sibi placita.

7 Argumenta Aristotelica, ut benè notat B. Ægidius Opusc. laudato, omnia concludunt erroneè, quoniam inferuntur ex principio erroneo, principium ejus est. *Nihil est in una dispositione, in qua antea non fuerat, nisi per motum præcedentem.* Ratio Arist. erat. Nulla est novitas, nisi per mutationem propriè sumptam: sed nulla est mutatio propria, quæ non sit terminus motus: ergo nil sit novum sine motu precedente. Hinc ortum duxere quatuordecim errores Arist. quos numerat B. Ægidius num. 14. Opusc. laudati.

Hinc tenuit, quòd nihil novum potuit fieri à Deo in tempore; & creationem, aut factionem rei ex nihilo

penitus ignoravit; quare omnia fieri per motum, & ex præsupposito subjecto, tenuit: unde sequitur mundi æternitas, motus ab æterno, æternæ generationes, & alia similia, quæ in B. Ægidio videbis collecta.

8 Respondemus ad fundam. Arist. posita num. 2. & ad primum concedimus quòd omnis motus supponit mobile; sed minor est falsa de omni mobili, nam non omne factum est per motum, & ex subjecto præsupposito, sed per creationem, quæ nullum subjectum præsupponens, datur sine motu. Sic cessat processus argumenti, ut parebit ex solutione confirmationis.

Ad illam do tibi primum motum, & sit A. Ante illum præcedit mobile. Queris an sit factum? Dico esse factum. Sed non per motum, sed per creationem, & ex nihilo. Creatio autem talis est, ut nec motum includat, nec à subjecto præsupposito dependeat. Hæc creatio, qua primò factum est subjectum mobile, non est ab æterno passivè sumpta, sed in tempore; quia solum posuit effectum in esse, quando Deus voluit esse, voluit autem esse in tempore, & non ab æterno. Quare mobile illud creatum nec æternum fuit, nec ab æterno mansit in potentia ad motum, ut dicebatur in argumento.

9 Ad 2. fundam. posita num. 3. dicimus solutionem ibi datam, esse optimam, nec benè impugnatur. Quia licet actio agentis finiti non possit stare sine termino; benè tamen actio agentis infiniti. Deus ab æterno ha-

buit

buit suam actionem creativam, secum identificatam. Ceterum non possuit terminum ejus ab æterno, sed in tempore, quia dominium ejus supra terminum facit, ut tunc terminus sit, quando vult Dñs esse: voluit autem creaturam esse in tempore. Illud principium *Idem manens idem, semper facit idem.* Verum est de principio, & agente finito, sed non de infinito plenè domino effectus; nam Deus in tempore manens idem ac fuit ab æterno, & cum eadem actione, ponit in tempore eos effectus, quos non possuit ab æterno, quia noluit.

Nec contra hoc facit ultima probatio, quæ vera est de voluntate, quæ vel antiquitate præterit, vel novitate incipit. Talis, si est nova, nequit producere effectum antiquum, nec si est antiqua, & præterita, potest novum effectum producere; alioquin produceret quando ipsa non est, quia præterit, aut quia nondum fuit. At voluntas Dei nec præterit, nec incipit, sed semper est, & eodem modo; unde quia semper est, producere potest quando, & pro quando velit; voluit productionem temporalem, non æternam, ut dictum est; quare à tali voluntate antiqua, sed non antiquata, incipiunt novi effectus.

Ad confirmationem dicimus, quòd de ratione summi boni est esse summè communicativum sui, unde est posse infinitis modis se communicare: at non est actu se communicare sic, sed pro libito, quia est plenè liberum in se communicando ad extrà; quare potest eligere hos modos præ illis, &

hoc tempus se communicandi præ alio. Hæc dic philosophicè, Sed Theologicè dicendū est summum bonum à deo intrà tantum esse plenè communicativum Filio per generationem, & Spiritui sancto per voluntatem spiritali; & hoc ab æterno, & necessario, ut necessarium opponitur contingenti, & libero. Ad extrà non potest communicari summum bonum plenè, sed partim, quia infinitum est, & nulli finito potest communicari plenè infinitum; omnia autem extrà Deum finita sunt.

10 Ad 3. fundam. posita num. 4. dicimus majorem esse falsam, & error ortus est ex quo Philosophi ignoraverint creationem, & fieri rei ex nullo præsupposito subjecto. Imo ipsis fuit veluti primum principium, quòd *ex nihilo nihil fit.* Et quia error in principiis non est unicus, sed multiplex, inde plures errores subillati sunt, nempe quòd cælum non sit factum, quòd materia non sit facta, sed à se, & ab æterno. Si enim quidquid fit, fit per generationem, & ex subjecto præsupposito: ergo materia quæ nullum præsupponit subjectum, cælum etiam quòd non est generabile, aut corruptibile, non erunt facta, sed à se, & ab æterno. Quo posito, sequitur æterna esse corporalia, æternam cælum, æternam motum ejus, tempus, & generationes sublunarium, & sic mundum esse æternum.

Hunc errorem capitalem, & sequelas ejus corrigit fides nostra, notificans nobis res primas ex parte nihilo factas, & per creationem Philo-

sophis ignotam : Deum etiam creatorem materię, ab illa non pendere in operando. Quare sicut intelligentias Angelicas produxit creans ex nihilo ; sic materiam produxit, & fecit in tempore, eamque potest annihilare. Unde concesso materiam esse ingenerabilem, nego esse æternam; quod non sequitur, quia est alius modus incipiendi esse, qui non est generatio, sed creatio.

Ad confirmationem dic cum B. Ægidio, quod id est verè generabile, quod non constat ex tota materia sua. Dato mundum, adęquatè sumptū constare ex tota materia sua, quod distributivè accommodatum partibus sublunariibus falsum est, sequitur mundum non esse generabilem propriè. At est propriè creabilis, quia id quod creatur potest constare ex tota materia sua, ut accidit in Sole, Luna, & stellis. Ideò licèt mundus non incæperit per generationem sui, incæpit per creationem, & sic non fuit æternus.

11 Ad 4. fundam. positum n. 3. respondemus ex dictis lib. 6. q. 4. ubi explicatus est modus, quo incipiunt : & desinunt tempus, & successiva. Nego autem quod instans semper sit finis præteriti, & initium futuri. Hoc enim est verum de instantibus continuativis partium temporis, sed non de iniciativo, & terminativo, quę ignota sunt ponentibus tempus ab æterno. Incæpit ergo tempus in instanti juxta nostram sententiam, & per primum sui esse : in aliorum autem per ultimum sui non esse, ut dictum est q. citata. Et dum in-

fers : ergo ante illud instans non erat tempus, distinguo consequens. Ly ante dicente durationem temporis, implicas in terminis : quia ante initium temporis non est duratio, aut differentia temporis. Ly ante dicente durationem æternitatis, quę infinitè præcessit tempus nostrum, concedo consequentiam. Qua distinctione applicata definitioni temporis, plenè cessat argumentum.

Ad confirmationem dic, quod totum tempus fuit futurum antequam fieret à Deo ; & ei sic futuro designatur initium intrinsecum, nempe primum *nunc*, aut instans iniciativum temporis. Ante hoc instans nullum præcessit præteritum, quia nullum præcessit tempus. Æternitas autem præcessit duratione infinita : sed quia duratio æternitatis non præterit, sed semper stat, ideo illa duratio præcedens nostrum tempus, non est præteritum, loquendo formaliter; æquivalenter tamen est præteritum ; vel si recurras ad tempus imaginarium, aut possibile quod præcessit, poteris concedere quod ante tempus omne reale præcessit præteritum, nempe temporis possibilis ; nam ante tempus hoc nostrum potuit Deus alia, & alia tempora infinita producere.

Ad confirmationem primam ex Avicena dic cum B. Ægidio quod creator præcessit mundum non natura tantum, sed duratione. Præcessit enim tota æternitate creaturam, ut docet P. August. lib. 12. Confess. Et dum insurgis quod prius, & posterius in duratione faciant tempus. Respon-

deo

deo esse verum de eadem duratione quę habet prius, & posterius, sed non de diversis, quę una est prior, & dicitur æternitas, alia posterior, & vocatur tempus.

Ad aliam rationem Avicenę dic eam esse veram de agentibus ex necessitate nature, sed non de agentibus per intellectum, & voluntatem. Deus autem semper manens idem, ac fuit ab æterno, agit nunc, & non antea, non quia nunc habet, quod non habuit, sed quia nunc vult agere nec voluit agere antea. Est quidem

Deus agens per essentialiam, & per voluntatem, quę est realiter ejus essentialia. Ceterum vi distinctionis virtualis sicut punit per justiciam, & non per misericordiam ; sic ad extrã dicitur agere per voluntatem, non per essentialiam, ut denotetur agere liberè quia vult, & quando vult, non quantum potest, aut quando potest. Voluit autem solùm agere in tempore ; ergo mundus ab æterno non est,

licèt sit à Creatore æterno.

Vide plura in B.

Doct.

Q V Æ S T I O II.

An mundus potuerit esse ab æterno?

§ I.

Proponitur sententia negans de tempore, & successivis

TCVM mundus constet ex partibus successivis, & permanentibus, de utrisque est specialis difficultas, & major de successivis. Quare ut clariùs procedamus, sigillatim de illis disputabimus. Negat tempus, motum, & res successivas potuisse ab æterno esse, Durandus, Conimbricenses, Plaza, Oña, & alij cum Suario in Metaphysica, nec non omnes, qui negant res permanentes sic esse potuisse. Quibus adde Magistrum Palanco, qui difficiliora argumenta collegit pro successivis, & permanentibus, eis assentiens uti demonstrationibus.

Probatur 1. ex P. August. lib.

12. de Civit. Dei cap. 15. ubi ait *Tempus quoniam mutabiliter transcurrit, æternitati incommutabili nequit esse coæternum.* Et videtur mens D. Thomæ Opusc. 27. ubi postquam probavit non repugnare dari creaturam ab æterno, productam per operationem subitam, dicit id repugnare creaturæ producte per motum, quia in motu principium præcedit finem.

2. Probatur ratione. Tempus & motus essentialiter includunt prius, & posterius: ergo nequeunt esse ab æterno. Patet consequentia. 1. Quia æternitas est tota simul, unde in æternis non est prius, aut posterius. 2. Nam successiva nequeunt esse ab æterno se-

Vuu2

cundam

cundum partem posteriorem, ut patet aliunde, nec secundum priorem; quia tunc prior pars præcederet æternitate partem posteriorem, quæ est temporalis, & non ab æterno; unde præcederet infinitè; quod implicat. Vide alias rationes in Complutensibus quæ quoniam ab eis solvuntur, eas prætermitto, ut novæ formæ arguendi Magistri Palanco occurram pro sententia B. Ægidij, quam cum aliquibus Thomistis reputo etiam D. Thomæ.

Argues sic. Implicat quod præteritio motus, & temporis sit ab æterno; sed si motus, & tempus fuissent ab æterno eorum præteritio esset ab æterno: ergo &c. Maj. patet, nam omne quod præterit, antea fuit; quod autem præterit ab æterno, fuit ante æternitatem; & hoc est impossibile. Minor probatur, Motus, & tempus non est, nisi transiens, & præteriens: ergo implicat quod sit ab æterno, nisi ab æterno prætereat, & sit ejus præteritio. Rursus. Si præteritio ejus non esset ab æterno, incøpisset in tempore; sed implicat quod præteritio incipiat in tempore, si tempus fuit ab æterno sine initio: ergo &c. Hæc minor patet, quia tunc stetit tempus per totam æternitatem permanenter, usque ad determinatam differentiam temporis, qua inciperet præterire. Et hoc repugnat tempori essentialiter fluenti.

Confirmatur. Implicat tempus non præteriens, ut patet, quia sic esset æternitas, non tempus: sed implicat tempus præteriens ab æterno,

& ex quo Deus est: ergo implicat tempus ab æterno. Probatur minor, quod præterit ex quo Deus est, fuit antea; sed implicat tempus fuisse ante Deum, & ante æternitatem: ergo.

Confirmatur 2. ab inconvenienti. Nam dato tempore ab æterno, præcessissent infiniti dies. Potuit Deus singulis diebus creare unum Angelum: ergo nunc essent creati infiniti Angeli. Sed infinitum in actu est plene impossibile juxta Philosophum 3. Physic. Ergo & infinita collectio dierum, quæ est necessaria pro tempore existente ab æterno.

3. Probatur 2. impossibilitas successivæ generationis, & corruptionis rerum ab æterno. Implicat, quod successiva corruptio rerum sit ab æterno, ex quo Deus est: ergo &c. Probatur antecedens. Quod corrumpitur, fuit in duratione anteriori ad corruptionem; sed implicat res fuisse ante æternitatem, & ante Deum: ergo implicat eas corrumpi ab æterno &c. De generatione probatur sic. Quæ generantur, fiunt per mutationem, quæ supponit materiam præcedentem duratione sub privatione: sed implicat, quod materia præsupponatur durans ante Deum: ergo idem.

Rursus. Si præcessissent ab æterno generationes hominum, nunc existerent infinitæ animæ rationales: omne autem infinitum in actu, est repugnans. Quod si cum aliquibus dicas, tunc annihiladas esse aliquas animas à Deo, alias producente. Hoc est voluntarium, & contra rationem. Nam quælibet anima rationalis ob sui im-

morta-

mortalitatem petit durare in æternum. Si cum Complutensibus neget infinitas generationes hominum ob hoc argumentum, sed teneas generationes aliorum. Contra, nam eadem est ratio hominum, & aliorum, quoad infinitam generationem individuorum. Rursus, cum multitudo infinita generationum, sit talis, ut equus v.g. generetur ab æquo, & hic ab alio, deveniendum est ad unum non genitum, qui sit primus generans: sed in illo haberet initium series illa, & sic non esset ab æterno: ergo.

Tertio & fortius. Quia in motibus, & motis per se, repugnat processus in infinitum; & ideo apud Catholicos deveniendum est ad primum motorem immotum, ut dictum est lib. 7. ergo repugnat ponere successivam generationem rerum ab æterno, ex qua sequitur processus in infinitum.

§ II.

Proponitur sententia negans mundum ab æterno quoad res permanentes.

4. **N**egant res permanentes, putà cælos, terram, homines &c. potuisse esse ab æterno, B. Albertus Magnus, S. Bonaventura, Henricus, Toletus, Vallesius, & alij, citati à Card. Aguirre, quibus subscribit Palanco, probans sic. 1. ex SS. PP. probantibus contra Ariam, quod Verbum non est creatura, eo quod juxta Evange-

lium, Verbum est ab æterno. Hæc probatio nulla foret, si creatura posset esse Deo cœterna: ergo quia non potest de mente SS. PP. Sic expressè probant Athanasius disp. 2. contra Arianos, Cyrillus Alex. lib. 32. Damasc. lib. 1. Fidei cap. 8.

A ratione probat sic. Implicat creaturam fieri, quin incipiat esse; sed implicat incipere esse, & esse ab æterno, & sine principio; ergo implicat creaturam fieri, & esse ab æterno. At implicat creatura, quæ non sit facta; ergo implicat creatura, quæ sit ab æterno. Prima major patet, quia implicat creaturam fieri, quin transeat de non esse ad esse; sic transire, est incipere esse.

Huic rationi respondent aliqui creaturam illam habituram ab æterno principium originis, sed non principium durationis: quare negant talem creaturam incipere esse. Sed insurgit Palanco, nam habere solum principium originis, est solum proprium Verbi Divini consubstantialis Patri: ergo nequit convenire creaturæ. Adde nihil esse in creatura, quod non sit ab alio, & causatum: ergo ejus duratio principiata est. Intellige pro causalitate: nam hic forsan latet æquivocatio; quatenus principiari sumi potest vel pro causari, vel pro incipere esse. Primo modo omnis creatura est principiata, nec potest aliter esse adhuc divinitus. Secundo modo cadit sub dubio, de quo est quæstio præsens.

5. Si cum aliis melius respondeas, creaturam fieri; & transire de

non esse ad esse; sed ad hoc sufficit, quod pro priori naturæ non sit, nec requiritur, quod pro priori realis durationis præcedat non esse creaturæ. **Contra**, multis insurgit M. laudatus.

Primò. Quia ad fieri, & transire de non esse ad esse, non sufficit prioritas naturæ; nam Verbum Divinum non fit, nec ita transit: & tamen juxta plures non est pro priori à quo originis ad seipsum. **Secundò.** Quia res per conservationem non transit de non esse ad esse: & tamen pro priori naturæ ad cōservationem in eo instanti, quo res conservatur, non est; ergo quia ad transitum de non esse ad esse, non sufficit prioritas solum naturæ, in qua res non sit.

Confirmatur. Creatura facta ab æterno, non potuit adhuc pro priori naturæ non fuisse: ergo non potuit transire de non esse ad esse. Probatur antecedens. Si ita non fuisset, vel semper non fuisset pro priori naturæ; & hoc est impossibile. Vel hoc verificaretur in aliquo instanti, & hoc esset initium durationis creaturæ; quod repugnat existenti ab æterno. Implicat autē si res semper fuit, assignare instans quo res non fuerit pro priori naturæ.

Confirmatur 2. Transire de non esse ad esse, est derelinquere non esse, quod est terminus à quo, & illud excludi per esse, quod est terminus ad quem: sed si creatura semper fuit, nunquam fuit non esse creaturæ, quod sit terminus derelictus: ergo si semper fuit, nunquam potuit transire de non esse ad esse, & sic nunquam potuit fieri.

6 Si dicas cum aliis, quod fieri non est sic transire de non esse ad esse, sed est accipere esse ab alio: quod stat in creatura etiam ab æterno sine implicatione. **Contra**, Primò, quia fieri propriè est accipere esse post non esse: ergo est transire de non esse ad esse. Probatur antecedens. Verbum Divinum accipit à Patre esse per æternam generationem: sed quia non accipit esse post non esse, ideo Verbū non est factum, nec creatū, sed genitū: ergo fieri propriè nō solum est accipere esse ab alio, sed esse post non esse.

Secundò. Fieri distinguitur à conservari; sed conservari importat recipere esse post esse: ergo fieri est recipere esse post non esse. **Tertiò.** Nemo propriè dicit cælum heri, & hodie factum esse: & tamen heri, hodie, & continuatim accipit à Deo suum esse: ergo ad fieri non sufficit recipere esse.

Confirmatur. Implicat aliquid creati, quin transeat de non esse ad esse: ergo & fieri per creationem sine tali transitu. Probatur antecedens. 1. Creati est fieri ex nihilo sui; unde est fieri ex sui non esse: sed hoc importat essentialiter transitum de non esse ad esse: ergo &c. 2. quia annihilari est transire de esse ad non esse: ergo creati est transire de non esse ad esse. **Contrariorum eadem est ratio.**

7 Arguit idem aliter sic. Creatio passiva est in instanti; non enim fit per motum, & alterationem, sed sine successione, & instantaneè; sed implicat rem creatam esse ab æterno, & fieri in instanti: ergo implicat rem crea-

tam

tam esse ab æterno. Probatur minor. Implicat quoddam instans aliquod sit ab æterno; quod enim ab æterno est, ab æterno durat; instans autem durat unico instanti, & quod sic durat, non durat ab æterno. **Rursus.** Si res fuisset creata in instanti, illud esset primum suæ existentia: ergo in illo incœpisset existere. At implicat incœpisse existere in aliquo instanti determinato, & fuisse ab æterno: ergo &c.

Confirmatur. Implicat quoddam conservatio creaturæ sit ab æterno; sed creatio solum præcedit conservationē unico instanti: ergo nec creatio potest esse ab æterno. Patet consequentia, quia aliàs per excessum unius tantum instantis creatio esset æterna, conservatio autem temporalis. **Major probatur.** 1. Quod conservatur, fuit antea productum; quare conservatio supponit antea; sed quod supponit antea, non est ab æterno; nil enim est ante, quàm ab æterno: ergo implicat conservatio ab æterno. 2. Sic cōservatio esset ab æterno, Deus ex quo Deus est, cōservasset creaturā: ergo cum cōservatio supponat productionem, Deus ex quo est, supponeret creaturam productam: ergo productam antequam Deus esset, quod implicat.

8 Si dicas, quoddam in eo casu conservatio, & productio non differrent, nec una esset post aliam, sed unica plene actio ab æterno dans esse, & illud conservans. Quod aliqui participant in productione æterna Verbi divini. Si hoc dicas.

Contra 1. Quia implicat productio indistincta à conservatione: er-

go implicat solutio. Probatur antecedens, implicat productio reddens Deo necessariam conservationem, & ei non liberam, at si essent eadem actio, posita productione esset Deo necessariū, & non liberum conservare rem productam: ergo &c. Probatur antecedens. Implicat productio, quæ non sit beneficium libertatis divinæ; sed implicat beneficium libertatis Divinæ, quod semel collatum, non sit Deo liberum illud continuare; continuatur autem productio per conservationem: ergo &c. Hoc aliter urgetur ab eodem, sed in idem recidit.

Confirmatur. Creatio essentialiter est instantanea; sed creatio indistincta à conservatione, nequit esse instantanea: ergo implicat quod creatio sit indistincta à conservatione. Probatur minor. Conservatio dicit diurnam durationem, & quid amplius quàm esse unius instantis: ergo ex terminis nequit esse instantanea.

Confirmatur 2. Nam saltem per rationem debent distingui creatio, & conservatio. Ergo prius debet intelligi creatio sub munere dandi esse: ergo sub munere conservationis non intelligitur pro eo instanti, sed immediate post: ergo ut conservatio, habet initium extrinsecum, in quo non exercetur, nempe instans creationis, & sic non ab æterno.

Confirmatur 3. Illa creatio non esset conservatio essentialiter, nec accidentaliter: ergo implicat solutio data. Probatur de accidentaliter. Nam si creationi adveniret accidentaliter esse conservationem, posset exerceri solum,

solùm; ut creatio, & pro unico instanti. Hoc implicat cum eo, quòd omnis creatura facta ab aeterno, est eterna à parte antè; implicat enim esse aeternam, & solùm esse in unico instanti.

Probat de essentialiter. Quia si creatio tunc esset essentialiter conservatio, posita creatione, non esset Deo liberum conservare. Rursus, Pro eodem instanti, quo datur creatio, esset conservatio. Tandem. Non esset conservatio per durationem finitam, quia esset conservatio aeterna à parte antè. Nec per infinitam, nam evidenter implicat creatio, quæ sit essentialiter conservatio per durationem infinitam.

Et explicatur. Implicat productio rei, de cujus essentia sit conservatio per annum: ergo implicat, de cujus essentia sit conservatio per infinitam durationem. Rursus. Vel esset conservatio rei per infinitam durationem successivam, vel per infinitam instantaneam, & totam simul. Non primum, quia duratio successiva est essentialiter interrumpibilis, & sic nequit esse essentialiter infinita. Non secundum; quia duratio infinita tota simul est propria solius Dei.

9 Arguit idem iterum sic. Implicat creaturam esse aeternam à parte antè duratione successiva, & transeunte; aliunde implicat amplius esse aeternam duratione instantanea, & tota simul: ergo plene implicat creaturam ab aeterno. Major probatur.

1. Quia implicat tempus, & motum

esse ab aeterno, ut supra probatum est: eadem autem est ratio de duratione successiva, quæ habet prius, & posterius, sicut motus, & tempus. 2. Quia duratio ut successiva, non potest esse in instanti creationis, nec effectus ejus, ut creatio est, quia ut creatio est instantanea, & sine successione: ergo duratio ut successiva, est effectus conservationis, immediatè secutæ ad instans creationis, & sic in illo habet initium extrinsecum, ut supra arguebamus. Ergo duratio, si est successiva, nequit esse eterna à parte antè.

Minor principalis probatur. Duratio si est aeterna, & tota simul, est duratio Dei; implicat creaturam ab aeterno durare duratione Dei. Rursus. Duratio si est tota simul, non habet prius, & posterius, unde est indivisibilis, & interrumpibilis: sed implicat infinita duratio creaturæ, essentialiter interrumpibilis à Deo: ergo implicat duratio creaturæ aeterna & tota simul.

Si dicas, durationem creaturæ esse totam simul, & interrumpibilem à parte antè, sed à parte post esse successivam, & defectibilem. Contra. Nam usque quo manet interrumpibilis? Nam vel est ab aeterno, & usque in aeternum: & hoc soli Deo convenit. Vel usque ad certum limitem, & hoc repugnat etiam. Nam non potest designari certus limes, ante quem non posset creatura illa destrui à Deo. Rursus. Implicat creaturam durare duratione indivisibili usque ad certum, limitem, & inde durare duratione-

tatione successiva, & divisibili.

Explicatur. Implicat quantitas continua, quæ ex parte orientis sit indivisibilis, & ex parte occidentis sit divisibilis: ergo implicat duratio ex una parte indivisibilis, & ex alia divisibilis. Probat consequentia. Ideo antecedens est verum, quia quantitas, si est continua, debet esse ejusdem rationis ex una parte, & ex alia: at etiam duratio creaturæ, si est ab aeterno continua, debet esse ejusdem rationis antè, & post: ergo.

10 Tandem arguit M. Palanco sic. Si res permanentes potuerunt esse ab aeterno, potuisset Deus stupam creare, & secus eam ignem. Demus sic fecisse. Tunc ignis quàm citò combureret stupam; nam agens necessarium applicatum passivo capaci, quàm citò operatur. At inde inferitur quòd nec combustio stupæ est ab aeterno; nec ignis, & stupam ab aeterno sunt: ergo talia esse ab aeterno impossibile est. Probat minor quoad 1. partem. Nam introductio forme ignis in stupam, supponeret stupam, unde primum esse combustionis foret non esse stupæ: sed quòd habet initium, non est aeternum: ergo combustio non esset ab aeterno. Quoad 2. partem probatur sic. Implicat quòd sit ab aeterno id, quòd fuit parùm antè, quàm esset id, quòd incoepit in tempore. Sed ignis cito comburens stupam, fuit parùm antè quàm combustio sequuta, nempe duobus, vel tribus minutis: Ergo evidenter probatur, quòd stupam, & ignis non fuerunt ab aeterno.

Si dicas. Quòd tunc transiret to-

ta aeternitas sine combustionem, semel quòd illa non fuerit ab aeterno, ut fuerunt stupa, & ignis. Contrà: Nam voluntariè id asseritur. Si nunc ignis tam citò comburit stupam, ut quid datus ab aeterno tam longam expectat durationem, ut comburat? Si recurras ad impedimenta, recurras ad miracula, nam solùm miraculosè potest combustio aeternaliter impediri. Casus positus supponit nullum esse miraculum; quare recursus non est ad rem.

§ III.

Nostri sententia proponitur, & defenditur. primò circa res successivas.

II **B**ægidius loco laudato non contedit dire-

ctè quòd mundus potuerit esse ab aeterno, sicut nec D. Thom. locis citandis, sed quòd nulla ratio pro hujusmodi impotentia est efficax, aut convincens. Quare ut mentem utriusque Doct. teneamus, sat est solvere fundamenta contraria, nec tenemur directè probare mundum potuisse ab aeterno produci. At quia dom queritur de potentia Dei, dicendum est quòd Deus possit, nisi manifesta sequatur contradictio, & hæc non sequatur ex positione mundi ab aeterno, ut expressè docet D. Thomas q. 3. de Potentia art. 14. in corp. ideo Thomista, & Ægidiani docet cum suis BB. DD. Mundum potuisse esse ab aeterno tum quoad res permanentes, de quibus infra, tum quoad

quoad successivas, de quibus hic. Ita ex nostris Arimin. & Argent. in 2. Sent. dist. 1. Venetus, & Veracru- cius hic 8. Physic. Lusitanus, & Vil- lanova. Ex Thomistis Cajet. & Na- zarius 1. p. q. 46. art. 2. Capreo- lus, Ferrara, & alij, quos citant, & sequuntur Complutenses hic disp. 29. q. 4.

Probatur hæc Sententia ex P. August. allegato à D. Thoma q. 3. de Potentia art. 14. ubi refert Paren- tem nostrum lib. 11. de Civit. Dei re- ferre duas sententias Philosophorum circa mundi æternitatem, unam, po- nentem mundum æternam, à Deo non factum, aliam, factum à Deo ab æterno, & huic secundæ Augustinum non refragari nisi ex principiis fidei, quibus statuitur omnia facta esse in principio temporis: Ergo quia ap- probante D. Thoma sensit P. Augu- stinus, quod mundus potuit esse ab æterno, ut nunc est. Patet consequen- tia, quia aliàs, non tantum opposuisset secundæ sententiæ, quæ fuit Pla- tonicorum, textus Scripturæ negan- tes de facto mundi æternitatem, sed etiam rationes convincentes impossi- bilitatem æternitatis mundi. At mun- dus nedum constat ex permanentibus, sed ex successivis, ut motus, tempus, duratio creata, generationes, & cor- ruptiones: ergo quoad hæc potuit esse ab æterno.

12 Confirmatur ex D. Thoma locis datis à PP. Complutensibus, sed præcipue q. 3. de Potentia art. 17. ubi cum proposuisset argumentum ad probandum quod de facto motus cir-

cularis fuit ab æterno, respondet: *Ad decimum septimum dicendum, quod illa ratio non probat quod motus semper fuerit, sed quod motus circularis possit esse semper.* Quoad successionem eadem est ratio de motu circulari, ac de aliis. Imò motus circularis cælorum est tempus; quare si ille potest esse perpetuus & æternus ratione suæ naturæ, si Deo placeat, tempus potuit esse ab æterno. Adde quod B. Ægidius quæst. citata & D. Thomas tum q. 3. de Potentia, tum 2. contra Gent. cap. 31. & seqq. & Opusc. 27. de æternitate mundi, solvunt rationes contra æternitatem nedum rerum permanentium, sed successivarum: ergo quia putant omnes potuisse esse ab æterno.

A ratione probatur. Cælum potuit esse ab æterno, ut infra ostendemus: ergo & motus ejus, qui est tempus. Quare cum non sit major ratio de aliis successivis, omnia potuerunt esse semper, & ab æterno. Probatur consequentia prima. Dato cælo ab æterno, vel actu moveretur, vel quiesceret? Si primum? Ergo motus ejus esset æternus. Si secundum? Ergo vel ob impotentiam Dei ad movendum? & hoc non, quia potens ab æterno creare mobile, est potens illi dare motum. Vel ob repugnantiam mobilis? & hoc non, quia cælum ratione naturæ, & formæ suæ est mobile circulariter; quare si ejus natura est ab æterno, est mobilis ab æterno. Vel ob repugnantiam motus cum æternitate? & hoc non, quia motus circularis cum sit uniformis, nec habeat contrarium, est natura sua perpetuus, & sine

sine principio, & sine, ut concedunt Philosophi omnes. Quod autem natura sua perpetuum est, non repugnat esse ab æterno. Restat ergo quod motus cæli ab æterno non sit, quia Deus noluit esse ab æterno, sed in tempore. Voluntas Dei, sicut non minuit potentiam Dei, sic non tollit à cælo, quod potuerit esse ab æterno, & ab æterno moveri.

Confirmatur. Sicut cælum ita factum est in principio temporis, ut potuerit fieri antea, & antea in infinitum; sic data ejus productione ab æterno, ut probabitur possibilis, potuit moveri à Deo ante quodlibet tempus determinatum. Procedamus sic: & supponamus quod æternitas præcedit tempus nostrum mille durationibus temporis imaginarij. Potuit cælum moveri ante tempus nostrum prima duratione imaginaria; potuit item ante primam durationem imaginariam, & sic in infinitum, ita ut nulla duratio sit cogitabilis, ante quam Deus creare non possit cælum, & illud movere: ergo quia potuit creari, & moveri ab æterno.

13 Ad fundam. contraria, posita num. 1. respondemus, & ad auctoritatem P. Augustini dic cum D. Thoma ubi supra, quod tempus nequit esse coæternum æternitati in permanentia, totalitate, & indivisibilitate. Hæc tria conveniunt æternitati, quæ est instans semper stans, & repugnant tempori essentialiter successivo, & divisibili. At non negat P. Aug. tempus posse esse coæternum in duratione, & hoc tantum ponit

nostra sententia tenens tempus posse ab æterno esse, non quidem totum simul, sed successivè, & divisibiliter.

Ad auctor. D. Thomæ dic S. Doct. loqui de creatura producta per motum, quæ non existit, nisi in fine motus. Hæc sanè nequit esse ab æterno, sicut nec finis motus potest esse ab æterno. Motus autem ab æterno est possibilis. Nam pro hoc non est necesse, quod finis motus sit ab æterno, sed satis est quod principium motus non sit in tempore, nec post æternitatem; id est quod in nullo instanti incipiat esse motus.

Ad 1. rationem concedo motum, & tempus includere, prius & posterius, nego tamen non posse esse ab æterno. Equidem nequit esse ab æterno secundum posterius, nam hoc supponit prius quod non potest supponi ab æterno. Nec est ab æterno secundum partem sui determinatam; quia nulla in motu, & tempore est designabilis pars, ante quam non sit alia, & alia in infinitum. Nihil autem potest esse ante æternum. At ex processu illo in infinitum partium ante quas semper, & semper est alia, sequitur tempus nunquam incipere. Sicut ex quo à parte post nulla est designabilis pars, ultra quam non sit possibilis alia, & alia sine fine, sequitur tempus posse nullum habere finem, & esse æternum à parte post. In æternis creatis potest esse prius, & posterius, quia eorum duratio est successiva, secus in æternitate attributo Dei, quæ est tota simul. Quod si de æternis successivis quæras, an una pars

præcedat aliata infinitè? Respondeo, quòd pars determinata distat finicè à parte determinata, sed ab omnibus indeterminate sumpsis, distat infinitè, quia nec à parte antè in sensu quæstionis, nec à parte post de facto, devenire possumus ad primam, & ultimam partem.

14. Venio ad rationes Magistri Palanco. Ad primam, positam num. 2. dist. maj. Implicat præteritio temporis, quæ sit ab æterno; prima præteritio temporis, nego suppositum: præteritio supponit esse; ergo prima præteritio temporis, supponit primum esse temporis. Hoc negamus, defendentes quòd tempus potuit non incipere, sed semper esse. Et hoc debet probare; & non supponere. Præteritio temporis non prima, concedo quòd ab æterno esse non potuit. Sed inde nihil cõtra nos, qui non ponimus tempus ab æterno quoad omnes suas partes, nec quoad omne temporis esse, sed taliter, ut non sit designabile intans, quo incæperit esse tempus.

Distinguo etiam minorem. Si tempus, & motus, fuissent ab æterno, eorum præteritio fuisset ab æterno, eorum præteritio prima, nego suppositum, quia nulla est talis in tempore æterno; eorum præteritio non prima, nego minorem, quia ut tempus sit ab æterno non requiritur quòd omnes ejus partes sint ab æterno, sed quòd non sit cogitabilis prima que incæperit esse. Ergo ex quo esse temporis sit præteriens, si nulla est dabilis pars prima ejus, nulla

est dabilis prima præteritio. Similiter sicut tempus est ab æterno, non tamen omnes ejus partes, sic desinit esse ab æterno, quatenus nulla est designabilis prima desitio, ante quam non sit alia; desitiones autem non primæ non sunt ab æterno.

Dices, in tempore æterno non est desitio prima; aliunde reliquæ non primæ non sunt ab æterno: ergo nulla desitio est ab æterno. Respondeo instando non contra te, sed contra me. In tempore non est pars prima; aliunde partes non primæ non sunt ab æterno: ergo tempus non est ab æterno. Insto nunc contra te, in tempore à parte post, quòd potest esse æternum. Tempus hoc non habet partem ultimam, quia durabit sine fine: Rursus, partes temporis non ultimæ non erunt in æternum, quia hoc est esse non ultimas, nempe finiri ab aliis, quæ sequentur: ergo tempus quoad nullam partem potest durare in æternum.

Respondeo hanc replicam oriri ex quo nescimus explicare infinitum, nisi per negationem, sic nec æternum, unde utrumque dicimus esse quod caret terminis, & non habet principium, & finem; licet in hac negatione lateat quid positivum magnum, sed nobis incognitum. Hinc dicimus tempus æternum à parte antè, quia non habet partem primam, & æternum à parte post, quia non habet partem ultimam. Sed in hoc lateat esse positivum illius infinite durationis, nobis positivè incognitum, & solum negativè cognoscibile. Hoc esse est

semper

semper esse, aut esse sine initio essendi. Et cum esse temporis sit esse præteriens, ideo semper præterit, quia semper est esse præteriens. Ceterum sicut non incæpit esse, sic nec incæpit præterire: unde nec datur primum esse temporis æterni, nec prima desitio, sed ante quamlibet aliæ, & aliæ in infinitum. Sicut vice versa de duratione, à parte post æterna possibilibiter, dici debet.

15. Ad 1. confirmationem nego minorem, nempe quòd implicet tempus ab æterno præteriens ex quo Deus est. Ad probationem nego antecedens. Permanentia, quæ dum sunt, non prætereunt, ista dum prætereunt, indicant antè fuisse. At motus, & tempus, quæ juxta arguentem, solum sunt prætereundo, ut ita prætereant, non indigent antè fuisse; imò id implicat, quia si antè fuissent, antè præterissent. Ergo dato quòd tempus præterierit ex quo Deus est, non sequitur quòd extiterit ante Deum, sed quòd fuerit, & præterierit ex quo Deus est: & hoc concedimus. In his, & in aliis argumentis, non invenies demonstrationem aliquam, sed varias æquivocationes, quas B. Egidius ubi supra, vocat deceptiones.

Ad 2. confirmationem, ne litis nimis prolixa sit, da optionem arguenti, ut eligat sententiam circa repugnantiam infiniti in actu. Si eligat sententiam affirmantem repugnare. Dic quòd in tempore infinito non potest Deus singularis annis producere unum Angelum: nam tunc darentur in actu infiniti Angeli; & isti repu-

gnant per te. Ratio ne Deus talia possit, est ratio quam dederis pro repugnantia infiniti, & sit quamcumque velis. Nec tunc repugnat multitudo illa ex parte potentia Dei, sed ex parte termini. Si eligat sententiam negantem repugnantiam infiniti; tunc cessat plene inconueniens argumenti.

Major difficultas est supposita repugnantia infiniti, an ab æterno essent posibles generationes hominum propter animas racionales infinitas, & permanentes. Sed de hoc infra num. sequente.

16. Ad secundam rationem Magistri Palanco, positam num. 3. quæ negat posibles generationes, & corruptiones ab æterno; dicimus in ea fallaciter argui à divisa, & determinata, ad copulatam, ut bene notant Complutenfes, arguit enim sic. *Quod corrumpitur, fuit in duratione anteriorè ad corruptionem; sed implicat res fuisse antequam Deus est: ergo implicat corruptio ab æterno ex quo Deus est.* Consequens est de omni corruptione copulata, ut omnem excludat ab æterno. Major syllogismi, si est de omni corruptione copulata est falsa; si de corruptione determinata, & divisa, est vera ceterum data illius veritate, arguitur à determinata ad copulatam, unde consequentia est fallax.

Dicimus ad majorem syllogismi, quòd designata cujusvis entis corruptione, ante illam existit ens: quare nulla est determinata corruptio, ante quam non sit productio, & existentia rei, quæ producitur. At sumptis collectivè, & copulativè omnibus corrup-

ruptio.

ruptionibus, ante illas nulla est possibilis existentia rei, aut productio. Sic nullus est numerus determinatus, quo non sit alius, & alius major, & perfectior. At sumptis collectivè omnibus numeris, nullus est possibilis major. Omnium eadem ratio est. Quia numerus crescit in infinitum, & nullus est designabilis primus, & omnium supremus. Sic datis generationibus ab æterno, nulla est designabilis generatio prima, ante quam non sit alia; nulla item corruptio omnium prima. Ergo collectio omnium corruptionum non habuit initium, & sic est ab æterno. Nec inferas, quod collectio productionum erit ante æternitatem. Nam cum utraque collectio sit infinita, & æterna à parte antè, una non est major alia, nec altera prior. Illa enim prioritas valet tantum in generationibus determinatis; unde nulla est signabilis corruptio, ante quam non sit generatio. Sed quia itur in infinitum in utraque collectione, nec est designabile principium; ideo una collectio non præcedit aliam. Aliud quod ibi tangitur de generatione, quæ supponit materiam præcedentem duratione, dic esse verum de generationibus signatis, non tamen de collectione infinita, qualis est, si ponitur generatio ab æterno sine principio.

Ad confirmationem de generatione hominum ab æterno, omisissis solutionibus, datis inter arguendum, quæ facillè possent sustineri, si tempus nostrum esset æternum, & scriptura ista æterna saltem à parte post: respondemus cum D. Thoma loco laudato

contra Gentes, & B. Ægidio quæst. citata, quod infinitum animarum non sequitur ex infinito generationum semel quod ponatur circulus animarum, & transmigratio de corpore in corpus. Nostrum Alphabetom constat literis finitis, nempe viginti duobus, & tamen possunt in infinitum disponi, & variari. Ergo cum finito numero animarum possent dari infinitæ generationes hominum, si circularent, & transmigrarent de corpore in corpus. Ponere de facto hanc transmigrationem, est error damnatus; sed dicere esse possibilem, est certa veritas, quam nullus Theologus contradicet. At nunc non est quæstio an de facto generatio hominis sit ab æterno, sed an sit possibilis? Repugnantia autem infiniti excluditur transmigratioe possibili animarum: ergo in casu possibili non sequeretur implicatio illata ab arguente.

Ad aliud de generatione equi ab equo, dic unumquæque ab alio generari in infinitum, data generatione eorum ab æterno. Ceterum in illa serie non possumus devenire ad primum equum non genitum, sed creatum, quia in infinito non est primum, in æterno non datur primum esse, nec primum incipiens. Sicut in æterno à parte post non est finis, nec ultimum, nec indivisionibus continui est dare ultimam, ut libro 6. dictum est. Ergo falsò concluditur deveniendum esse ad primum equum non genitum, à quo incipiat series generationis equorum.

Ad ultimum respondet S. Thomas

5. contra Gent. cap. 38. Quod processus in infinitum repugnat juxta Philosophos in causis per se requisitis ad agendum. Nam tunc effectus penderet ab infinitis actionibus simul existentibus, & hoc est impossibile. Unde probatur deveniendam esse ad primum motorem immotum. Ex positione generationis ab æterno, sequitur processus in infinitum in causis agentibus, sed non in agentibus per se. Nam homo nunc genitus venit à suo patre, sed non pendet per se ab eo, quod ejus pater sit genitus ab alio, nam æquè benè illum generaret, si pater non esset genitus, sed creatus. Rursus omnes prædecessores sive finiti, sint, sive infiniti non influunt in hoc genitum, nec per se sunt requisiti ad istam generationem; ergo sunt causæ per accidens hujus geniti. Processus in infinitum in causis per accidens non repugnat; & hic tantum sequitur ex positione generationum ab æterno.

§ III.

Nostra sententia defenditur circa res permanentes.

17 **N**OSTRA sententia cum BB. Thoma, & Ægidio tenet; res omnes permanentes potuisse ab æterno produci. Sic BB. Doct. locis datis, & aliis, quæ videbis in Complutensibus. Hanc defendunt AA. citati namer. 11. quoniam minus repugnat res permanentes ab æterno esse, quàm successivas. Ob id Suarez disp. 20. Metaphysicæ sect. 6.

cum aliis negantibus res successivas potuisse ab æterno produci, affirmat de permanentibus; & est sententia ferè communis hoc tempore, & satis expressa in D. Thoma 1. p. q. 46. art. 2. ad 1. & in 2. Sent. dist. 1. quæst. 1. art. 5.

Probatur 1. ex P. Augustino lib. 10. de Civit. Dei cap. 31. ubi improbens sententiam eorum, qui mundum de facto posuerunt ab æterno productum, non negat potuisse produci, & simul esse ab æterno cum sua causa, quare approbat exemplum Platoniorum per hæc verba. *Si pes semper ex æternitate esset in pulvere, semper ei subesset vestigium: quod tamen vestigium à calcante factum nemo dubitaret; nec alterum altero prius esset, quanvis alterum ab altero factum esset.* In hac autoritate fundatur ratio probativa nostræ sententiæ, quam ex D. Thoma, & B. Ægidio proponemus infra.

Confirmatur ex D. Thoma 2. cõtra Gent. cap. 38. ubi propositis rationibus contra possibilitatem mundi ab æterno, eas dicit probabiles, sed non convincentes; imò eas vocat vanas relatè ad fidem nostram de mundi creatione in tempore, quæ in solidissima tantum Dei doctrina fundatur, non in rationibus nostris, ad summum probabilibus. Verba S. Doct. sunt hæc. *Has autem rationes, quia usquequaque non de necessitate concludunt, licet probabilitatem habeant; sufficit tangere solum, ne videatur fides Catholica in vanis rationibus constituta, & non potius in solidissima Dei doctrina.*

Sic etiam loquitur B. Ægidius quæst. 4^a laudata art. 2 §. Si ergo à nobis quæatur.

Hinc patet testibus D. Thoma, & B. Ægidio, quòd rationes contra possibilitatem æternitatis mundi antiquius objectæ, efficaces non sunt, sed merè probabiles; cùmque rationes, quæ nostro sæculo obijciuntur, non sint aliæ, quàm antiquæ, quidquid sit de forma urgentiori, ni dicam prolixiori, sub qua nunc proponuntur, non concludunt intentum; nisi cum Palanco teneas, quòd forsitan nostro sæculo efficacius impugnætur solutiones datæ his rationibus, quàm antiquitus à Magistris nostris, quòd videtur innuere hic quæst. 1. n. 72.

18 Probatur à ratione nostra sententia, Non repugnat creaturæ esse ab æterno, nec ex parte causæ, nec ex parte effectus, nec ex parte effectiois, nec ex parte modi faciendi; ergo potuit creatura permanens esse ab æterno. Consequentiā patet, tum quia sufficienter enumerantur capita unde posset repugnare. Tum quia cùm Omnipotens possit quidquid non repugnat; probata non repugnantia creaturæ ab æterno, dicendum est sic potuisse fieri. Probatur antecedens per singula.

Ex parte causæ sic. Causa operans subito, & instantaneè, non petit præcedere duratione suam effectū. Hoc patet multis. Sol in eodem instanti quo creatus est, illuminavit, unde si ab æterno creatus esset, ab æterno illuminasset. Angeli in primo in-

stanti sui esse, operati sunt actiones instantaneas intelligendi, & volendi. Christus Dñus in primo suæ conceptionis instanti se obtulit Deo patri ingrediens in hunc mundum, ut probat Apostolus Paulus ad Hebræos 1. ex verbis illis Psalmi, *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam &c.* At Deus est causa infinitæ virtutis, agens sine motu, & in instanti, per intellectum, & voluntatem: ergo ex parte ejus non repugnat, quòd producat creaturam sibi æqualem in duratione.

Nec ideo creatura illa esset æterna sicut Deus quo forsitan moventur contrarij ad negandum. Nam ut bene notavit P. Augustinus lib. 12. de Civ. Dei cap. 15. etiam si Angeli semper fuissent ab æterno, non essent perfectè æterni, nec Deo coæterni perfecta æternitate. Verba S. P. contra Platonicos differentis, sunt hæc: *At per hoc etsi semper fuerunt Angeli, creati sunt; nec si semper fuerunt, ideo creatori coæterni sunt* (nempe perfecta æternitate) audi rationem. *Ille enim semper fuit æternitate immutabili, isti autem facti sunt.* Inde inferens, quòd Deo immutabili omnia sunt præsentia, quare illi nec præterita transeunt, nec futura expectantur. Secus Angelis mutabilibus per tempora, quibus præterita jam non sunt, & futura nondum sunt.

19 Ex parte effectus sic. Non repugnat creaturæ, quæ essentialiter est ens ab alio, nisi id quòd repugnat enti ab alio. Ob id repugnat creaturæ esse omnipotentem, infinitè bonam, infi-

infinitè veram, esse ens à se, & alia similia; quia talia repugnant enti ab alio, & enti finito. Sed fieri ab æterno, non repugnat enti ab alio, si adsit causa potens ab æterno facere; sicut enti illuminabili non repugnat ab æterno illuminari, si ab æterno sit Sol potens illuminare; item vestigiū impressum, & factum à calcante, non repugnat, ab æterno esse, si ab æterno sit pes calcans pulverem: ergo cùm ab æterno sit causa creaturæ æquè potens, & omnipotens ac in tempore, non repugnat ex parte effectus creaturam esse ab æterno.

Urgetur. Non repugnat creaturæ esse æternam à parte post, ut patet in anima nostra, & Angelis in æternū duraturis: ergo nec eis repugnat esse æternos à parte antè. Vel sic. Non repugnat creaturæ finitæ duratio infinita à parte post, & quòd coexistat durans æternitati sine fine. Ergo ei non repugnat duratio infinita à parte antè, & quòd durans coexistat sic æternitati.

20 Ex parte effectiois sic. Creatura, dum à solo Deo producitur, sit per creationem, quæ est fieri rei ex nihilo: at potest fieri ex nihilo ab æterno sine repugnantia, ergo ex parte effectiois hoc nõ repugnat. Probatur minor: Fieri ex nihilo; non est fieri ex nihilo præsupposito, ita ut ante esse creatum præsupponatur nihilum. Hæc enim intelligentia creationis, qua contrarij fundant præcipuum argumentū contra nos, corrigitur à D. Thoma locis citatis, & est expressa doctrina S. Anselmi in Monologio cap. 8. dicentis:

Dicitur aliquid factum ex nihilo, cùm intelligimus esse quiddam factum, sed non esse aliquid unde sit factum. Sicut cùm homo tristatur sine causa, dicitur contristari de nihilo. Hinc fieri ex nihilo, est non fieri ex aliquo præsupposito: sed sine repugnantia potest creatura fieri ab æterno, & non fieri ex aliquo præsupposito; imo repugnat fieri ex aliquo præsupposito si fiat ab æterno; cùm ante æternitatem non possit aliquid præsupponi: ergo potest &c.

Ex parte modi faciendi, probatur sic. Modus, quo Deus ad extra operatur, est liberè faciendū, & exequendū quòd vult. Sed Deus ab æterno voluit, & suam ab æterno libertatem exercuit: ergo contra libertatem Dei, resplendentem in suis operibus, non est exequi ab æterno quòd vult. Adde quòd si Deus solū in tempore potest agere ad extrà, deprimitur, & arctatur libertas Dei; ne possit agere per totam æternitatem. Jam vides quòd nulla ratio cogit nos talia sentire, & talem sequelam admittere. Probatur sequela. Nam nulla est imaginabilis differentia temporis, habentis initium, ante quam non præcedat infinita duratio æternitatis. Ergo si solū in tempore potest Deus agere, tenetur, & constringitur ad non operandum per infinitam durationem æternitatis præcedentis.

Illæ, & aliæ rationes pro nostra sententia, non sunt adeo efficaces, ut convincant, quare illas dissolvit etiam D. Thomas quæst. citata de Potentia, nec in ullam vult ibi propendere partem, sicut & B. Ægidius; sequentes

ambo P. Augustinum lib. 12. de Civ. Dei cap. 15. ubi libtratis utrinque momenti, suum iudicium suspendit dicens: *Idco putavi sine affirmatione tractanda, ut qui hęc legunt videant à quibus quæstionum periculis debeant temperare, nec ad omnia se idoneos arbitrentur; potiusque intelligant quàm sit Apostolo obtemperandum præcipienti salubriter: Dico autem per gratiam, quæ data est mihi, omnibus, qui sunt in vobis, non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad temperantiam.*

Hinc circa possibilitatem æternitatis mundi, tenendum est utramque sententiam probabilem esse; & à iudicio proferendo temperandum. At quoniam docente P. Augustino, dum quæritur de Potentiâ Dei, dicendum est quòd Deus possit, nisi manifesta sequatur contradictio; ideo dum à Philosophis, & Theologis nulla detegitur, nam quæ hucusque subillata sunt, dissolvantur facillè à DD. nostræ sententiæ; tenendum est probabiliter quòd Deus potuit mandum ab æterno creare.

§ V.

Solvuntur argumenta contra æternitatem rerum permanentium.

21 **R**estat solvere argumeta posita à num. 4. Primum ex SS. PP. desumptum, solvitur à D. Thoma q. 3. de Potentiâ art. 14. dicens. *Ad secundum dicendum, quòd Damascenus loquitur supposita fidei veritate. Quod patet ex hoc quod dicit,*

quòd ex non esse ad esse ductum est &c. Est dicere, quòd supposita fidei veritate, docente omnem creaturam factam in tempore ex sui non esse; tunc benè arguitur, quòd nulla creatura est nata esse coæterna Creatori, qui semper est. Quare si Verbum semper fuit Patri coæternum, Verbum non est creatura. At licet fides determinet creaturam esse in tempore, non determinat, quòd non potuerit esse ab æterno ergo ex PP. argumentibus contra Arium, nil concluditur pro quæst. præfenti.

Vt pleniùs cognoscas quo sensu PP. disputarunt contra Arium, audi ipsum loquentem tom. 1. Conciliorum in Præfatione historica Concilij Nizeni, ubi in Filium æterni Patris blasphemus, inducitur hæc iactans in vulgus: *Erat aliquando, quando non erat; ex non extantibus factus est, non de Patris substantia genitus: ex tempore, non ab æterno: haudquaquam Deus verus de Deo vero; sed ex nihilo creatus, minor Patre, voluntate naturaque mutabilis.* En ut Filium Dei faceret creaturam, eum iactavit in tempore factum; & ex nihilo; qualiter fides nostra docet factam omnem creaturam, ex nihilo, & in tempore. Ergo SS. PP. probantes Verbum Dei esse ab æterno apud Deum, benè concludebant contra hæreticum ex ab eo cõcessis, nempe nullam creaturam esse ab æterno, sed in tempore, & ex nihilo; quare verbum semper manens apud Deum, creatura non est.

22. Dices aliquos Arianos tenuisse Verbum esse creatum ab æterno, ut

ut refert Theodoretus lib. 4. de Hæresibus. Ergo si apud eos certum esset, nullam creaturam esse ab æterno, non concederent, vel Verbum esse ab æterno creaturam, vel negarent omnes, esse ab æterno creatum. Rursus. Si Ariani tenerent omnes creaturas esse in tempore, id supponerent SS. PP. disputantes cum Arianis, nec probarent quòd nulla creatura potest esse ab æterno; atqui id probant, qui laudati sunt num. 4. ergo quia eis visum est argumentum efficax pro divinitate Filij, directè probare, quòd nulla creatura potest esse ab æterno.

Contra est. Nam inde non concluditur, nisi quòd sit probabile inter Catholicos creaturam posse esse ab æterno. In principio hæresis jam vidimus Arium tenuisse Verbum creatum in tempore, & ex nihilo. Postea hæretici sequentes, argumentis coacti ut Verbum ponerent ab æterno, non deposuerunt suum errorem, confugientes ad sententiam probabilem de possibilitate creaturæ ab æterno. Talia effugia familiaria sunt hæreticis, ut patet de Pelagianis, Donatistis, & Lutheranis, confugientibus ad opiniones controversas, ut ibi lateant, ne suum virus deponere cogantur.

Quidquid sit. Non omnia argumenta PP. contra hæreticos demonstrativa sunt, maximè, quæ in materia fidei consiciuntur ex ratione naturali. Divinitas Filij firmissimè ab eis probata est ex sacra Scriptura, ut ex illo. *Ego, & Pater unum sumus. Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt &c.* Quòd

si argumento, nobis objecto, ulsi sunt, eo veluti probabili, & ad iuvante captum nostrum ad assensum rebelatatis, ulsi sunt. Sic Apostolus Petrus die sacro Pentecostes, dupliciter probavit Apostolos, loquentes variis linguis, non esse ebrios, ut putabant Judæi; primò quia erat hora diei tertia, secundò ex verbis Prophetæ Joel: unde ait Act. 2. *Non enim sicut vos estimatis hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia; sed hoc est quod dictum est per Prophetam Joel. &c.* prima probatio est solius congruentiæ, quia non convincit impossibilem ebrietatem, eo quòd ante horam tertiam bibere potuerunt. Sed addita est congruentia, ut faciliùs assentiretur infallibili testimonio Joëlis. In hoc sensu supra num. 17. vidimus D. Thomam, docentem, rationes philosophicas contra mundi æternitatem esse vanas; nec eis fundari fidem nostram, sed in solidissima doctrina Dei,

23 Venio ad rationes. Ad primam positam num. 4. nego maj. negamus, creaturam factam ab æterno, incipere esse. Non incipit quod semper fuit: sed quod ab æterno est factum, semper fuit: ergo non incipit. Rursus, quod incipit esse, habet initium; æternitas autem, & omne æternum, nullum habet initium: ergo si creatura fieret ab æterno, non inciperet esse. Quid moror? Vide attentè, quæ adducit Palanco num. 5. contra secundam solutionem, & ibi invenies probatum, quòd nil existens ab æterno, incipit esse.

Ad probationem majoris nego
Yyy2 ante.

antecedens. Creatura facta ab aeterno; non transiret de non esse ad esse, quia non fieret per mutationem, nec fieret ex nihilo presupposito, ut num. 20. dictum est ex D. Thoma, & S. Anselmo, unde non inciperet esse. In hoc sensu prima solutio negat quod tunc creatura haberet principium durationis. Hæc vox principium est æquivoca ad initium; & ad causam. Ut dicit initium, negat solutio quod duratio creature tunc haberet principium; at non negat, quod duratio creature haberet causam, & esset ab alio; sicut de vestigio dictum est cum P. Augustino num. 17. Nec talis duratio potest convenire Verbo Divino, quod est genitum, non factum, ut amplius dicemus infra.

Secunda solutio, posita num. 5. recurrens ad prioritatem nature, in qua res producta ab aeterno, intelligitur non esse, & solum est pro posteriori; non est solutio necessaria ad solvendum argumentum, & rem difficile, difficilimis præcisionibus amplius implicat in aternitate. Quare eam omittimus, sicut & impugnationes contra illam datas.

24. Verior solutio est ultima, posita num. 6. ubi dicitur, & bene, quod fieri non est transire de non esse ad esse, sed pure est accipere esse ab alio. Quod stat ab aeterno sine implicatione, ut patet ex dictis. Nec bene impugnatur solutio ista. Ad primam impugnationem, ibi positam nego antecedens. Nam fieri, est accipere esse ab alio: ergo fieri proprie, est accipere proprie esse ab alio. Aliter

creatura, aliter Verbum Divinum, accipiunt esse ab alio; nam ly *alio* potest sumi *substantive* aut *adjective*. Patet est *alio* à Filio, sed non est *aliud* à Filio; quia licet sit Persona distincta, non est distincta substantia. Hinc Filius genitus de substantia Patris, accipit esse ab alio, qui non est *aliud*, sed *alius* à Filio: ob id est genitus, non factus. At creature sunt factæ, quia accipiunt esse ab alio, qui est *aliud* ab eis, audi S. P. Augustinum lib. de Natura boni cap. 1. ubi post explicatum summum bonum aeternum, ait: *Cetera omnia bona, non nisi ab illo sunt, sed non de illo. De illo enim quod est, hoc est quod ipse est. Ab illo autem quæ facta sunt, non sunt quod ipse.* Ergo non ideo Verbum divinum est genitum, & non factum, quia non accipit esse post non esse, ut contendit arguens, sed quia fit de substantia Patris, & non fit ab alio, quod sit *aliud*.

Ad 2. impugnationem dic, quod in re producta ab aeterno, fieri non distinguitur à conservari. In re autem temporali distinguitur, sed non intrinsece, sed extrinsece. Ratio primi est, Res producta ab aeterno, vi productionis ab aeterno, ab aeterno est: ergo vi productionis semper est: ergo vi productionis conservatur: ut quid ponenda est actio distincta ad conservandum rem, quæ semper est? Ergo in re ab aeterno producta, fieri non distinguitur à conservari.

Ratio secundi est. Conservatio est continuata productio, unde actio dans esse, sicut productio prima; sed cum hoc discrimine, quod productio dat

dat primum esse; conservatio secundam. At esse primum, & secundum est idem esse; nec Petrus hodie est diversus intrinsece, à seipso dum productus est, sed solum extrinsece per relationem coexistentia ad diversum tempus: ergo in re temporali solum extrinsece differunt fieri, & conservari. Hinc in solis temporalibus fieri est recipere esse post non esse; in aeternis autem, quæ semper fuerunt, non est dare unquam eorum non esse.

Ad 3. impugnationem concessis præmissis distinguo consequens: ergo fieri non est tantum recipere esse, in temporalibus permitto consequens, in aeternis nego consequentiam. Nec insistendum nimis est in modo loquendi, quia cum solum noscamus temporalia, de illis loquimur utcumque. Sed dum de aeternis loquendum est, verba aliquando corrigenda sunt.

Ad confirmationem nego quod creatio essentialiter petat transitum de non esse ad esse. Id petit nunc, sed non quia creatio; sed quia temporalis, ut docet D. Thomas. Ad probationem antecedentis, qua dicitur creatione esse fieri rei ex nihilo, jam supra n. 20. explicatum est, quomodo intelligendum sit ly *ex nihilo*. Ad 2. probationem concedo quod annihilatio est transitus de esse ad non esse; nam cum annihilatio sit finis rei admittit, & petit illum transitum. Creatio autem si sit in tempore, habet initium, & sic est transitus de non esse ad esse. Ceterum si sit creatio ab aeterno, non habet initium, & ideo nec talem transitum.

25. Ad aliud fundam. positum

num. 7. respondeo, quod creatio temporalis fit in instanti propter rationes argumenti. At creatio ab aeterno, nec fit in instanti, nec in tempore: nam istæ mensuræ solum deserviunt productioni temporali, quæ aliquando est, nec semper fuit. Mensura ergo creationis ab aeterno est sola aternitas. Unde cessant probationes argumenti. At quia in prima conclusione diximus, quod etiam tempus potuit esse ab aeterno; hoc dato, creatio passiva mensuraretur etiam tempore aeterno. Queritur, an tunc creatio coexistet instanti, aut tempori successivo. Respondet B. Ægidius ubi supra, quod creatio coexistet instanti. At hoc instans non esset sicut instantia nostra, quæ momento transeunt; sed esset instans fluidum, semper, ac semper fluens, sed suo fluxu coexistens instanti semper manenti aternitatis.

Nota quod hoc instans fluens esset unicum, & indivisibile, sicut aternitas. Rursus, sicut aternitas non habet initium, sed semper fuit, sic hoc instans sine initio semper esset. Ob id licet creatio fieret in eo instanti, non inciperet, quia tale instans nunquam incepit, sed semper fuit. Differt instans illud ab aternitate, quia aternitas est instans semper stans, & necessario semper erit sine fine, aut fluxu. At instans temporis ab aeterno, non stat, sed semper fluit, & poterit, à parte post destrui à Deo, & sic habere finem. Rursus, aternitas est instans non factum; aliud autem est instans factum, & ob id mutabile, ut ex P. August. dictum est num. 18.

Ad confirmationem dist. major. Implicat conservatio creaturæ ab æterno, conservatio distincta à productione, concedo; indistincta nego maj. quo cessat argumentum. Nam sola conservatio, quæ est distincta: supponit creationem, ut dictum est n. 23. unde solutio data num. 8. vera, & sufficiens est, nec bene ibidem impugnatur.

25 Ad 1 impugnationem istam illam multipliciter, sed philosophicè in sententia Thomistarum docentium, quod materia nec divinitus potest existere sine forma: nam in hac opinione, licet Deus sit absolutè liber producere tam formam, quam materiam; at ex suppositione quod producat materiam; tenetur, & non est liber in productione forme. En productio materiæ est beneficium libertatis Divinæ, sed tale, ut reddat Deo necessariam productionem forme. Cur miraris nos dicere, quod ex suppositione productionis rei ab æterno, teneatur conservare rem productam. Hæc objecta adeo levia apparent, ut non liceat amplius immorari. Productio rei ab æterno inducit Deo necessitatem conservandi, non absolutam, sed conditionatam, & ex suppositione. Hæc autem non pugnat cum libertate Divina, aut creata, ut omnibus notum est.

Ad 1. confirmationem, dic quod creatio temporalis est instantanea, etsi reduplices temporalitatem, concedam esse essentialiter instantaneam; sicut homo albus, ut albus, est essentialiter disgregativus visus. Creatio autem ab æterno, nec instantanea, nec succes-

siva est ut diximus num. 24. Sed deus omnem esse instantaneam, quod do tibi gratis. At ab æterno non est instantanea instanti disparante, sed instanti semper durante cum æterno fluxu, ibidem explicato: in eodem conservatur diuturnitate illius instantis, semper fluentis.

Ad 2. confirmationem admissa distinctione rationis inter creationem, & conservationem rei ab æterno, nego omnes consequentias, quia fallaciter infertur ex distinctione rationis, & ex prioritate per rationem, realem prioritatem instantis creationis ad minus conservationis. Totum fit in eodem instanti sine reali prioritate, & admissa solum prioritate rationis, quæ impertinens est pro intentione arguentis.

Ad 3. confirmationem dic, quod illa creatio, reduplicata mensura æternitatis, est essentialiter conservatio; & hoc propter rationem quæ Palanco impugnat quod sit accidentaliter conservatio. Ad impugnationes contra essentialiter, jam supra dictum est de duabus primis. De ultima dicimus, quod creatio ab æterno, esset conservatio creaturæ per infinitam durationem. Et dum insurgis, quod evidenter implicat creatio, quæ sit essentialiter conservatio per durationem infinitam. Respondemus, talem evidentiam esse nobis ignotam, & putamus non satis clarescere DD. contrarie sententiæ, nam à tempore P. Augustini non claruit, nec D. Thomæ, & B. Egidii, undquam apparuit evidentia illa.

Ad explicationem concessæ antecedenti

cedenti, nego consequentiã. Productio rei temporalis non petit essentialiter durationem determinatam, unde nequit essentialiter esse conservatio per annum. At productio rei ab æterno, petit essentialiter esse ab æterno; & semper, unde petit conservari infinite. Et dum queris an sit duratio infinita successiva, an tota simul? Respondetur, quod omnis duratio creaturæ, etiam Angelicæ, est successiva, quia est mutabilis Angelus per tempora, ut vidimus num. 18. ex P. Augustino. Inde sequitur, quod est interrumpibilis, sed à parte post, quia ex hac parte finita est; non à parte antè quia sic fuit ab æterno, & semper.

26 Ad aliud fundam. positum num. 9. Nego majorem, nempe, quod implicet creaturam esse æternam à parte antè, duratione successiva, & transeunte. Ad 1. probationem maj. qua supponitur probata repugnantia temporis ab æterno, dicimus, supra etiam à nobis solutas esse probationes contra tempus æternum. Ad 2. probationem maj. nego suppositum antecedens supponitur ibi quod creatio ab æterno fit in instanti, & quod est instantanea, & quod incepit. Totum hoc est nobis falsum, & debebat probari, non supponi. Dato tamen gratis, quod fiat ab æterno in instanti, non fit in instanti nostri temporis, sed in semper fluido, explicato de mente B. Egidii n. 24. Duratio successiva non potest esse in instanti nostro bene tamen in semper fluente. Ab eo dicenda est creatio instantanea instantaneitate fluente, quia creatio illa est etiam conservatio,

& conservat durationem successivam fluentem; quare passivè sumpta creatione, est instantanea fluenter.

Dum autem arguens querit à nobis de duratione rei ab æterno, quæ à parte post est divisibilis, & interrumpibilis, sed non à parte antè, usque quo est interrumpibilis? Respondemus certum limitem non esse designabilem, sicut nec in continuo certam divisibilitatem. Quare sicut continuum ita est divisibile, ut posita divisione qualibet, semper maneat infinita divisibilitas: ita creata duratio ita est à parte post interrumpibilis à Deo, ut posita qualibet interruptione, semper creatura à parte antè habuit durationem infinitam. Ratio sic respondendi est, quia limes certus solum sumitur, relatè ad terminos certos, qui sunt principium, & finis. Sed sicut in continuo non est finis divisionis, ita in creatura æterna non est principium, aut initium durandi; ergo &c. Hinc patet solutio ad explicationem, nam paritas quantitatis pro nobis est ut dictum est.

27 Ad ultimum fundam. positum num. 10. dicimus, casum illum, & modum loquendi supponere, quod nos negamus, & arguens debet probare. Supponit enim, quod ignis, & stupa creati ab æterno, incepserunt esse, & initium utriusque fuit in aliquo instanti. Inde inferens, quod in eo instanti forma stupæ extitit in materia stupæ, & pro sequenti duratione introductus est ignis, quam citò. Et quod mirabilius est, arguens in illo principio sine principio æternitatis, quam supponit, numerat morulam combustionis;

tionis, & distantiam durationis stupæ à daratione ignis denuo geniti, duobus, vel tribus minutis. Tales conceptiones de rebus ab æterno productis, vocat B. Ægidius deceptiones, & eas detegit, & corrigit fundatissimè quæst. citata.

Respondemus, admissò casu productionis ignis, & stupæ ab æterno, & approximationis utriusque, quòd ignis stupam combureret, non quidè quàm citò, sed ab æterno. *Ly quàm citò est limes præfixus, qui soli rei temporali, & habenti initium, potest applicari.* At rei, quæ semper fuit sine initio, si est res operativa, applicanda est actio ab æterno, ut de sole dictum est. Nec in hoc differunt agentia instantanea, ut Sol, & successiva, & alterativa, ut ignis. Nam utraque sunt ab æterno sine principio: ergo æquè agunt ab æterno, & semper, nec unum citius altero, cum utriusque operatio, & esse mèsuretur æternitate, quæ sepe est.

28 Sed ne argumentum, quod totam vim habet in falsa suppositione ejus, quod debebat probare, & in abusu modi loquendi temporalium, applicati rebus æternis, unice solvatur correctione locutionis, quod satis erat, ideo dicimus secundo, quòd dato tempore ab æterno, ignis combureret stupam, non quàm citò sed in eodem instanti ab æterno, quo ignis, & stupæ creata sunt. Inde forsan inferes, quòd in materia stupæ erunt simul, & in eodem instanti duæ formæ oppositæ néesse forma stupæ, & forma ignis, denuo geniti. Hoc negat Philosophia iuxta dicta lib. 1. quæst. 16. § 1.

Sed respondemus, quòd licet in eodem instanti temporis nostri, quod momento evanescit, non possint esse duæ formæ substantiales in eadem materia; benè tamen in instanti semper fluente, supra explicato de mente N. Ægidij. Et patet, quia instans illud, semper fluens, licet esset indivisibile realiter, esset tamen æquivalenter, divisibile, & æquivaleret ratione sui fluxus durationi temporis longævi. Ergo sicut naturaliter in eadè materia possunt esse duæ formæ secundum diversam durationem; sic dato casu ignis, & stupæ ab æterno, daretur in illo instanti æternitatis semper fluente, duplex forma, non quidem simul existens in materia, sed successivè; non successione temporis, ut diversorum instantium, sed successione fluida ejusdem instantis, semper fluentis.

Pro hac doctrina, quæ pulchra est, nec potest nunc à nobis plenè dilucidari, vide omnia quæ DD. docent de æternitate, quæ est instans complectens infinita tempora: unde quæ diversis temporibus nostris vera sunt, v.g. *Adam vivit, Adam non vivit.* Ista verificantur in eodè instanti æternitatis, quia est virtualiter multiplex, cum in suo sinu comprehendat infinitas durationes. Dic idem de illo instanti fluido Ægidiano, quod daretur ab æterno, si ab æterno essent generationes. Sed cum hoc discrimine. Quòd, instans æternitatis est semper stans, instans autem temporis æterni esset semper fluens. Instans æternitatis nec habuit initium, nec potest habere finem, instans temporis æterni non habuisset de facto

facto initium, sed haberet finem, quòd inciperent tempora finita versari. Instans æternitatis veluti improductum, continueret suo sinu infinita tempora produ-

cibilia. Ceterum instans temporis æterni, cum esset creatum, non contineret infinita tempora à parte antè, sed æquivaleret eis, coexistendo, & durando.

Q V Æ S T I O III.

An sit possibilis creatura essentialiter durans in æternitate

§ I.

Quibusdam notatis proponitur sententia affirmans.

HÆC quæstio est aliquomodo sequela præcedentis, nam § 5. dictum est, quòd creatura producta ab æterno, conservaretur per infinitam durationem à parte antè, ita ut productio ejus esset etiam conservatio illius. Quæritur ergo an sicut creatura ab æterno producta, essentialiter petit infinitam durationem; ita sit possibilis creatura, aut detur de facto, quæ in tempore producta, petat infinitam durationem à parte post? Nec est quæstio de exigètia connaturali, nam istam habent Angeli, & anima rationalis, & quæcumque substantia spiritalis, nec non cæli, & quæcùque substantiæ materiales, quæ carent contrarietate qualitativè; sed de exigètia essentiali, contra quam Deus naturæ author nec operatur, nec potest.

Quæstio sic proposita, philosophica est, & spectat ad 4. Physicorum ubi agitur de duratione rerum; nec non ad lib. 8. quatenus quærit de duratione æterna; item ad libros de Anima 1. 3. ubi tractatur de Immortalitate animæ rationalis, & illius separabilitate à corpore: nec non ad lib. de Cælo, & mundo, ubi ostenditur cælos esse incorruptibiles,

Ideo breviter à nobis hic tractanda est; quoniam alibi forsan enucleatius dilucidabitur.

Eandem disquirunt Theologi de Visione beata, quæ cum sit essentialiter beatitudo nostra, nec bearet, nisi esset perpetua, quærent meritò an essentialiter habeat in æternum durare, ita ut nec divinitus possit à Deo annihilari? Idem disputatur etiam de unione hypostatica, & aliis ordinis supernaturalis entibus superexcellèntibus, quibus debita videtur perpetuitas ratione suæ præcellentiæ.

Negativam sententiã tenent Theologi cum D. Thoma 1. p. q. 50. art. 5. ubi agitur de incorruptibilitate Angelorum, contra paucos infra citandos. Solùm discrepat schola nostra Ægidiana à Thomistica, quatenus nostra agnoscit in natura Angelorum potentiam intrinsecam ad non esse, secus Thomistica, quæ solam extrinsecam tuetur. De quo vide N. Gavardi tom. 3. suæ Theologiæ q. 1. de Substantia Angelorum art. 4.

Affirmativa defèditur ab aliquibus, suppresso nomine citatis ab Aldrete disp. 56. de Incarn. Ex parte eam tuetur Ariaga disp. 10. Physicæ à n. 17. & disp.

§ 1. n. 64. tenens possibilem creaturam essentialiter exigentem permanere pro aliqua duratione. Sed hanc sententiam in Theologia retractavit laudabilius, quā cum prius tutatus est. Citatur etiā à Card. Aguirre Petrus Cassendus lib. Physicæ Epicuræ asserens realiter existere spatium, essentialiter æternū, & à Deo improductum; quare nec à Deo destruibile. Vide tale figmentū impugnatum ab eodem Cardin. in Physica disp. 3. 1. sect. 1.

2. Probatur sententia affirmans 1. Stat sine dispendio dominij Dei in creaturas, & libertatis ejus in conservando eas, quod creatura producta ab æterno, petat essentialiter durationem infinitā, ut patet ex dictis quæst. præcedente: ergo stabit creatura producta in tempore, petens essentialiter infinitam durationē sine dispendio dominij Dei &c. at talis esset essentialiter durans in æternum, ut patet: ergo possibilis est talis creatura. Prima consequentiā probatur 1. Quia tam infinita est duratio æternitatis à parte antè, quā à parte post: ergo si infinita duratio æternitatis à parte antè, potest exigi essentialiter ab ente creato, poterit exigi etiam infinita duratio à parte post. 2. Nam ideo stat prima exigentia sine dispendio libertatis, & dominij Dei, quia necessitas conservandī à parte antè creaturam, non est absoluta, sed ex suppositione libera Deo, nempe ex suppositione quod creaverit ab æterno, quod potuit non facere. At etiam in secunda exigentia necessitas conservandī creaturam, non esset absoluta, sed ex suppositione quod creaverit talem creaturam, quod sanè potuit non facere; ergo &c.

Confirmatur: Possibilis est creatura, cui repugnet essentialiter cōservari post primam sui existentiam: ergo possibilis est creatura, cui repugnet essentialiter destrui à Deo. Patet consequentia. Quia libertas, & dominium Dei est ad conservandum, vel non conservandum: ergo si hoc non obstante, est possibilis creatura repugnans essentialiter sui cōservationem; possibilis erit &c. Antecedens primum patet in instanti temporis nostri, quod essentialiter existit indivisibiliter, & momentaneè; si autem conservaretur post primam sui existentiam, existeret divisibiliter, & successivè, ut pars temporis.

Confirm. 2. Non repugnat creatura, quæ sit essentialiter incorruptibilis, ut patet in Angelis, anima nostra, & in omni substantia spiritali: ergo non repugnat creatura, quæ excedens Angelos in perfectione, sit essentialiter inannihilabilis, & sic essentialiter perpetua.

Confirmatur 3. Datur creatura, quæ ex suppositione suæ productionis petit conservationem suam in æternū: ergo possibilis erit, quæ ex suppositione suæ productionis petat essentialiter durare in æternum. Antecedens patet in spiritalibus, & in cœlestibus, quæ cum non consentent ex contrariis, nec à contrario ullo lædantur, petunt perpetuari; unde petunt à Deo conservari in æternum.

3. Probatur 2. eadem sententia. Non repugnat creatura, quæ ex suppositione suæ existentie petat essentialiter durationem alterius: ergo nec repugnat quæ petat essentialiter sui conservationem. Patet consequentia, quia non est major ratio de una, ac de alia. Antecedens

recedens probatur in actu fidei quo credimus animam rationalem duraturam in æternum. Actus iste est essentialiter verus, & infalsificabilis; petit autem ad sui veritatem quod anima duret in æternum; alioquin falsificaretur.

Confirmatur, & eodem discursu probatur, quod actus fidei potest essentialiter petere sui æternam durationem. Potest Deus decernere sic. *Volo conservare in æternū primum actum fidei Petri.* Potest etiam tale decretum Petro revelare; quo casu posset credere Petrus Deo sic revelanti, & elicere primum actum fidei circa tale decretum. In hoc casu cum actus ille esset essentialiter verus, & infalsificabilis, peteret ad sui veritatem sui æternam durationem; ergo possibilis est entitas creata petens essentialiter durare in æternum.

4. Probatur 3. Eadem sententia argumento difficili. Visio beatifica essentialiter exigit sui æternam durationem: at est quid creatum: ergo non repugnat creatura, quæ semel producta, essentialiter duret in æternum. Probatur maj.

1. quia visio beatifica est essentialis beatitudo nostra; de ratione autem beatitudinis essentialis est durare in æternum. 2. Quia visio Dei est essentialiter æterna felicitas: sed juxta P. August. lib. 10. de Civ. Deicap. 30. *Æterna felicitas beatissima esse non poterit, nisi de sua facri æternitate certissima.* Et patet, quia quo majus est bonū possessum, eo anxiores sumus de illius duratione: ergo visio Dei exigit essentialiter sui æternam durationem.

Confirmatur. Visio Dei, cum sit actus intellectus supernaturalis, & à virtute

infusa, est essentialiter verus in eo quod videt, & affirmat: sed visio Dei videt, & affirmat sui æternam durationem: ergo essentialiter illam petit. Probatur min. Visio illa nequit esse felicitas, & beatitudo, nisi satiet; nec potest satiare, nisi sit secunda, ut ibidem docet P. Augustinus: ergo affirmat, & videt sui æternam durationem.

Confirm. 2. Christus Dñus per scientiam beatā videt, & affirmat quidquid Deus videt per scientiam liberam visionis; unde illam æquat in numero scientiarum, ut docet Theologi antiqui cum Magistro in 3. Sent. Moderni cum D. Thoma 3. p. quæst. 10. Sed Deus per scientiam visionis videt, & affirmat æternam durationē visionis beatæ Christi: ergo & scientia Christi affirmat sui met durationem æternam. Sed illa scientia est essentialiter vera, & ad sui veritatem petit durationem æternam quā affirmat: ergo scientia beata Christi petit essentialiter durare in æternum.

§ II.

Sententia negans præfertur ut verissima

5. Sententia negativa, quæ communis est apud Theologos, vocatur certa de fide ab Exim. Suarez lib. 1. de Angelis cap. 9. num. 5. nec miram, quia expressè habetur in Apost. Paulo 1. ad Timoth. 6. ubi de Deo ait, *Qui solus habet immortalitatem.* Unde SS. PP. probant absolutā immortalitatem (hoc intellige de essentiali impotentia non essendi) sic esse soli Deo propriū; ut nulli conveniat creaturæ. Ob hæc P. August. lib. 3. contra Maximinum cap.

12. ait: *Immortalitatem solus habere dicitur, quia est immutabilis solus.* Quæ cau-
salis ex eodē Apost. videtur desumpta,
qui Deum alloquens ait: *Ipsi peribunt,
tu autem permanebis, & omnes sicut ani-
mum mutabis eos, & mutabuntur; tu autē
idem ipse es, & anni tui non deficient.*

Ob id SS. PP. immortalitatem Angelo-
rum, quæ conformis est eorū naturæ, nolūt
vocare immortalitatem per naturā, sed
per gratiam; quoniā annihilari possunt,
& in nihilū tendere, si velit Creator; si-
cut ex nihilo facti sunt, quia voluit eo-
rum conditor. Quare sicut esse Angelis
datū, conforme est eorum naturæ, ce-
terum gratis datū à conditore; ita con-
servatio talis esse gratiosa est ex libera
bonitate creatoris; unde in hoc sensu
est Gratia, aut donū gratiosum, & solus
Deus est immortalis per naturā. Vide in
Card. Aguir. disp. 45. Phys. sect. 1. mo-
dos loquendi Patrū, nec non Epistolam
Sophronij, quæ habetur tom. 5. Conci-
liorū in actis sextæ Synodi Generalis,
cujus doctrina magni sēper estimata est
ab Ecclesia, ut notat Suarius ubi suprā.

6 Probatur hæc sententia ratione
arguentissima, quam cōtra Arianos sēpe
reponit P. August. Nulla est creatura,
cui essentialiter repugnet tēdere in ni-
hilum: ergo nulla est, quæ petat essen-
tialiter durare in æternū. Patet conseq.
quia durationi opponitur annihilatio,
quare idē est petere durationē, at repu-
gnare desitioni suæ existētiæ. Antecedēs
probatur. Nulla est possibilis creatura,
cui essentialiter repugnet fieri ex nihi-
lo: sed quod fit ex nihilo, ex se tendit
in nihilū: ergo nulla est &c. Major pa-
tet 1. in spiritualibus, quæ cum non

possint generari, & educi de potentia
materiæ, aut ex aliquo præsupposito, de-
bent fieri per creationem, & ex nihilo:
quare nisi talia repugnent essentialiter
suæ factioni, quod implicat, nequeunt
repugnare essentialiter fieri ex nihilo.
2. id patet de corporalibus, nam licet
taliam fiant ex materia præsupposita; at
materia fit ex nihilo; unde corporalia
omnia saltem mediatē fiunt ex nihilo;
quare nequeunt essentialiter repugnare
fieri ex nihilo.

Minor autem etiam est cōstans tum
philosophicè, tum theologicè. Philoso-
phicè, quia ea sola possunt corrūpi, quæ
possunt generari; & hoc ideo, quia ea
sola possunt destriui usque ad solā ma-
teriam, quæ facta sunt ex sola materia.
Vnde cum Angeli non sint facti ex ma-
teria, possunt annihilari, sed non cor-
rumpi, & resolvi in puram materiam.
Ergo ea sola possunt tendere in nihilū,
quæ facta sunt ex nihilo; & à contrario,
quæ ex nihilo facta sunt, possunt ten-
dere in nihilum.

Theologicè probatur idē. Sicut pec-
catū est nihil, & recessus à Deo, qui est
omne esse; ita potētia peccādi est potē-
tia tēdendi in nihilū: sed hæc potētia
tēdendi in nihilū, aut peccādi probatur
à Theologis in omni creatura libera, ex
quo facta est ex nihilo: ergo quia quod
factū est ex nihilo, ex se tēdit in nihilū.
Et urgetur. Implicat apud Theologos
creatura rationalis, quæ sit essentialiter
impeccabilis, & per se essentialiter impo-
tens tendere in nihilū moraliter: ergo
implicat etiam, quæ essentialiter sit im-
potēs tendere in nihilū Physicè. Patet
consequentia tum quia potētia tēdendi

mora-

moraliter in nihilū, fundatur supra po-
tentiā tēdendi physicè in nihilum. Tum
etiā, quia utraque probatur ex eodem
principio, nepe ex impossibilitate crea-
turæ, cui repugnet essentialiter fieri ex
nihilū.

Audi nunc P. August. tom. 6. lib. uni-
co contra Felicianū Arianū cap. 7. dicitē-
tem de Verbo Divino cōterno Patri:
*Dixi in quā de Filio, cum eum à creaturæ
diffinitione discerneret; quoniā is, nō ex eo,
quod non est, in id quod est; quod tale est,
ac si dicerem, non ex nihilo factus est. Et
propterea nunquā in id, quod non est, ex eo
quod est; id est nunquā in nihilū ex eo quod
est natura sua proprietate solvendus est.*

*Creatura verò, ex eo quod non est, in id,
quod est, quo ostenditur, quia ex nihilo
prolata est. Et propterea, quantum ad se at-
tinet, ex eo quod est, in id quod nō est, id est,
in nihilum, nisi perpetuam gratia fecerit,
naturæ suæ qualitate vertenda est.* Quo
vides adeo esse connexa fieri ex nihilo,
& tendere in nihilū quantum est ex par-
te naturæ; ut Verbo Divino repugnet
tendere in nihilū, quia non est factū ex
nihilū. Cum autem nulli creaturæ per
naturam conveniat perpetuari, sed per
gratiam, quia cum ex nihilo facta sit,
naturæ suæ qualitate, & exigētia, tendit
in nihilum.

7 Probatur 2. à ratione ex supre-
mo dominio Dei in creaturā. Implicat
creatura, quam Deus non possit des-
truire, & annihilare: sed si aliqua du-
raret essentialiter in æternū, Deus non
posset illam annihilare, cum non pos-
sit agere contra rerū essentias: ergo im-
plicat creatura essentialiter durans in
æternū. Major patet, nam Deus est ple-

nè Dñus creaturarū, & ratione supremi
dominij potest eas creare, & destruere,
ponere, & tollere &c. Ergo implicat &c.

Quòd si dicas, eam impotentiam des-
truendi non esse absolutam, sed ex sup-
positione creationis, Deo libera: unde
est impotentia consequēs libertatē Dei
exercitam in creando. Quare non tollit
libertatē, & dominium Dei, cui solūm opo-
ponitur impotētia absoluta, & antecē-
dens, ut de libertate creata dictum est
lib. 2. quæst. 17.

Contra est. Nam data possibilitate
illius creaturæ, non posset Deus illam
destruere nec antecedenter, nec conse-
quēter, nec absolutē, nec ex suppositio-
ne: ergo nullam libertatē, aut dominium
haberet ad illam destruendā. Probatur
antecedens. Nam post creationem illius
creaturæ, non posset illam destruere, ut
patet ex dictis. Rursus, ante creationē
non posset illam annihilare; nam crea-
tura illa ante sui creationē non est; &
quod non est, non potest destriui; quia
destruere est tollere esse, & ab eo quod
non est; nequit esse auferri: ergo ante
creationem, nec post creationem,
posset destriui à Deo.

Dices. Dominium Dei satis salvatur in
eo quòd talem creaturam creare possit;
aut non creare; sic enim plenè Dñus est
illius existētiæ, quam potest dare, vel
non dare. Contra. Nam dominium Dei
supra creaturā non solū est ad dandam
existētiā, sed ad illam conservandā;
sed per posse creare, vel non creare,
unicè salvatur dominium dandi existētiā;
non autem conservandi eam: ergo
non erit plenè Dñus creaturæ. Urgetur.
Dominium Dei tantum tangit, quantum

præ-

praesentia Dei, & ejus immensitas; est enim plenè Dñs omnium, cui est praesens per immensitatem. At est praesens omnibus per potentiam, & actionem suam, non solum quando primò producuntur, sed quãdiu sunt in rerù natura, ut dictũ est lib. 2. q. 16. & lib. 4. q. 8. ex Scriptura, & PP. ergo ejus actio dominãs non solum tangit creaturã, dando illi primã existentiam, sed conservando existentiam datam. Vide alias rationes in Palanco, & in Cardin. Aguirre q. ultima Phys.

§ III.

Solvuntur argumenta

Primũ fundam sententię contrarię, positũ n. 2. convincit Cardin. Agur. ut ipse testatur, ad negãdã possibilitatẽ creaturę permanẽtis ab æterno. Ceterũ si ejus cõsequẽtia valeret quomodo D. Th. & B. Æg. nec nõ Theologi antiqui, & Moderni nullã agnoscũt implicatiõem in productione æterna rei permanẽtis, & reputãt contra fidẽ concedere possibilitatẽ creaturę essentialiter durantis in æternũ? Restat discrimẽ dãdũ esse ab õnibus, & negãdã esse cõseq. & paritatẽ, quã cum omnibus negamus.

Disparitas prima est, quod creatura in æternũ durãs non potest à Deo destrui ante creatiõem, nec post, ut ostẽsum est n. 7. at creatura ab æterno durans, potest quidẽ destrui in tẽpore, quoniã ejus duratio, licet non habuerit principũ, potest tamẽ habere finẽ, si Deus velit illã destruerẽ. Vnde est plenè Dñs nedum creandi, sed annihilandi creaturam, ab æterno productam. Secus illam, de qua est quaestio nunc.

Disparitas secũda. Creatura ab æterno producta, petit durationẽ infinitã, sed nõ ratione sui & essentialiter, hoc est attentis prædicatis creaturę, quæ eadẽsunt sive producatur in tẽpore, sive ab æterno. Quare petit illam durationem ex vi quod ab æterno facta est, nec potest nõ durare ab æterno quod est ab æterno factũ. At creatura, de qua nũc, peteret ex sua essentia durationẽ infinitã, & non ratione alicujus extrinseci. Est cõtra dominiũ Dei, quod essentia creaturę reddat Deũ necessitatũ ad cõservãdũ eam. Non est, quod æternitas ipsa Dei in qua vult Deus creare aliquid, necessitet Deũ ad conservandum sine principio.

Disparitas tertia. Qui vult dare esse ab æterno, vult dare esse durans ab æterno, unde vult dare esse, & durationem sine initio, quod est velle dare durationem à parte antè infinitã. Hinc fit quod decretũ creãdi ab æterno, includit decretum cõservandi ab æterno. Et sic necessitas cõservãdi est consequens ad exercitiũ libertatis Dei incõservãdo, nepe ad decretũ cõservãdi. Hęc necessitas cõsequens non tollit dominiũ, & libertatem Dei incõservãdo, sed perficit, & exercet. At in creatura de qua nũc, tota necessitas cõservãdi eam, non nascitur ex decreto cõservãdi, quia nullũ tale fecit Deus. Nec ex decreto imbibito in decreto creãdi, quia decretũ creãdi aliquid in tẽpore, non trahit secũ voluntatẽ cõservãdi, sed eam relinquit indifferentem. Restat quod necessitas oritur ex essentia creaturę, & sic est contra libertatem, & dominiũ Dei. Has disparitates applica ad probationes cõseq. quã debes negare cum DD. allegatis pro nostra

stra sententia de æternitate mundi.

9 Ad 1. confirm. respond. 1. neg. anteced. cum B. Ægid. citato q. præcedente. Nam quodcũque instãs temporis nostri, potest Deus in æternũ cõservare, si velit eum semper fluere. Nec tũc esset tempus tale instãs, quia tempus ultra fluxum dicit divisibilitatem partium; tale autem instãs indivisibile nõ haberet partes; unde tempus non esset, maneret tamẽ semper fluens. Vide loco citato.

Respõd. 2. admissõ antecedenti neg. cõseq. Quia non posse cõservare instans oritur ex incapacitate ejus ad durandũ, Quare sicut non est contra Dominiũ Dei impotentia producendi chimarã, aut beatificãdi bruta, quia bruta, & chimera incapacia sunt talũ effectũ; sic instãs incapax durationis successivę. Nec valet cõseq. Datur creatura incapax durationis: ergo & incapax destructionis. Nam primum oritur ex summa imperfectione in linea existendi; secundum ex summa perfectione. Potest in creaturis dari processus usque ad imperfectionem summam, non ad summam perfectionem.

Ad 2. confirm. nego cõseq. quia spiritualia, quæ carent materia, possũt repugnare corruptioni, quæ essentialiter petit materiã. At annihilatio solũ petitẽ factã ex nihilo, cũque nulla creatura, etsi infinitè excedat Angelos, repugnet essentialiter fieri ex nihilo, nulla potest repugnare essentialiter annihilatiõni.

Ad 3. dic Angelos, & cœlos petere cõnaturaliter sui cõservationem; at non essentialiter, & ob id solus Deus dicitur ab Apost. & PP. immortalis per naturã, idest per essentia. reliqua sunt im-

mortalia per gratiam, idest gratis & ex voluntate cõditoris. Dicuntur Angeli, & cœli immortales, & perpetui naturaliter, relatè ad agens creatum, quia nullum est potens destruerẽ Angelos, & cœlos, ob rationem datã in argumento, sed relatè ad agens increatũ, mortales sunt, & defecibiles, sed cum exigentia naturali, ut Deus si velit, eos servet in æternum.

10 Ad 2. fundam. positum n. 3. vide in DD. citatis solutionem, qua se expediunt, sed implexam reflexionibus difficilimis, quæ nullum finem faciunt arguendi, si cõtentiõsè disputatur. Clarior via pro eo, & sequenti, Deo favente nobis illucebit.

Actus fidei affirmãs, animã nostrã in æternum duraturã, non affirmat animã essentialiter, & ex se duraturã in æternum, quia hoc est falsum; & actus fidei falsus non est, nec potest. Ergo affirmat animã nostrã in æternum duraturã ex dono, & gratia Dei. Nam hoc tãtum est verum, & actus ille essentialiter verus est. Ergo ex argumento non probatur quod una creatura petat essentialiter durationem essentialem alterius, sed durationem gratiosã, & ex dono Dei. Ergo admissõ antecedente, non sequitur possibilis creatura, quæ essentialiter petat suam essentialem durationem, sed suam durationem gratiosã, & ex dono. Hoc concedimus, & hoc probat confirmatiõ secundũ fundamenti.

Ceterũ nil horum est contra nos, nam in hoc cõplexo *Gratiosa duratio* includitur decretum Dei de conservanda duratione; nam ob id est gratiosa, & ex dono Dei, quia Deus suo decreto voluit donare,

donare, cum posset negare. Ergo exigentia actus fidei supponit ex parte objecti tale decretum, & sic est suppositio consequens, ut dictum est n. 8. in 3. disparitate. Cōstat solutio ex ipso argumēto; **nam** actus fidei, quo credimus animam duraturā, supponit decretum Dei de cōservanda anima in æternum, imò & revelationem talis decreti, cui credimus. **similiter** in casu confirmationis primus actus fidei in Petro, supponit decretum de illius cōservatione, & notificationē talis decreti. Quare uterque actus fidei supponit exercitiā libertatem, & dominium Dei in cōservando. Quid mirum si hoc non sit contra dominium, quod supponit exercitum?

II Ad 3. fundam. positum. n. 4. Resp. ex dictis. Quod visio Dei ex vi quoddam est beatitudo, & fœlicitas, petit essentialiter securitatem, & perpetuitatē, ut optimè explicuit P. August. At non petit perpetuitatem essentialē, sed gratiosam: alioquin peteret perpetuitatem impossibilem, & chimericā; & hęc non potest petere summa cognitio, & scientia verissimā, qualis est visio beata. Restat quod visio petit æternā durationē, promissam à Deo, & datā liberā. Nec pro ejus securitate quid desiderādum restat Beatis ultra indefectibilem promissionem Dei, qua certificati sunt de sua æterna duratione. Inde nil cōtra nos, nam hęc propositio; *visio essentialiter petit sui durationē æternā gratiosam*, æquivalat huic, *duratio exacta à visione, est gratiosa, non autē essentialis*. Et hoc est pro nobis. Sicut hęc Homo accidentaliter albus, essentialiter disgregat visum, æquivaleret huic, *Homo accidentaliter*

disgregat visū. Utrobique ex parte subiecti, aut predicati, includitur terminus alienās ly essentialiter additum copulæ.

Ad 1. confirm. patet ex dictis. Visio, utpote vera, non affirmat sui durationē essentialē, sed gratiosam: ergo non est essentialiter durans in æternum, sed ex dono Dei. Et hoc dicimus in quæstione nostra. Nec ad satiandum beatum oportet, quod ejus duratio sit essentialis, nisi velis eum satiari duratione impossibili, non possibili.

Hoc clarius patet ex secunda cōfirm. Nam scientia Christi beata, & scientia visionis Dei, affirmant beatitudinem in æternam duraturā; sed quomodo? Duraturā quidem ex vi præsuppositi decreti Dei de cōservatione illius ergo affirmat durationem æternā gratiosam, non autē essentialē. Illa nobis promissa est per merita Dñi N. Jesuchristi, & signata in Genesi per diem septimum in quo Deus requievit ab omni opere, quod pararat. Illa sit finis nostræ scripturæ, quæ finis est spei nostræ.

Hęc tamen septima erit sabbatum nostrum, cujus finis non erit vespera, sed Dominicus dies velut octavus æternus, qui Christi resurrectione sacratus est, æternam non solum spiritus, verū etiā corporis requiē præfigurās. Ibi vacabimus, & videbimus, videbimus, & amabimus: amabimus, & laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. Nā quis alius noster est finis, nisi per venire ad regnū, cujus nullus est finis? Videor mihi debitū ingentis hujus operis, adjuvante Dño reddidisse. Quibus parū vel quibus nimium est, mihi benignoscāt. Quibus autē satis est, nō mihi, sed Dño mecum gratias cōgratulates agāt Amen. P. Aug. lib. 22. de Civ. Dei c.

QVÆSTIONVM ET PARAGRAPHORVM
QVÆ IN HOC SECVNDQ TOMO PHYSICÆ CONTINENTVR.

Quæst. XVI. An Deus causa prima concurrat immediatè cum causis secundis ad omnes effectus?

- §. 1. **R**eseruntur sententiæ cum suis fundamentis. fol. 2.
 §. 2. Praefertur sententia affirmans, & probatur auctoritate, & ratione fol. 5.
 §. 3. Solvuntur fundamenta contraria. fol. 8.
 §. 4. Disquiritur an Deus ad extrā concurrat actione secum identificata. fol. 15.

Quæst. XVII. An Deus concursu prævio moveat omnes causas secundas ad operandum?

- §. 1. Quibusdam notatis explicatur nomen, natura, & genium Physicæ prædeterminationis. fol. 25.
 §. 2. Explicatur prædeterminatio Moralis, & physico moralis. fol. 32.
 §. 3. Explicatur sententia negans omnem cōcursum Dei prædeterminatē. fol. 34.
 §. 4. Propugnantur fundamenta pro physica prædeterminatione. fol. 37.
 §. 5. Proponuntur fundamenta sententiæ negantis prædeterminationem. fol. 46.
 §. 6. Iudicium de utraque sententia proponitur. fol. 55.
 §. 7. Nostra sententia proponitur, & probatur. fol. 62.
 §. 8. Expenduntur fundamenta aliarum sententiarum. fol. 79.
 §. 9. Expenduntur rationes Thomisticae pro physica prædeterminatione. fol. 87.
 §. 10. Expenduntur fundamenta sententiæ negantis prædeterminationem. fol. 91.

Quæst. 18. In quo consistat concursus prævius ad actus etiam saluatares, præsertim de mente P. N. Aug?

- §. 1. Quaedam notantur, tum pro quæstione, tum pro P. N. mente percipientia. fol. 109.
 §. 2. Expenditur sententia docens gratiæ efficacem consistere in qualitate fluida. fol. 114.
 §. 3. Expenditur sententia de auxilio constituto per actionem immanentem Dei. fol. 119.
 §. 4. expenditur sententia de auxilio quomovente solum moraliter. fol. 125.
 §. 5. Expenditur sententia de solo concursu indifferenti. fol. 134.
 §. 6. Expenduntur quinta, & sexta sententia circa auxilium Dei in utroque statu naturæ. fol. 149.
 §. 7. Proponitur, & probatur nostra sententia de constitutivo adiutoris requisiti ad facere. fol. 180.
 §. 8. Explicatur qua scientia Deus dirigitur, ut certo sciat nostrum velle, & nostrum facere. fol. 193.
 §. ult. Quaedam consuetaria ex dictis. fol. 208.
 Quæst. XIX. An causa creata sint invicem cause?
 §. 1. Proponuntur sententiæ cum suis fundamentis. fol. 211.
 §. Nostra sententia proponitur, & probatur. fol. 216.
 §. 3. An ultima dispositio ad formam sit effectus formæ. fol. 220.
 Quæst. XX. An causa connectatur metaphy.

- physicè cum possibilitate effectuum?*
- §. 1. Proponuntur sententiæ cum suis fundamentis. fol. 233.
- §. 2. Probatur quòd ex defectu unius, vel alterius possibilis, non sequitur defectus omnipotentiae, aut causæ creatæ. fol. 239.
- §. 3. Probatur quòd ex defectu omnium possibilium non sequitur defectus Divinæ omnipotentiae. fol. 243.
- §. 4. Probatur quòd repugnante tota collectione possibilium, adhuc Omnipotentia esset æquè productiva ad extrâ. fol. 248.
- §. 5. Expenduntur fundamenta contraria. fol. 255.
- Quæst. XXI. An idem effectus possit procedere à duplici causa totali?
- §. 1. Quibusdam notatis proponuntur sententiæ cum suis fundamentis. fol. 265.
- §. 2. Nostra sententiæ proponitur, & probatur. fol. 277.
- §. 3. Solvuntur fundamenta contraria. fol. 282.
- Brevis digressio, de fortuna, fato, & casu. fol. 290.

LIBER III. PHYSICORVM.

- Quæst. 1. Quid sit motus, & qualiter differat ab actione, & passione?
- §. 1. **E**xplicatur diffinitio motus, & an conveniat mutationibus instantaneis? fol. 294.
- §. 2. Explicatur quid sint actio, & passio, & quomodo differt actio à passione. fol. 298.
- §. 3. Declaratur an motus realiter differat ab actione, & passione. fol. 304.
- Quæst. II. An motus, & actio distinguantur à termino?
- §. 1. Probata distinctione actionis ab agente, & passio, referuntur sententiæ de distinctione actionis à termino. fol. 308.
- §. 2. Nostra sententiæ proponitur, & probatur. fol. 312.
- §. 3. Expenduntur fundamenta contraria. fol. 317.
- Quæst. III. An actio recipiatur in agente, an in passio?
- §. 1. Proponuntur fundamenta utriusque sententiæ. fol. 322.
- §. 2. Nostra sententiæ proponitur, & probatur. fol. 326.
- §. 3. Expenduntur fundamenta aliarum sententiarum. fol. 330.
- Quæst. 4. An sit necessaria duplex actio immanens, & transiens in agentibus transeuntibus?
- §. 1. Proponuntur sententiæ cum suis fundamentis. fol. 334.
- §. 2. Egidiana sententiæ de duplici actione proponitur, & probatur. fol. 336.
- §. 3. Solvuntur quedam contra nostram sententiæ, & aliarum fundamenta expenduntur. fol. 339.
- Quæst. V. Quid sit infinitum, & an sit possibile?
- §. 1. Traditur diffinitio infiniti, explicatur ejus proprietates, & ostenditur nihil extra Deum esse infinitum. fol. 343.
- §. 2. De infinito secundum magnitudinem. fol. 347.
- §. 3. de infinito secundum multitudinem. fol. 352.
- §. 4. De infinito secundum intensiorem. fol. 355.
- §. 5. De creatura omnium perfectissima, sive de infinito secundum essentiam. fol. 355.

LIBER QUARTVS PHISIC.

- Quæst. 1. An sit locus, quid sit, & qualiter immobilis?
- §. 1. **T**raditur breviter Aristotelica, & communis sententiæ. fol. 361.
- Quæst. II. Quotuplex sit locus, quæ ratio formalis essendi in loco, & quibus conveniat?
- §. Vnic. Traditur communis, & vera sententiæ. fol. 366.
- Quæst. III. Quid sit ubi, quotuplex, & an differat à re ubicata?
- §. Vnic. Traditur breviter nostra sententiæ ex sæpè comprobatis. fol. 372.
- Quæst. IV. An sit possibilis creatura nulli existens?
- §. 1. Referuntur sententiæ cum suis fundamentis. fol. 376.
- §. 2. Nostra sententiæ probatur, & aliorum fundamenta expenduntur. fol. 379.
- Quæst. V. An corpora possint inter se penetrari in ordine ad locum?
- §. 1. Offensa naturali repugnantia, proponitur sententiæ negans divinitus. fol. 384.
- §. 2. Vera, & communis sententiæ defenditur. fol. 386.
- Quæst. VI. An corpus possit circumscribi à duplici loco?
- §. 1. Proponitur, & probatur sententiæ negativa. fol. 389.
- §. 2. Proponitur, & probatur sententiæ affirmativa. fol. 391.
- §. 3. Negativa sententiæ præfertur, & probatur auctoritate, & ratione. fol. 392.
- §. 4. Solvuntur fundamenta. fol. 402.
- Quæst. VII. An sit vacuum, quid sit, & qualiter in eo fieret motus?
- §. Vnic. Explicatur sententiæ vacui, probatur non dari in natura. fol. 406.
- Quæst. VIII. An Deus actu sit in spatijs imaginarijs?
- §. 1. Quibusdam notatis proponitur sententiæ affirmans. fol. 410.
- §. 2. Præfertur sententiæ negans, & probatur auctoritate, & ratione. fol. 413.
- §. 3. Solvuntur fundamenta contraria. fol. 417.
- Quæst. IX. An sit tempus, & quid sit?
- §. 1. Explicatur diffinitio temporis, & quid importat de formali. fol. 422.
- §. 2. An tempus sit ens reale extrâ animam. fol. 425.
- Quæst. X. Quomodo existat tempus, & quid sit nunc temporis?
- §. 1. Deciditur prima quæstio, ubi an tempus existat per instans. fol. 426.
- §. 2. Expenduntur aliqua dubia circa nunc temporis. fol. 429.
- Quæst. XI. An duratio distinguatur realiter à re durante?
- §. 1. Quibusdam notatis, proponitur sententiæ affirmans, & sententiæ negans. fol. 430.
- §. 2. Nostra sententiæ proponitur, & probatur, & aliarum fundamenta expenduntur. fol. 433.

LIBER V. PHYSICORVM.

- Quæst. 1. Ad quæ prædicamenta detur, per se motus?
- §. 1. **Q**uibusdam notatis, explicantur conditiones ad motum per se. fol. 437.
- §. 2. Proponitur sententiæ affirmans motum per se ad omnia prædicamenta. fol. 440.
- §. 3. Statuitur motus per se terminatus ad quantitatem in sola augmentatione viventium. fol. 445.
- §. 4. Probatur motus ad qualitatem, re-

INDEX.

- rūm ad solam tertiam speciem qualitatis. fol. 449.
- §. 5. Probatur motus ad ubi, & quod non datur ad reliqua predicamēta. fol. 452.
- §. 6. Solvuntur fundamenta contraria. fol. 453.
- Quæst. II. Unde motus sumat suā unitatē?
- §. 1. Traditur principium unitatis numerica motus. fol. 459.
- §. 2. Declaratur principium specificæ unitatis motuum. fol. 462.
- LIBER VI. PHYSICORVM.
- Quæst. I. An dentur in continuo puncta indivisibilia?
- §. 1. Sententijs relatis suadetur negativa. fol. 466.
- §. 2. Vera, & communis sententia defenditur, ac probatur. fol. 467.
- Quæst. II. An in continuo sint partes actualiter divisibiles?
- §. 1. Referuntur sententiæ cum suis fundamentis. fol. 471.
- §. 2. Nostra sententia proponitur, & fundamenta aliarū expenduntur. fol. 475.
- Quæst. III. An cōtinuū cōponatur ex solis indivisibilibus?
- §. 1. Ponuntur fundamenta sententiæ affirmantis. fol. 481.
- §. 2. Praefertur sententia Aristotelis, quæ probatur auctoritate, & ratione. fol. 483.
- Quæst. IV. Quomodo res incipiunt, & desinunt esse?
- §. Vn. Explicatur breviter inceptio, & descisio rerum successivarum, & permanentium. fol. 491.
- Quæst. V. An detur in rebus quantis terminus intrinsecus magnitudinis, & parvitatē?
- §. Vn. Deciditur quæstio de viventibus, & non viventibus. fol. 497.

LIBER VII. PHYSICORVM.

- Quæst. I. Vtrum aliquis possit movere se-
ipsum primò & per se?
- §. 1. Proponitur sententia affirmativa cum suis fundamentis. fol. 501.
- §. 2. Probatur, & praefertur sententia negativa. fol. 503.
- §. 3. Solvuntur argumenta, & explicatur motus gravium, & levium viventium, & spiritualium. fol. 505.
- Quæst. II. An agens possit agere indistinctis, quin operetur in medium?
- §. 1. Respondetur negativè. fol. 510.
- §. 2. Solvuntur argumenta contraria. fol. 513.

LIBER VIII. PHYSICORVM.

- Quæst. I. An mundus fuerit ab æterno?
- §. 1. Proponuntur fundamenta Aristotelis affirmantis. fol. 516.
- §. 2. Vera sententia traditur, & argumenta contraria solvuntur. fol. 519.
- Q. II. An mundus poterit esse ab æterno?
- §. 1. Proponitur sententia negans de tempore, & successivis. fol. 523.
- §. 2. Proponitur sententia negans mundum ab æterno, quo ad res permanentes. fol. 525.
- §. 3. Nostra sententia proponitur, & defenditur, primò circa res successivas. fol. 529.
- §. 4. Nostra sententia defenditur circa res permanentes. fol. 535.
- §. 5. Solvuntur argumenta contra aternitatem rerum permanentium. fol. 538.
- Quæst. I I. An sit possibilis creatura essentialiter durans in æternum?
- §. 1. Quibusdam notatis proponitur sententia affirmans. fol. 545.
- §. 2. Sententia negans, praefertur, ut verissima. fol. 547.
- §. 3. Solvuntur argumenta. fol. 550.

F I N I S.

